17-6-12

Biblioteca Complutense
Ildefonsina.
16 6
E.33.c.2. N.10.

DeR
N° 13969

D 82
(04)
Ae 8

ACTA ERVDITORVM

ANNO

M DCC XIV

publicata,

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Elect. Sax. Privilegiis.

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA

LIPSIÆ,

Proſtant apud JOH. GROSSII Hæredes.
JOH. FRID. GLEDITSCH & FIL.
THOMAM FRITSCHIUM
&
FRID. GROSCHUF.

TYPIS JOH. CASP. MULLERI.
A. M DCC XIV.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Januarii Anno M DCC XIV.

HEXAPLORUM ORIGENIS, QUÆ SUPERSUNT, multis partibus auctiora, quam a FLAMINIO NOBILIO & JOANNE DRUSIO edita fuerint: ex MSS. & libris editis eruit & notis illustravit D. BERNHARDUS DE MONFAUCON, Monachus Benedictinus e Congregat. S. Mauri.

Tomi II.

Parisiis, apud Ludov. Guerin &c. 1713, fol. maj. Alph. 16 plag. 7.

NOvum & insigne doctrinæ industriæque argumentum editurus Cl. *Montfauconius* Hexapla Origenis, tenebris hucdum sepulta, ita in lucem reduxit ex MSS. ut de magna eorum parte gratulari sibi in posterum eruditi possint. Quamvis enim *Flaminius Nobilius* in Bibliis Græcis Romæ excusis A. 1587 huic labori manum jam admoverit, multas Aquilæ, Symmachi & Theodotionis aliorumque Interpretum lectiones notis suis inserens, ejusque deinde vestigiis *Jo. Drusius*, in *Veterum Interpretum Græcorum in V. T. Fragmentis collectis* & Arnhemiæ 1622, 4 editis, ita institerit, ut illius collectionem egregiis accessionibus locupletarit; Nostri tamen tanta fuit industria, ut ex Codd. MSS. in Gallia æque ac Italia, & potissimum Romæ evolutis hunc apparatum multis modis amplificaret, Drusianaque collectio, cum ista comparata, ne decimam quidem imo nec decimam quintam ejus partem, quod in præfatione ipse profitetur, attingeret. Toti Operi Præliminaria, quæ vocat, ampliora præmisit, quæ in aliquot capita distincta, de Tetraplorum & Hexaplo-

rum nominibus & forma, textu Hebraico aliisque huc pertinenti-
pag. 6 bus exponunt, & quædam aliis non obſervata ſuggerunt. Sic ex
cap. I intelligas, *Tetrapla & Hexapla* illa ab Origene, Euſebio,
Epiphanio & Hieronymo τετραπλᾶ & ἑξαπλᾶ, a Scriptoribus vero
Græcis recentioris ævi frequentius in ſingulari numero τετραπλᾶν
& ἑξαπλᾶν appellata fuiſſe, quod apparet ex nota ad caput extre-
mum libri II *Regum*. Sicut vero hoc nomen ferebant a quadruplici
vel ſexduplici Scripturæ textu, uno conſpectu per quatuor vel ſex
columnas poſito; ita uſu venit, ut Græce vocentur τετρασέλιδον
i. e. *quadruplex columna*, ut patet ex nota ad Pſalm. LXXXVI, &
ἑξασέλιδον *ſextuplex columna*, ut docet nota ad Michæ c. V, &
ὀκτασέλιδον, ut perſpicitur iterum ex nota ad Pſ. LXXXVI. Semel
quoque, nempe in notis ad Jeſ. III, 24, occurrit πενταπλόον i. e.
3 quinque *columnarum opus*; ideo forte, ut Noſter ſuſpicatur, quod
librarii quidam Hebraicam columnam, literis quippe Hebraicis
exaratam, prorſus omiſerint, cujus rei exemplum exſtat in Codi-
ce Barberino Hoſ. II, 1, niſi etiam dicere velis, appellationem hanc
inde eſſe repetendam, quod textus Hebraicus, ſemel Hebraicis, de-
inde Græcis literis expreſſus, pro una columna habitus ſit. Inter-
dum adjective, ut ab Epiphanio lib. de Ponderibus, qui ἑξαπλᾶς
τὰς βίβλους memorat, voces hæ uſurpantur. Præterea certum eſt,
in Pſalmis, in Prophetis minoribus & forſan alibi, præter duas co-
lumnas Hebraicas, alteram Hebraicis, Græcis alteram literis de-
ſcriptam, & ſex columnas Græcarum interpretationum, Aquilæ
ſcilicet, Symmachi, τῶν LXX, Theodotionis, Quintæ & Sextæ,
quæ proinde Octapla conſtituebant, Septimam fuiſſe editionem
Græcam, quæ nonam occuparet columnam, atque adeo Ennea-
pla conſtitueret. Nihilominus tamen *Enneaplorum* nomen nus-
quam occurrit, ſive Origenes eam non in columnarum ſerie ſed
9 in imo margine collocaverit, ſive veterum incuriæ id ſit tribuen-
dum. In hoc opere concinnando illud fuit Origenis conſilium,
ut Lectori copiam faceret diverſas interpretationes facili opera
inter ſe comparandi, & primo quidem Tetraplis, deinde vero He-
xaplis manum admovit. Quamvis enim Henr. Valeſius Hexapla
primum elaborata contendat, teſtimonio Euſebii *Hiſt. Eccleſ.* VI,
16 nixus, & pro ἐπισκευάσας ex MSS. ἐπικατασκευάσας ſubſtitu-

ens;

ens; Noſter tamen, quæcunque lectio magis ſe probet, eum eſſe loci ſenſum oſtendit: *Hexaplorum nobis exemplaria reliquit: cum ſeorſim editionem Aquilæ, Symmachi & Theodotionis cum LXX Int. in Tetraplis digeſſiſſet.* Recte enim monet, & adducto ſimili Strabonis locutione oſtendit, Aoriſtum, hoc ſitu poſitum, rem poſtremo enunciatam prius factam eſſe denotare, quam eam, quæ præcedenti verbo indicetur. Ut promtius ſit de tota cauſa judicium, locum ipſum afferemus: τάυτας δὲ, inquit Euſebius, ἁπάσας ἐπὶ ταυτὸν συναγαγὼν, διελών τε πρὸς κῶλον, καὶ ἀντιπαραθεὶς ἀλλήλαις, μετὰ καὶ αὐτῆς τῶν Ἑβραίων σημειώσεως, τὰ τῶν λεγομένων Ἑξαπλῶν ὑμῖν ἀντίγραφα καταλέλοιπεν ἰδίως τὴν Ακύλα, καὶ Συμμάχε, καὶ Θεοδοτίωνος ἔκδοσιν ἅμα τῇ τῶν Ο ἐν τοῖς Τετραπλοῖς ἐπικατασκευάσας. Hanc ſententiam de Tetraplis primo loco elaboratis confirmat Noſter amplius ex nota Origenis ad Gen. XLVII, 6, quæ ad eum locum affertur. Poſtea de tempore Hexaplorum concinnatorum ſolicitus Noſter, turbatas Epiphanii rationes Huetiique ex Origenianis lib. I c. III n. 2 ac denique Tillemontii affert judicium, & in poſtremi potiſſimum ſententia acquieſcens, ſtatuit, Origenem Hexaplis edendis manum admoviſſe, poſtquam Sextam editionem repererit, hanc autem, teſte Epiphanio, reperit anno Alexandri Severi VII, i. e. Chriſti 228. Quoniam vero ab eo tempore ad annum 231, quo Cæſaream ſe recepit, non ſat otii commodique ad arduam hanc rem perficiendam habuiſſe videtur, totum negotium in annum 231 commode rejici poſſe idem affirmat, præcipue cum ratio dubitandi, ab ipſo Tillemontio allata, non ſatis idonea Autori noſtro videatur, Ordinem in his verſionibus eum obſervavit Origenes, ut neglecto, quo elaboratæ ſingulæ erant, tempore, primo loco *Aquila*, qui ſcrupuloſius Hebræum textum ſequitur, hinc *Symmachus*, qui eidem, quam ceteri, erat propior, tum LXX, quia hos *Theodotio* extremus preſſe ſequi videtur, compararent. Hæc *Tetrapla* manu ſua emendavit Origenes, & ſcholiis quoque inſtruxit, quibus Euſebius nova addidit, quod Noſter loco illuſtri in Palæographia Græca p. 226 edito, & hic repetito probat. In Hexaplis idem ordo obſervatus fuit, quod ad Græcas interpretationes, quibus tamen acceſſit textus Hebræus, in columna prima Hebræis, in ſecunda Græcis literis exaratus: qua ratione in Codice Barberi-

pag. 10 11 13 14 15

no, ubi v. 1 c. II Hoſeæ legitur, exhibentur. Quoniam porro in quibusdam Scripturæ libris duæ aliæ verſiones, nempe V & VI additæ erant, octo columnæ iisdem in libris e regione poſitæ *Octapla* appellabantur, quæ tamen ab Origene non fuerunt ſeorſim elaborata, tanquam a Tetraplis aut Hexaplis diſtincta. Hæc ut rectius capiantur, Cl. Editor p. 16 ſingulorum & ipſorum quoque Enneaplorum ſpecimen exhibet. Tres alias editiones Græcas quatuor illis celebrioribus in nonnullis libris Biblicis additas fuiſſe exploratum eſt, quibusnam vero id uſu venerit, non æque cognitum; id
pag. 17. quod inveſtigandum Noſter diligentius cenſuit. Acceſſerunt itaque tres illæ in libro Pſalmorum & duodecim Prophetis minoribus: de illo id evincunt frequentia fragmenta, de his Hieronymi teſtimonium, quemadmodum nec fragmenta deſunt, Quintæ quidem verſionis frequentiſſima, ceterarum rariora. Canticum Habacuci Noſter totum ex una harum trium verſionum exhibet, quæ cum nec *Quinta* nec *Sexta* eſſe poſſit, *Septima* videtur ſtatuenda. In *Canticis Canticorum* V ſolum & VI lectiones adferuntur, quod idem
18. etiam in *Pentateucho* fit. Cum vero conſtet, Origenem tres illas editiones non in omnibus libris Biblicis attuliſſe, dubium videtur, utrum illæ in totum Sacrum Codicem unquam exſtiterint. Probabilius tamen eſt, integrum Sacrum Codicem ab illis interpretibus translatum fuiſſe, cum cauſa dari nulla poſſit, cur illi, qui Pentateuchum, Pſalmos, &, ex Hieronymi fide, Jobum & Proverbia, Cantica item & minores Prophetas verterint, medios omiſerint libros. Origenes quidem illas non ſemper commemoravit, quemadmodum in Threnis Jeremiæ ſolum Symmachum cum τοῖς ὁ collocavit, cum tamen & Aquilæ & Theodotionis in eos exſtarent verſiones. Hexapla illa amplis marginibus inſtructa fuerunt, quos Origenes impleverat notis ſuis, ad interpretationem Nominum Propriorum potiſſimum pertinentibus, quod ex nota quadam Origenis ad Geneſ. XXXVI, 36 apparet, ſicut & Cl. Montfauconius paſſim ex Cod. Coisliniano ejusmodi interpretationes attulit. Cumque in marginibus vetuſtiſſimorum exemplarium, quæ fragmenta Hexaplorum exhibent, Lectiones Samaritani & Syri ſæpe obſerventur, quos etiam Patres IV, V & ſequentium ſeculorum commemorant, veri ſit ſimile, easdem ab Origene ipſo in marginibus

Hexa-

Hexaplorum fuiſſe collocatas. Hac occaſione Noſter de eo diſputat, utrum illæ *Samaritani* & *Syri* lectiones ex ipſa verſione Samaritana & Syra, an ex utriusque translatione Græca, quæ jam tum exſtiterit, depromtæ ſint: nec unum affert argumentum, quod priori ſententiæ majorem veri ſpeciem conciliet, præcipue cum credi vix poſſit, Patres, qui ad utrumque provocant, ipſius authenticum contextum ante oculos ſemper habuiſſe. Hinc pergit Noſter ad caput II, quod *de textu Hebraico* commentatur, ac primo quidem oſtendit, Origenem adhibuiſſe textum Hebraicum, non Samaritanis, ut quidam putavit, ſed iisdem, quibus hodie Hebræi utuntur, literis exaratum, ideo quod Euſebius, cujus ætate iidem, qui hodie, characteres apud Judæos in uſu fuerunt, lib. VI Hiſt. Eccleſ. teſtatur, eas in Codice Origeniano literas fuiſſe, quæ apud Judæos circumferantur. Hinc Specimen aliquod literarum Hebraicarum veterum ex MS. ſuppeditat, ac deinceps de ſingulis oſtendit, quis earum olim ductus vel ſimilis hodierno vel diſſimilis fuiſſe videatur. Sic v. c. τὸ א, ב & ך eandem olim habuiſſe formam, vel ex eo evincit, quod jam olim ב cum כ & ך cum ך confuſum fuerit. Viciſſim aliam olim formam τὸ ג, quod hodie maxime affine eſt τῷ נ habuiſſe, ex eo colligit, quia vix aliam pro alia uſpiam lectam fuiſſe in veterum interpretationibus apparet. Sic & τὸ ה & ח olim aliter, ac hodie fit, pictum fuiſſe, non ſolum ex Specimine Alphabeti Hebraici a Noſtro allato, in quo τὸ ח ſic Π τὸ ח vero ſic H ſcribitur, patet, ſed ex eo quoque perſpicitur, quod Interpretes illas literas, quod alias in ſimilibus fieri ſolet, non miſcuerint, aut unam pro altera acceperint. Præterea vero τὸ ח olim clauſum fuiſſe, alii Codd. antiquiſſimi evincunt, nominatimque Colbertinus in nota ad Pſ. LXXI, 18 &c. in quibus vox ΠΙΠΙ, quæ certiſſime Hebraicum יהוה exprimitur, bis literam ח ſuperne clauſam exhibet. Atque hæc quidem verior hujus ſcriptionis, ut hoc obiter moneamus, ratio eſſe videtur, cujus alii alias reddiderunt minus idoneas, quæ apud Steph. le Moyne p. 132 ad Varia Sacra, Rich. Simonem in Hiſt. Crit. V. T. lib. II c. 10, Steph. Morinum in Exercitationibus de Lingua Primæva p. 336 & Jo. Walliſium Tomo I Opp. p. 42 legi poſſunt. Literam ר olim ad formam ו propius acceſſiſſe, ideo credendum eſt, quod illarum litera- pag. 19. 21. 22. 23.

rum confuſio fœcunda errorum mater Interpretibus fuerit, quemadmodum & Hieronymus in ep. ad Suniam & Fretelam in Pſ. CXXIX harum literarum ſimilitudinem agnoſcit. His præſtructis Noſter aliquot ſpeciminibus manifeſtum facit, quanta interpretationum varietas ex literarum quarundam ſimilitudine orta
pag. 14. ſit, ב pro כ, ר pro ד, ו pro ן & ד pro ן, ac vice verſa, lectis. Ad
26. hanc varietatum cauſam accedunt & aliæ, e. g. modus dividendi voces, ſimilitudo ſoni, ut Aquila Pſ. LXXXIX, 11. איש pro חוש, &
27. οἱ ὁ Ezech. XIII, 5 pro לעבר legerunt לאמר. Caput III *de hiſtoria LXX* Interpr. quæ *Ariſteæ* nomine circumfertur, ita diſſerit, ut propoſito illius hiſtoriæ compendio, quid Ariſtobulus, quid Philo, quid Joſephus de ea dixerint, & quam longe Juſtinus Martyr
23. Epiphaniusq; ab Ariſtea & ceteris aberrarint, refertur. Deinde tota cauſa ad tria capita revocata, oſtenditur, Ariſteæ exemplaria, quæ ſuperſunt, genuina, ceterorum autem argumenta reſpuenda eſſe, quorum illa τῶν LXXII Senes ſimul congregatos mutuoque colloquia miſcentes introducunt, hæc vero eosdem in diſtinctas cellulas diviſos, Spiritu S. afflante, affirmant, idque inprimis Juſtinus, Cyrillus Hieroſol. Epiphanius & alii faciunt Patres. His vero fides habenda non eſt, cum jam Hieronymus in Prologo in Geneſin illam de cellulis narrationem mendacii arguerit, ut Juſtinus, qui primus id tradidit, populari famæ in Admonitione ad gentes omne illud acceptum ferat. Præterea vero Ariſteæ hiſtoriam, qualis adhuc habetur, primigeniam illam eſſe, nec poſtea interpolatam, ſuadet Joſephus, qui eam, quod ad ſenſum & res geſtas, preſſe ſequitur, ſicut & Euſebius longiſſima ejus excerpta dedit. Pentateuchi Interpretes Græcos non item ceteros Scripturæ libros
33. tranſtuliſſe, cum Hieronymo in Ezechiel. XVI, 13 affirmat Noſter, idemque ultimo loco de eo disquirens, utrum iſta Ariſteæ hiſtoria
35. primigenia vera an ſuppoſita ſit, argumenta utrinque affert, nihil ipſe definiens, de eo tamen certus, quod verſio iſta Græca pro vera ſanctaque fidei ac morum norma habenda ſit, cum eam & Apoſtoli non ſemel adhibuerint, & Eccleſia Græca, imo etiam prioribus
36. Seculis Latina receperit, Cap. IV LXX Int. verſionem, ut in Hexaplis erat, delineat. Cum ſcilicet jam Origenis ætate varia vitia in illa obſervarentur, conſilium is cepit addenda vel mutanda

aſte-

Aſteriſcis, amputanda vero *obelis* notandi, idq; in aliis libris frequentius in aliis rarius factum eſſe, ex Fragmentis obſervavit Noſter, quæ pag. 37.
ſigillatim perſequitur. Hos *Aſteriſcos* & *Obelos* ipſis Hexaplis ſuis,
non alii editioni ſeorſim adornatæ, ut recentiores quidam putant, 38.
addidiſſe Origenem ex Hieronymi epiſtola ad Suniam & Fretelam
p. 627 & Codice quodam MS. Seculi X apparet. Quæ poſt aſteri- 39.
ſcum ponebantur, ex editione Theodotionis ut plurimum excerpta
erant, non infrequenter ex Aquila, interdum, ſed rarius, ex Sym-
macho, nonnunquam ex duobus vel tribus ſimul. Poſt Aſteriſcos
nomina Interpretum, quod ad primas literas, v.c. O, i.e. LXX, vel Θ,
i. e. *Theodotio*, ſequuntur, rarius vero nomen aſteriſcum præcedit.
Quæ hoc modo poſt aſteriſcum inſerebantur, aliquando ad ſenſus
integritatem & explicationem faciebant, ut plurimum vero inutilia
erant & ſcrupuloſiora, quia Hebraismi omnes, a LXX conſulto 40.
omiſſi, adjiciebantur. Viciſſim Origenes obelo ſæpe notavit, quæ
recte a LXX vel claritatis vel elegantiæ cauſa, ſenſu ſuffragante,
Hebraico addita erant. Singula hæc ſuis probantur exemplis a
Noſtro, qui proxime de *Lemniſcis* & *Hypolemniſcis*, quibus Origenes itidem uſus eſt, diſſerit. Allata enim de etymo vocis λημνίσκος V. C. *Bernardi Monetæ* ſententia, qui λημνίσκον primitus angustam faſciam ſignificaſſe & a λῆνος i. e. *lana*, ex qua faſciæ fieri ſolebant, derivatam cenſet, inſerto a Syracuſanis μ, quibus propterea hanc vocem acceptam fert Heſychius, oſtendit, rejecto, quem Epiphanius, Heſychius, Curterius & Maſius his notis tribuunt, uſu, *Lemniſcum* adhibitum fuiſſe, ubi LXX lectionem quidem Hebr. ſed non ita accurate & diſtincte exhibebant, ut proinde ex aliis Int. melior, priori tamen in textu relicta, ſubſtitui deberet, quemadmodum *Hypolemniſcum* tum uſitatum fuiſſe credit, quando lectio in LXX Int. notata, illorum ſolum erat, ſicut Lemniſcus inſerviit illi voci notandæ, quæ & a LXX Int. & a Theodotione fuit adhibita. Ex iſta Hexaplari editione multa tum in 43.
MSS. LXX Int. tum in hodiernas eorum editiones, translata ſunt,
idque jam Hieronymi ævo, quod apparet ex epiſtola ejus 74 poſtremæ editionis, ut propterea hodie editio τῶν LXX pura, qualis
ante Origenem fuit, fruſtra quæratur. Poſt Origenem vero iti- 44.
dem ex variis cauſis, ac potiſſimum ex ſimilitudine literarum variæ
muta-

mutationes in iſtam verſionem invectæ ſunt. Capita olim & com-
pag. 45. mata ab hodierno diverſa fuiſſe ex Catenis MSS. ac ſpeciatim Codice Coisliniano, qui Octateuchum complectitur, patet. In hoc enim duplex capitum diviſio exſtat, quarum unaquæque ab hodierna differt: ſic v. c. altera earum in Geneſi capita CVI, altera XCIX, hodierna vero L exhibet &c. Verſiculorum, longe olim breviorum, rationem variis ſpeciminibus in Palæographia Græca
46. exhibuit Cl. Editor, quæ novo hic auget, in quo ex lib. Jobi XXI, 28, ubi ſex hodie verſus leguntur, ex more veterum tredecim exhibentur. Cap. V *de Aquilæ Editionibus* præcipit, expoſitaque ex
47. Epiphanio Aquilæ hiſtoria, duas enim interpretationes edidiſſe oſtendit, primam liberiorem, alteram adſtrictiorem Hebræo propiorem, quam Hebræi, teſte Hieronymo ad Ezechielem p. 716,
48. κατὰ ἀκρίβειαν appellant. In hac is voculam את, accuſativi notam, per σὺν reddidit, v. c. in primo Geneſeos I commate, ἐνεφυσιώσατο ἔκτισεν ὁ Θεὸς σὺν τὸν οὐρανὸν καὶ σὺν τὴν γῆν, & paſſim Hebraismi ſtudio ſingulare plurali junxit. Cumque hujusmodi exempla in fragmentis Hexaplorum frequenter occurrant, Noſter merito colligit, Secundam illam editionem ab Origene uſurpatam
49. fuiſſe. Hic Aquila a Patribus quibusdam, nominatim Irenæo, Euſebio, Epiphanio, interdum etiam Hieronymo, qui tamen deinde benignius judicavit, notatus eſt, quod de induſtria loca quædam V. T. futurum Chriſti adventum nunciantia, in alium ſenſum detorſerit.
50. Sed hanc ſuſpicionem ab eo amolitur Noſter, productis in medium locis, quæ veteres illi præter rationem, tanquam minus candide fideliterque converſa, reprehenderunt. *Onkeloſi* ſive *Onkeli* & *Aquilæ* nomina adeo affinia ſunt, ut pro iisdem habeat Noſter, cum *Onkelos* vox ſit Hebræis extranea, ac præterea O cum
51. A in pronunciatione facile confundatur. Neque tamen inde ſimul conficitur, eundem eſſe, ut nonnulli putant, Chaldaicum Paraphraſten & Græcum Interpretem: quod ut in medio relinquit Noſter, ita Paraphraſin Chaldaicam cum verſione Aquilæ Græca nihil affinitatis habere affirmat. Caput VI *Symmachi interpretationem*
52. perſequitur, & primo quidem loco oſtendit, errare Epiphanium & pugnantia loqui, quando Symmachum ante Theodotionem Scripturam vertiſſe affirmat, quem errorem Autor Synopſeos,

nopſeos, quæ Athanaſio falſo tribuitur, ſenſit, Chronicon vero Alexandrinum & Ado emendavit. Idem cum Epiphanio ſtatuerunt etiam recentiores, interque eos cum Petavio Cl. Editor, qui ex poſterioribus his cogitatis priora, quæ ad Synopſin Scripturæ S. prolata, emendari cupit. pag. 53.

Duas & Symmachum editiones emiſiſſe, tradit Hieronymus in Nahum III, 1, idemque ex diverſis, quæ tanquam Symmachi interdum v. c. ad Jeſ. XLVII, 2, Hoſ. XII, 11 &c. afferuntur, lectionibus colligi poterat, niſi veri foret ſimilius, eum non tam duplicem editionem curaſſe, quam priorem aliquot in locis emendaſſe. Interpretationem ipſam Noſter clariſſimam & elegantiſſimam omnium putat, cum res ut plurimum apte & dilucide exprimat, nec verba ſingula ſcrupuloſe referat, ut Aquila, nec LXX preſſe ſequatur, ut Theodotio, ſed, Hebraiſmos raro ſectatus, vel in difficillimis locis ſenſum legenti ita exhibeat, ut ſtatim intelligatur. 54.

Hinc factum quoque eſt, ut in annis Chronologicis ab Adamo usque ad Abrahamum Hebraici textus, quem unicum ſequendum ſibi propoſuit, annos exprimeret. 55.

Perſpicuitatem illam ſæpe laudant Hieron. & Euſeb. ut hic in Pſ. XLVI, 10, XXI, 31 &c. ille in Amos III, 11, quamvis *Theodoro Heracleotæ* non adeo ſe probarit. 56.

Cap. VII ad editionem *Theodotionis* refertur. Hic a Græcis interdum Θεόδοτος vocatur, & ab Euſebio ac Hieronymo *Ebionita* Chriſtianus fuiſſe traditur, Noſtro vero incredulus potius & Judæus habendus videtur, ex interpretatione ſubdola vaticinii egregii Dan. IX, 26, quæ ita habet: καὶ μετὰ τὰς ἑβδομάδας τὰς ἑξήκοντα δύο ἐξολοθρευθήσεται χρίσμα: pro χριστὸς, cum in Hebræo legatur משיח. Ceterum in verſione ipſa τὰς LXX inprimis ſecutus eſt, unde factum, ut, ubi LXX deficerent, 57.

defectus ille ex Theodotione ſuppleretur. Interdum tamen adoptat interpretationem Aquilæ. Ceteris idem indoctior merito habetur, cum paſſim verba Hebraica, haud difficulter interpretanda, Græcis literis expreſſerit, v. c. Levit. VII, 13 & XIII, 6 &c.

Cap. VIII reliquas editiones, quæ V, VI & VII vocantur, perſtringit, 58.

fateturque Noſter, non conſtare, quo tempore, quibusque autoribus elaboratæ illæ fuerint. Quinta in doliis Hierichunte reperta fuit, teſte Origene apud Euſeb. Hiſt. Eccl. VI, 16. Sexta itidem in doliis inventa Nicopoli tempore Alexandri Severi. Septimam etiam

iam in Hexaplis posuit Origenes, teste Eusebio l. c. unde error Au-
pag. 59. toris Synopseos Scripturæ S. manifestus evadit, qui istam edit. VII cum Luciani Martyris versione confundit, quem securius secutus est Waltonus Prolegom. IX n. 20. *Quinta* illa editio liberior est & paraphrasin quandoque sapit, *Sexta* Christianum habet Autorem, ut patet ex versione Habacuci III, 13, & liberiorem interpretandi rationem secum fert. *Septimam* editionem Judæi hominis fuisse, ex interpretatione Cantici Habacuci probat Noster: illam enim, quæ versioni τῶν ὁ subjuncta est in Hexaplis, esse ex editione VII depromtam ex nota Codicis Barberini, in quo describitur, apparet, quippe quæ monet, eum nec Aquilæ, nec Symmachi, nec Theodotionis esse, & disquirendum restare, num ad Quintam vel Sextam pertineat. Jam vero cum ex fragmentis utriusque constet ad neutram earum pertinere, relinquitur Septimæ. Quodsi jam illius fragmentum cap. III, 13 Habacuci evolveris, videbis, Judaico more versum esse. Atque hac Hexaplari editione Hieronymus ad Vulgatam editionem ita usus est, ut post Hebræum textum Aquilam inprimis & Symmachum, utque illum quidem inprimis in Psalmis & Prophetis majoribus sequeretur, in Prophetis vero minoribus *Quintam* non raro exprimeret. Cap. IX in singulos Scripturæ libros, ut in Hexaplis erant, quædam annotat, simulque monet, quid in unoquoque libro ab ipso Cl. Editore præstitum sit. Quæ quidem omnia in compendium redigi vix possunt, & ex ipsis Prolegomenis peti debent. Sic in Genesi, Leviticо & aliis Pentateuchi libris præter sex Hexaplorum columnas Quinta quoque editio, ut fragmenta fidem faciunt, & Sexta locum habuerunt, lectionibus Samaritani Interpretis, ut & Hebræi cujusdam & Syri Interpretis, marginem occupantibus. Cap. X explicat *notas* ad Hexapla vel Tetrapla spectantes, quæ in MSS. Codd. qui Hexaplorum lectiones præferunt, subinde compendii causa adhibitæ occurrunt. Illarum alias, alibi non inveniendas nec explicatas, diuturna tractatione cognitas sibi reddidit Cl. Editor, aliarum vero, sed paucarum, explicationem assequi hucdum non potuit: utrasque in conspectum profert. Inter cetera, non vulgaria, ostendit notam *ci* Γ passim obviam significare tres Interpretes, nempe *Aquilam*, *Symmachum* & *Theodotionem*, contra

60. 61. 66. 70.

Brianum

Brianum Waltonum in Append. Polyglottorum Anglic. p. 123 confidenter id, allatis etiam argumentis, quæ Noſter ſolide confutat, inficiantem. Cap. XI Hexaplorum apographa ob ſumtuum operæque difficultatem perpauca facta eſſe evincit, ex quo factum eſt, ut plerique lectiones Aquilæ, Symmachi, Theodotionis atque aliæ, quæ majoris momenti videbantur, in marginibus exemplarium τῶν Ο exſcribi ſibi curarent, quod ipſum effecit, ut dum alius aliud in habito delectu annotandum putavit, pauci reperiantur MSS. qui easdem interpretum lectiones exhibeant. Hac occaſione præcipuos Codd. recenſet Noſter, quibus illæ Hexaplorum varietates adſcriptæ fuerunt, ac proxime enumerat commentarios Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui Hexaplis uſi ſunt, ipſique una cum Codd. MSS. laudatis, illum veterum interpretationum apparatum ſuppeditarunt. Hi ſunt *Pamphilus*, *Euſebius Pamphili*, *Athanaſius*, *Chalcidius*, *Aſterius*, *Didymus*, alii plures, quorum agmen claudit *Euthymius*. Ultimo loco diſquiritur, quo tempore Hexapla perierint; cumque certum videatur, primigenium illud Tetraplorum & Hexaplorum Origenis exemplar in celebri Bibliotheca Pamphili Martyris remanſiſſe, quam nota quædam Codicis Coisliniani antiquiſſimi memorat, relinquitur, illud cum ipſa Bibliotheca periiſſe, cum urbs a Perſis ſub Cosroe capta fuit, aut non diu poſtea, cum in Arabum poteſtatem delapſa eſt. pag. 73. 74. 76.

Hæc Prolegomena ſequuntur ἀνέκδοτα ad veteres Scripturæ interpretationes pertinentia, primum *Origenis* ipſius ex Codice Regio n. 1807 deſcriptum, alterum ejusdem ex Cod. Vatic. n. 754 ſub titulo: ὑπόμνημα Ωριγένους εἰς τὸς ψαλμὸς, tertium ejusdem ex Cod. Regio n. 1818, ubi de veteribus Hebræorum characteribus agitur, quos alios ab hodiernis, ſuæ ſcilicet ætatis, fuiſſe affirmat. Quartum eſt *Epiphanii* de LXX Interpr. ex 2 Codd. *Regio* & *Vatic.* deſcriptum & epitomen comprehendens eorum, quæ idem in libro de ponderibus & menſuris tradidit. Singula illa cum verſione Latina exhibentur ordine commemorato usque ad p. 91. Calcem denique claudunt veterum Scriptorum Græc. & Latin. de Interpretibus illis teſtimonia. Sequuntur deinde ipſa Hexaplorum fragmenta, quod ad Tomum I, qui præter Pentateuchum, librum Joſuæ, Judicum, Ruth; quatuor Regum libros & Paralipomenon duos, 77.

Jobi item & Pſalmorum complectitur, ac præterea in Appendice exhibet fragmenta & notas ex Codice Coisliniano antiquiſſimo in libros Pentateuchi, Joſuæ, Judicum & Ruth collectas, quippe cujus copia poſtliminio ipſi facta eſt. primo ceteroquin loco ob vetuſtatem & marginalium notarum præſtantiam collocandi. Ipſius itaque Operis hæc forma eſt, ut caput I Geneſeos totum, ſpecimînis cauſa per ſex columnas Origenianas diſpoſitum, primo Hebraicum contextum Hebraicis, deinde eundem Græcis literis, hinc Aquilæ, poſtea Symmachi, porro τῶν ο ac denique Theodotionis verſionem exhibeat, verſione Lat. ſingulorum ſub textu collocata. Eodem modo Cl. Fabricius idem caput repræſentavit in Biblioth. Græcæ lib. III p. 346. In ſequentibus capitibus ea ſolum loca a Noſtro cum verſione Latina e regione poſita afferuntur, quorum interpretatio vel ſecundum Aquilam vel ſecundum alios reperta fuit, ita ut lectiones illæ cum Hebr. LXX Interpr. & Vulgata comparatæ oculis offerantur. Ubi vero plures Interpretes eodem modo verterunt, verſio ſemel tantum memoratur nominibus ſingulorum per primam literam expreſſis. Hebraici textus verſio Latina petita eſt ex Interpretatione Santis Pagnini vel Ariæ Montani, niſi ubi utraq; nimis eſt barbara. Aſteriſcos & Obeliſcos appoſuit Noſter, ubi in MSS. notatos deprehendit, in ceteris non item. Singulis capitibus notæ ſubjectæ ſunt, ubi primo monetur, unde lectiones veterum Interpr. ſint deſumtæ, & ſi qua ad aſſerendam veram lectionem ſuppetant, afferuntur. Adjiciuntur quoque loca ſelectiora Patrum, ea inprimis, quæ tanquam fragmenta Operum deperditorum ex Catenis MSS. tantum excerpi potuerunt. Ex Druſianis notis, quæ interdum γραμματικώτεραι ſunt, utiliores ſuis interſperſit Editor. Inter fragmenta, quæ commemoravimus, non contemnendum illud Diodori eſt, quod ad Geneſ. c. I, 1 p. 14 ex Cod. Reg. 825 affertur, quodque prima illa Moſis verba Philoſophis Barbaris, qui ipſius ætate cœlum & terram omnium rerum cauſam ſtatuerint, oppoſita eſſe ſtatuit. Ita p. 24 locum Origenis bene longum eundemque ineditum de arcæ forma affert: p. 30 diverſorum loca, quæ Abrahamum עִבְרִי i. e. περάτην, tranſitorem, dictum tradunt, ex MSS. Catenis producit. Hujusmodi plura recenſeri poterant, ſi inſtituti noſtri ratio pateretur. Hoc itaque monuiſſe

monuiſſe ſuffecerit, ex Schedis Combefiſianis ſæpius loca ejusmodi ἀνένδοτα transferri, v. c. p. 44 ad Gen. XXXVI, 24, ubi de inventis הימם ſermo eſt.

Tomus II luculenti hujus Operis præter libros Biblicos ceteros, eadem ratione per fragmenta Hexaplorum notasque illuſtratos continet notas aliquot poſteriores ad Tomum II pertinentes pag. 390 ſeq. Has ſequitur p. 294 ſeq. disquiſitio de eo, quomodo veteres Interpr. Hebraice legerint, quæ præmittitur Lexicis duobus, quorum prius Hebraicum voces Hebraicas exhibet cum interpretationibus veterum, quæ in Fragmentis Hexaplorum occurrunt, additis ſimul illis, quas Lexicographi recentiores illis vocibus tribuerunt. Poſterius Græcum verba præcipua repræſentat, quibus Aquila, Symmachus, Theodotio aliique in editt. ſuis uſi ſunt. Addita vero illis ſunt verba Hebraica, quæ iis reſpondent. Utrumque Lexicon optimo & utiliſſimo conſilio concinnatum eſt, cum hoc modo intelligatur, quas veteres illi ſignificationes, quamque diverſas eidem voci Hebr. ſubjecerint, ne de aliis commodis dicamus. His igitur Lexicis ea, quam diximus, disquiſitio præmittitur, propterea quod vel Hieronymi teſtimonio conſtat, magnum interceſſiſſe inter veteres & recentiores in lectione diſcrimen, id quod tum de literis tum de vocalibus ordine probat Noſter. Ita v. c. de א monet, Euſebium legiſſe αλφ, Cod. Jeſ. αλφα, Alphabetum Murbacenſe ALEPH, Hieronymum vero Quæſtionibus in Geneſin obſervare, literam illam ſæpe per *e* ſæpius vero per *a* legi. Aliquando etiam per *o* lecta deprehenditur, ut 3 Reg. I, 5 ארניה LXX Ογιλας. Sic ב Euſeb. & MSS. Jeſ. Καφ exprimunt, ab Interpretibus etiam adſpiratur ſemper. Quod ad vocales, magna inter veteres Int. & Maſorethas legendi varietas deprehenditur, ut ubi illi *a*, hi *e* legant, & viciſſim. Sic 1 Reg. XVII, 18 Maſoretha *arubath*, Aquila ἐρεβὰ legit, ‖ viciſſim Malach. II, 13 Maſorethæ legunt *Caſſoth*, Græci Int. χεσσεθ. In affixo ך veteres Interpretes non *ca* ſed *ac* legiſſe, patet ex Pſal. XLIV, 8, ubi Græci habent ἐλωὰχ pro אלהיך &c. Scheva ab initio Græci ſæpe non legerunt, & frequenter pro Scheva initiali eam vocalem adhibent, quæ in ſequenti ſyllaba habetur, ut Gen. XIV, 5 pro *Rephaim* legunt ῥαφαείμ; Levit. XIX, 27 pro *Pheath* habent φαάθ. Hæc & alia antea vix obſer-

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

vata ibidem leguntur, quæ ex ipſo fonte Lectorem harum rerum ſtudioſum haurire juvabit.

LEXICON ANTIQUITATUM ROMANARUM, in quo Ritus & Antiquitates cum Græcis ac Romanis communes, tum Romanis peculiares, ſacræ & profanæ, publicæ & privatæ, civiles ac militares, exponuntur; Autore SAMUELE PITISCO.

Volumina II.

Leovardiæ, excudit Franciſcus Halma, 1713, fol. maj. Alph. 24 plag. 8 & tab. æn. 8.

MAgna hactenus laus, inſignia fuere in elegantiores literas merita Clariſſimi Viri, Samuelis Pitisci, a quo illuſtratos ſingulari ſtudio præclaros Scriptores, Curtium ac præcipue Suetonium, inter optimas facile editiones & ad uſum accommodatiſſimas experiuntur, quotquot eas evolvunt: ne dicamus de ejus Aurelio Victore, & Lexico elaboratiſſimo Latino Belgico, recenſitisque ab eo Roſini Antiquitatibus Romanis, & Franciſci Pomey Pantheo mythico, jam ſextum recuſo, quæ omnia de ejus induſtria, accuratione ac doctrina ſatis ſuperque teſtantur. Præſenti autem ſtupendi annorum decem laboris & utilitatis maximæ opere, quod jam, ut ex effigie Autoris priori Volumini præmiſſa apparet, annos quinque & ſeptuaginta natus Orbi literato offert, non modo longiſſime poſt ſe reliquit alios Lexicorum hujusmodi ſcriptores, *Janum Laurenbergium* in Antiquario, Lugd. 1622, 4, *Jo. Adamum Schillium* in Nomenclatura Philologica, Iſnaci 1682, 8, *Jo. Georgium Schielen* in Aurifodina, Ulmæ 1679, 4, *Fried. Hildebrandum* in Antiquitatibus Romanis ordine digeſtis Alphabetico, & poſt primam editionem, Jen. 1657, 8, decies amplius recuſis: *Joſephum Laurentium* libro V & VI Polymathiæ, Lugd 1666, fol. *Matthiam Zimmermannum* in florilegio Philologico, Miſenæ 1687, 4, & *Petrum Danetium* in Lexico Antiquitatum Græcarum Romanarumque, Amſtelod. 1701, 4: verum etiam ſe ipſe ita vicit atque exſuperavit, ut ſi nihil aliud per omnem vitam egiſſet, plus tamen videri poſſet ad commoda ſtudioſorum hominum contuliſſe, quam multi alii, qui totam

tam ætatem in literis contriverunt, & ſcriptis multis atque locupletibus famam ſibi peperere & laudem. Ratio operis totius, quale Lipſius olim molitum ſe eſſe materia ad illud per ſex & viginti annos congeſta fuit teſtatus, ſed elaborare omiſit, quodque jam Pitiſco autore perfectum a Franciſco Halma, qui ante decennium illi natalem ſuum quartum & ſexageſimum inter familiares celebranti ſpartam hanc ornandam detulit, ſumtusque ſplendide & emendate excudendo liberaliter impendit, conſecratum eſt invicto Eugenio, Sabaudiæ Duci, ita ſe habet. Ex omni Antiquitate Romana (non Chriſtiana præſertim) nihil eſt prætermiſſum quod cognitione dignum ſit, & expoſitione indigeat, quod non ſuo quodque loco per literarum ordinem deſcriptum & perſpicuis verbis illuſtratum in hoc Lexico legatur, allegatis ſtatim magna cura & induſtria in teſtimonii fidem jam locis ipſis ſelectis veterum Autorum, vel productis quæ rem declarent, aut declarentur ipſæ, antiquis Inſcriptionibus, jam ſcriptoribus recentibus qui a duobus abhinc ſeculis in Antiquitate Romana illuminanda deſudarunt, non tantum his qui in utroque Theſauro Græviano & Gronoviano leguntur, ſed aliis etiam infinitis. Allegationes ita ſunt ubique accuratæ ac definitæ, ut Lectorem tædio diu quærendi liberent, & non modo volumen, ſed caput & paginam deſignent. Populorum quoque & civitatium, quarum in Romana Hiſtoria frequentior occurrit mentio, nomina & ſitus ſuo quæque loco explicantur. Non raro etiam obiter vel emendantur veteres ſcriptores, vel notantur verbo hallucinationes virorum doctorum, qui a vero ſenſu vocum, quas Autor illuſtrat, aberrarunt. Itaque & Index locuples eſt præmiſſus Autorum, qui vel emendantur, vel notantur, vel explicantur. Præter icones ad ornamentum & ſplendorem operis in limine pulchre deſcriptas ære, præfationi ſubjuncta eſt imago pavimenti teſſellati A. 1712 in Britannia reperti, in quo Bacchus Leoni inſidens conſpicitur. Ad vocabulum *Barba*, integrum *Antonii Hotomanni* de barba dialogum, qui Antwerpiæ A. 1586 lucem vidit, & raro obvius erat, inſeruit. In Etymologia & notatione nominum, quam initio præmittere ſingulis vocibus inſtituerat, de induſtria parcior eſt, Antiquitates,

quas

quas in Etymologico ſuo magnus Voſſius attigit, in Lexicon ſuum tranſtuliſſe contentus.

STUDIO D' ARCHITETTURA CIVILE &c.

i. e.

ARCHITECTURÆ CIVILIS STUDIUM IN ornamentis portarum, & feneſtrarum, delineatis ex inſignioribus Romæ ædificiis; cum dimenſionibus &c. editore DOMINICO DE ROSSI.

Pars I.

Romæ, ad ſignum Pacis, 1702, f. ch. reg. auguſtiſs.
Conſtat figuris æn. 143 nitidiſſimis.

ETſi titulus hujus operis annum exhibeat 1702, ſatis tamen compertum nobis eſt, id errore quodam contigiſſe, librumque anno demum 1712 prodiiſſe. Splendidum imprimis eſt & elegans opus, illis profuturum maxime, qui non contenti commode ac ſolide habitationes ſuas conſtruxiſſe, ornamentis etiam indulgere, & ex celebrium Architectorum operibus, quæ ſibi conveniant, ſeligere cupiunt. Aliis proderit ad artis incrementa, & quibus autoribus variationes ejus introductæ ſint, cognoſcenda. Complectitur vero varia monimenta Michaelis Angeli Buonarruoti, ejusque diſcipuli Jacobi del Duca, Joh. Laurentii Bernini, Franciſci Borromini, Johannis & Caroli Fontanæ, Antonii de S. Gallo, Alexandri Gaulli, Domenici Zampieri, Camilli Arcucci, Johannis Mariæ Barattæ, Petri de Cortona Berretini, Antonii Labacco, Caroli Maderno, Sanctii Raphaelis Urbinatis, Caroli Rainaldi, Joh. Antonii & Matthiæ Roſſi, Nicolai Sebregundii & Horatii Turriani. Poſtquam enim illuſtria Romæ ædificia integra jam pridem cælo expreſſit diligentiſſimus Editor, minores illorum partes, quæ unitæ ſymmetria ſua ac ordine oculos oblectant, ſigillatim exhibere voluit, ut artificum ingenium etiam in portarum ac feneſtrarum ornamentis oſtenderet. Tranſtulit icones ab operibus, quæ in palatiis, Pamfilio, Barberino, Chigio, Farneſio, aliisque, in baſilica Lateranenſi, & Pelrina, in collegiis ſapientiæ, propagandæ fidei, aliisque plurimis conſpicua ſunt, nec non a portis aliquot Urbis Romæ. Peraque Alexander

xander Specchi delineavit, ita quidem ut ſingulorum membrorum proportio ac figuræ etiam in ſuperliminaribus & portibus aperturarum, in arcubus item & frontiſpiciis optime diſcerni poſſint. Magna apparet in una re diſponenda ornandaq; varietas, & cum ars jam non amplius ſufficeret, ingenium ſecuti Architecti, ab illa ſimplicitate, tam ſollicite ab antiquis obſervata, ſenſim receſſerunt. Condonari debet hominum ſemper aliquid novi habere cupientium curioſitati, quod neglecta eſt Vitruvii regula, nihil admittentis, cujus ratio reddi nequit, & quod pro ratione oculorum ſubinde judicium fuit. Quod quoniam non idem eſt omnibus, multis interdum diſplicent, quæ paucis probantur. Ejus generis ſunt columnæ, poſtesve, qui ad nullum Architecturæ ordinem referri poſſunt, & figuris pro arbitrio inventis, quasque Galli *grotesques* vocant, inſigniuntur, cujus generis exempla Nicolaus Sebregundius tab. 125 & Joh. Bapt. Creſcentius tab. 128 reliquit. In columnarum etiam, quæ ſimpliciſſimæ ſolent eſſe, capitulis exornandis ingenii fœcunditatem mire exercuerunt ſculptores. Non licet nobis per minutias ire: annotamus tamen Angeli Buonaruotti diſcipulum, J. del Duca, capitulo Jonico ſeriem foliorum inſeruiſſe, tab. 6, quod & Joh. Laur. Bernini fecit tab. 56, 57, & Joh. Maria Baratta 126. Contra Franciſcus Borromini capitulo Compoſito tab. 63 IV volutas ab eodem latere addidit, quales in Jonico ſolent occurrere. Debentur eidem Roſſio præter alia iconum volumina, inter quæ inſigne illud Statuarum, de quo in his Actis A. 1707 pag. 385, multæ hortorum, ſacellorum, altarium, fontium delineationes, & huic ipſi operi, præter ea quæ titulus promittit, immiſcuit tab. 43 typum cochleæ, præclari operis, in qua Franciſcus Borromini axis vice adhibuit columnas Toſcanas conjugatas cum Stylobatis, mutuo ſibi ſuperimpoſitas. Duo etiam camini occurrunt, alter tab. 97, alter tab. 127, & hic quidem peculiari modo eodem autore diſpoſitus.

JACOBI BERNOULLI, PROFESSORIS Baſileenſis & utriusque Societ. Reg. Scientiar. Gall. & Pruſſ. Sodal. Mathematici celeberrimi, Ars Conjectandi. Opus poſthumum. Accedit Tractatus de ſeriebus infinitis & Epiſtola Gallice ſcripta de ludo pilæ reticularis.

Baſileæ, impenſis Thurniſiorum Fratrum, 1713, 4.
Conſtat Alph. 1 plag. 22.

PRodiit demum ſub finem anni præcedentis opus ingenioſiſſimum celeberrimi *Bernoulli* ſenioris, de arte conjectandi, plurimorum hactenus votis expetitum, ex quo tum in Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum A. 1705, tum in Diario Eruditorum Pariſino A. 1706, tum etiam in his Actis A. 1709 p. 463, ejus facta eſt mentio, inprimis quod Analyſeos ad quæſtiones morales, politicas & civiles circa fortuitas rerum eventus applicatio in eodem contineri perhiberetur. Quamvis autem ingenioſiſſimus Autor partem quartam, quæ hunc uſum oſtenſura erat, præmatura morte impeditus, imperfectam reliquerit; multa tamen in hoc opere deprehendent ex ſublimiorum cognitione voluptatem capientes, quæ ſitim ſciendi abunde reſtinguere poterunt. Quoniam Vir ſummus *Hugenius* fundamenta artis conjectandi primus expreſſius docuit in Tractatu ingenioſiſſimo de Ratiociniis in ludo aleæ, inter Exercitationes Mathematicas *Franciſci Schootenii* primum in lucem edito (etſi ſpecimina ante ipſum dederint in Gallia Mathematici inſignes, ut indicavimus in Actis A. 1709 p. 462, & *Hugenius* pro eo, qui viros eruditos decet, candore in præfatione ad Tractatum ſuum ipſe confitetur). Noſtro commodum viſum eſt Tractatum *Hugenianum* inſtar introductionis operi ſuo præmittere. Enimvero cum egregiis annotationibus, in quibus *Hugeniana* non modo illuſtrantur & nova ratione plerumque demonſtrantur, verum etiam ſubinde promoventur, eandem locupletaverit; merito is primam operis *Bernoulliani* partem abſolvit. Speciminis loco afferimus tres propoſitiones priores, in quibus totius Artis fundamentum exponitur. Earum prima hæc eſt: *Si a vel b exſpectem, quorum utrumvis æque facile mihi obtingere poſſit, exſpectatio mea dicenda eſt valere* $(a+b)$: 2. Hanc alio magis populari & ad cujusque captum accommodato ratiocinio demonſtraturus *Bernoullius*, aſſumit unumquemque tantundem exſpectare dicendum eſſe, quantum infallibiliter obtenturus ſit, & hinc ita ratiocinatur: Cogitemus, inquit, quendam alteram manu occultaſſe 3 ſolidos ſeu *a*, altera 7 ſolidos ſeu *b*: alteri-,, que mecum permittere, ut unus quod in una, alter quod in altera,, manu eſt, accipiamus: qua ratione fiet, ut ſimul ambo infallibiliter

liter conſecuturi ſimus, ac proinde exſpectare debeamus, id quod,' in utraque manu reconditum eſt, nempe *10* ſolidos ſeu $a+b$. Sed,' concedendum quoque eſt, utrumque noſtrum æquale jus habere,' in hoc quod exſpectamus. Quare conſequitur, exſpectationem,, totalem in duas æquas portiones dividendam eſſe & quique tribu-,, endum ſeorſim dimidium exſpectationis totalis, i.e. *5* ſeu $(a+b):2$.,, Monet præterea, vocabulum exſpectationis in arte conjectandi ita accipi, ut per ejus valorem aliquid intermedium inter optimum, quod ſperamus & peſſimum, quod metuimus, ſignificet. Propoſitio ſecunda [*ſi a, b vel c exſpectem, quorum unumquodque pari facilitate mihi obtingere poſſit, exſpectatio mea æſtimanda eſt* $(a+b+c):3$] a Noſtro ſic oſtenditur: Fingamus, inquit, tres eſſe loculos, in,, quorum uno reconditum ſit a, in altero b, in tertio c, mihique,, cum duobus aliis poteſtatem fieri, ut quisque pro ſe loculum ac-,, cipiat, ſervetque quod inibi reperit: ſic fiet, ut omnes tres acci-,, piamus omnes loculos, habeamusque quicquid in iis reconditum,, eſt, ſcilicet $a+b+c$. Unde cum dici nequeat, unum altero,, potiorem ſpem habere, conſequens eſt uniuscujusque exſpectatio-,, nem ſeorſim æquivalere tertiæ parti hujus aggregati, videlicet,, $(a+b+c):3$. Propoſitionem denique tertiam, quæ generaliter enunciat, *ſi numerus caſuum, quibus mihi eveniet a, ſit p, numerus autem caſuum, quibus mihi eveniet b, ſit q, ſumendo omnes caſus æque in proclivi eſſe, exſpectatio mea valebit* $(pa+qb):(p+q)$, hoc ratiocinio confirmat: Ponamus, inquit, tot una mecum eſſe col-,, luſores, quot ſunt in univerſum caſus, nimirum $p+q$, ſingulisque,, ſingulos evenire caſus; quo fit, ſi totidem concipiantur loculi, &,, in ſingulis reconditum intelligatur, quantum unoquoque caſu ac-,, quiritur, videlicet in ſingulis p loculorum a & in ſingulis q locu-,, lorum b; ſinguli jam colluſores accipiant ſingulos loculos, uni-,, verſi ergo accipient omnes, obtinebunt que infallibiliter, quicquid,, in loculis reconditum eſt, id eſt, $pa+qb$. Igitur cum omnes,, exſpectant æqualiter, diſtribuendum erit, quod univerſi accipient,, per numerum colluſorum ſeu caſuum, ſic ut ſingulorum exſpecta-,, tio fiat $(pa+qb):(p+q)$. Atque eadem ratione oſtendetur, ſi,, mihi p caſibus eveniat a, q caſibus b & r caſibus c, ſortem meam,, fore $(pa+qb+rc):(p+q+r)$. Obſervat præterea, hanc regu-

lam coincidere cum *regula alligationis* Arithmeticorum. Dum ſub finem Tractatus *Hugeniani* quinque problemata ſolvit, quæ ſuppreſſa analyſi ad exercendum lectoris ingenium coronidis loco adjecerat *Hugenius*, inter alia quoque ſeriem infinitam demonſtrat, qua problema quoddam de ſorte allatorum in Actis A. 1690 pag. 223 ſolvit, & methodum generalem talia plura ſolvendi, quam ad propoſ. 12 *Hugenii* aperuerat, variis exemplis aliis illuſtrat.

Ex hactenus dictis apparet, ad ſolutiones problematum circa fortuitos rerum eventus apprime opus eſſe, ut omnium caſuum poſſibilium numerus inveniatur eorumque varietas diſtinguatur: quod cum plerumque ſine regulis Actis combinatoriæ fieri non poſſit, plenum vero ejus ſyſtema hactenus deſideratum fuerit; ideo Autor parte ſecunda hoc argumentum plenius pertractat, quam ab aliis factum, & novis quoque inventis paſſim auget. Agit autem primo loco de permutationibus, hoc eſt, de variationibus, juxta quas ſervata eadem rerum multitudine ordo ſitusque inter ipſas diverſimode permutatur. Tradit de his more conſueto duplicem regulam: prior ſatisfacit, ſi res nullæ ſint eædem; poſterior vero, ſi earum nonnullæ ſint eædem. Ad regulam poſteriorem inter alia exempla apparet hexameter a *Bernhardo Bauhuſio* Jeſuita Lovanienſi in laudem B. Virginis conſtructus: *Tot tibi ſunt dotes, Virgo, quot ſidera cœlo.*

Cum enim *Erycius Puteanus* in libello, quem Thaumata Pietatis inſcripſit, & qui eum ſequitur *Gerhardus Voſſius* c. 7 de ſcientiis Mathematicis 1022, *Preſtetus* in priori editione Elementorum Mathematicorum p. 348, 2196 & in altera editione p. 133 Tomi prioris 3276, qui denique in his Actis Tractatum *Wallifianum* de Algebra recenſuit, 2580, ipſe autem *Wallifius* in Latina ejusdem editione (cum in Anglica nihil determinare fuiſſet auſus) 3096 variationes utiles ejusdem aſſignent; Noſter oſtendit, eum excluſis ſpondaicis, admiſſis vero iis, qui cæſura deſtituti ſunt, ſalva metri lege omnino ter millies ter centies ac duodecies variabilem eſſe. A permutationibus ad combinationes progreditur, hoc eſt, ad conjunctiones, juxta quas ex data rerum multitudine nonnullæ eximuntur, interq; ſe conjunguntur, nullo ordinis ſitusve ipſarum reſpectu habito. Explicata regula, quæ pro inveniendis omnibus combinationibus tradi ſolet,

ſolet, ſi res omnes ſunt diverſæ, ad numeros figuratos delabitur laterales puta, triangulares, pyramidales & generalem regulam eos inveniendi ſeu ſummandi exhibet, ſicque inutilem judicat operam *Ismaelis Bullialdi*, quam in Arithmeticam infinitarum impendit, immenſo nempe labore tantum priorum ſex poteſtatum ſummationes demonſtrans. Expendit etiam alios caſus, ubi multæ rerum combinandarum ſunt eædem, nec negligit combinationes & permutationes mixtim ſpectatas.

Quantus doctrinæ hujus de permutationibus & combinationibus in arte conjectandi ſit uſus, multis problematibus circa varios ludos parte tertia luculenter oſtendit. Hæc inter comparet æſtimatio ſortis in ludo, qui dicitur *Cinq & neuf*; in ludo chartarum, quem vulgo *Trijaques* appellant; in alio chartarum ludo, cui capriludii (das Bockſpiel) eſt nomen; in ludo Baſſetæ; in alea teſſerarum cœcarum circulatoribus ſolennium. Fundamentum ſolutionis generale in eo conſiſtit, ut omnes permutationes vel combinationes, quarum materia ſubjecta capax eſt, pro totidem caſibus æque poſſibilibus habeantur, utque diligenter attendatur, quot horum caſuum huic illive colluſori faveant vel adverſentur; unde vi propoſitionum *Hugenianarum* ſuperius adductarum æſtimatio ſortis eruitur. Sed non parum ſæpius difficultatis habet horum præceptorum generalium applicatio, & hanc quoque, ſicut omnem aliam artem, exemplis potius quam præceptis exerceri conſultiſſimum.

Ejusdem doctrinæ de permutationibus uſum in civilibus, moralibus & œconomicis monſtrare decreverat Parte quarta. Sed præter fundamenta, quibus tam auguſtum ædificium ſuperſtrui debebat, & quæ non cuivis ponere datum eſt, nihil comparet: quia Autor morte præventus exempla addere non potuit. *Nicolaus* itaque *Bernoullius*, defuncti agnatus, qui Præfationem præmiſit, nobiliſſimum *Montmortium* & Cl. *Mœivræum*, quorum uterque hujus Artis ſpecimina dedit, rogat, ut ſuis meditationibus hunc defectum ſupplere dignentur. Sed agedum videamus, quænam ſint illa fundamenta, quæ Noſter poſuit. Præmittuntur quædam præliminaria de certitudine, probabilitate, neceſſitate & contingentia rerum. Notat Cl. Autor, *certitudinem* ſpectari vel objective, vel ſubjective.

ctive. Illa ſignificari veritatem exiſtentiæ aut futuritionis rei; hanc vero conſiſtere in menſura cognitionis noſtræ circa hanc veritatem. *Probabilitatem* eſſe gradum certitudinis & ab hac differre ut partem a toto. E. gr. ſi certitudo integra quinque partibus conſtet, earumque tres militent pro futuritione alicuius eventus; hunc quidem habere $\frac{3}{5}$ certitudinis. Unde *probabilius* dici, quod majorem certitudinis partem habeat, ut in poſitivo id demum *probabile* audiat, quod ſemiſſem certitudinis notabiliter ſuperet. *Poſſibile* eſſe, quod vel tantillam certitudinis partem obtineat, *impoſſibile*, quod nullam habeat aut infinite parvam. Ita poſſibile eſſe, quod $\frac{1}{20}$ aut $\frac{1}{30}$ certitudinis habeat. *Moraliter certum* eſſe, cujus probabilitas fere æquetur integræ certitudini, ſic ut defectus ſentiri nequeat: *moraliter impoſſibile eſſe*, quod tantum duntaxat probabilitatis gradum habeat, quantum moraliter certo ad omnimodam certitudinem deeſt. *Neceſſarium* eſſe, quod non poſſit non eſſe, fore aut fuiſſe, idque neceſſitate vel phyſica, vel hypothetica, vel pacti ſeu inſtituti. *Contingens* eſſe, quod poſſet non eſſe, fore aut fuiſſe. *Contingentiam* reſpicere potiſſimum cognitionem noſtram, in quantum nos nullam repugnantiam videamus in objecto ad non eſſe vel fore, etiamſi hic & nunc vi cauſæ proximæ, ſed nobis ignotæ, neceſſario ſit vel fiat. *Fortunam* denique vocat Noſter, cum nobis bonum vel malum obtingit, quod probabilius aut ſaltem æque probabiliter non poterat obtigiſſe. His notionibus utcunque evolutis ulterius explicat, quid ſit ſcire, quid conjicere, quid ipſa ars conjectandi. *Sciri* nempe vel *intelligi* dici ea, quæ certa ſunt & indubia: cetera omnia *conjici*. Rem aliquam *conjicere* idem eſſe ac probabilitatem ejus metiri, atque hinc *artem conjectandi* ſeu *ſtochaſticen* eſſe artem metiendi, quam fieri poteſt, exactiſſime probabilitates rerum, eo fine ut in judiciis & actionibus noſtris ſemper eligere vel ſequi poſſimus id, quod melius, ſatius, tutius aut conſultius fuerit deprehenſum. Probabilitatem æſtimandam eſſe inculcat & ex numero, & ex pondere argumentorum ſeu vi probandi. *Argumenta* eſſe vel *intrinſeca* ſeu *artificialia*, ex locis topicis cauſæ, effectus, ſubjecti, adjuncti, ſigni aut alterius cujusvis circumſtantiæ deſumta; vel *extrinſeca* ſeu *inartificialia* ab autoritate & teſtimonio hominum petita. Antequam vero argumentorum indolem & pondera diſtinctius

ex-

explicat, axiomata quædam generalia profert, quibus in metiendis probabilitatibus ſit utendum & quorum numerus propria uniuſcujusque experientia facile augeri poſſit. Nimirum 1 conjecturis non eſſe debere locum in iis, de quibus omnimodam certitudinem aſſequi licet. 2 Non ſufficere, ut unum alterumve argumentum expendatur, ſed conquirenda eſſe omnia, quæ in cognitionem noſtram venire poſſunt atque ullo modo ad probationem rei facere videntur. 3 Non tantum illa eſſe attendenda, quæ rei probandæ conducant; ſed & omnia illa, quæ in contrarium adduci poſſunt, ut trutinatis probe utrisque conſtet, utra præponderet. 4 Ad judicandum de univerſalibus ſufficere argumenta remota & univerſalia; ſed ad conjecturas formandas de individuis propiora quoque & ſpecialia adjungenda eſſe, ſi modo haberi poſſint. 5 In rebus incertis & dubiis actiones noſtras ſuſpendendas eſſe, donec major lux affulſerit; ſed ſi occaſio agendi nullam patiatur moram, inter duo ſemper eligendum eſſe id, quod convenientius, tutius, conſultius aut probabilius videtur, etſi neutrum in poſitivo tale ſit. 6 Quod aliquo caſu prodeſſe, nullo nocere poteſt, præferendum eſſe illi, quod nullo vel profit, vel noceat. 7 De actionum humanarum pretio non ſtatuendum eſſe ex eventu. 8 In judiciis noſtris cavendum, ne rebus plus tribuamus quam par eſt, neque quod probabilius eſt ceteris, pro abſolute certo habeamus ipſi aut obtrudamus aliis. 9 Cum raro admodum omnimodam certitudinem aſſequi liceat, quod moraliter tantum certum eſt, pro abſolute certo habendum. Jam quod argumenta attinet, quibus conjectura generatur, triplex in iis diſcrimen annotat Cel. Autor. Quædam ſcilicet neceſſario exiſtere & contingenter indicare; alia contingenter exiſtere & neceſſario indicare; alia denique & contingenter exiſtere, & indicare. Ulterius eadem diſtinguit in *pura* & *mixta*: quorum illa in quibusdam caſibus rem ita probant, ut in aliis nihil poſitive probent; hæc vero rem ita probant, ut in ceteris probent contrarium. *Vim probandi* ſeu *pondus* deducit a multitudine caſuum, quibus argumentum exiſtere vel non exiſtere, indicare vel non indicare aut etiam contrarium rei indicare poſſe, adeoque per propoſitiones *Hugenianas* ex caſibus iſtis probabilitatem non aliter elici, quam ſortes aleatorum in ludis aleæ.

Hinc

Hinc ſi numerus caſuum, quibus argumentum exiſtere poteſt, ſit b; numerus vero caſuum, quibus fieri poteſt, ut non exiſtat c; amborum $a = b + c$; item numerus caſuum, quibus contingere poteſt ut indicet, $\mathfrak{G}$; ut non indicet, aut indicet rei contrarium, γ; amborum $\alpha = \mathfrak{G} + \gamma$: argumentum contingenter exiſtens & neceſſario indicans probaturum $(b' + c^0) : a$ ſeu $b : a$ certitudinis rei; argumentum neceſſario exiſtens & contingenter indicans probaturum $(\beta' + \gamma^0) : \alpha$, hoc eſt, $\beta : \alpha$ certitudinis rei, atque inſuper, ſi ſit mixtum, $(\gamma' + \beta^0) : \alpha = \gamma : \alpha$ certitudinis contrarii; argumentum contingenter exiſtens & contingenter indicans probaturum $(b.\beta : \alpha + c^0) : a$, hoc eſt, $b\beta : a\alpha$ rei & $(b.\gamma : \alpha + c^0) : a$, hoc eſt, $b\gamma : a\alpha$ contrarii. Si plura concurrant argumenta ad ejusdem rei probationem vocenturque

numeri caſuum argumenti	pr.	ſec.	tert.	quart.	quint. &c.
omnium	a	d	g	p	s &c.
probantium	b	e	h	q	t &c.
non probantium aut probantium contrarium	c	f	i	r	u &c.

„vim probandi ſic elicit. Sint, inquit, omnia argumenta pura; erit „primi ſeorſim ſpectati pondus $b : a = (a - c) : a$ [vocando ſic β: „α, ſi contingenter indicet; aut $b\beta : a\alpha$, ſi ſimul contingenter „exiſtat.] Accedat nunc alterum argumentum, quod e vel $d - f$ „caſibus probat rem ſeu 1, & f caſibus nil probat, ſolumque adeo „pondus primi argumenti, quod oſtenſum eſt eſſe $(a - c) : a$, effi„cax relinquit: valebit pondus ex utroque argumento conflatum „$[(a - f)' + f(a - c) : a]\, d = (ad - cf) : ad = 1 - cf : ad$ „rei. Jungatur & tertium: erunt h ſeu $g - i$ caſus, qui probant „rem, & i caſus, quibus nullum eſt argumentum, ſolaque duo pri„ora vim ſuam probandi $(ad - cf) : ad$ retinent: unde vis omni„um trium eenſetur $[(g - 1)' + i.\ (ad - cf) : ad] : g = (adg$ „$- cfi) : adg = 1 - cfi : adg$, & ita deinceps, ſi plura fuerint argu„menta. - - Sint omnia argumenta mixta. Quoniam nume„rus caſuum probantium primi argumenti eſt b, ſecundi c, tertii „b &c. & probantium contrarium c, f, i &c. probabilitas rei ad pro„babilitatem contrarii vi ſolius argumenti primi ſe habet ut b ad c, „& vi ſolius ſecundi ut e ad f; & vi ſolius tertii ut h ad i &c. unde ſat

evidens

evidens eſt, quod vis probandi totalis ex omnium argumentorum, concurſu reſultans componatur ex viribus omnium argumentorum particularium, i. e. quod probabilitas rei ad probabilitatem, contrarii ſe habeat in ratione beh &c. ad cfi &c. adeo ut probabilitas abſoluta rei ſit $beh : (beh + cfi)$ & probabilitas abſoluta, contrarii $cfi : (beh + cfi)$. Sint quædam argumenta pura (velut, tria priora) & quædam mixta (ut duo reliqua). Conſidero primo, ſola pura, quæ probant $(adg - cfi) : adg$ certitudinis rei, defectu, ad unitatem exiſtente $cfi : adg$; ſunt ergo velut $adg - cfi$ caſus, quibus tria hæc argumenta junctim ſumta probant rem ſeu 1; & cfi, caſus, quibus nil probant, ſolisque proin argumentis mixtis locum, probandi concedunt: probant autem hæc duo $qt : (qt + ru)$ rei, & $ru : (qt + ru)$ contrarii. Quare probabilitas rei ex omnibus argumentis reſultans eſt $[(adg - cfi)' + cfi . qt : (qt + ru)] : adg$, $= (adgqt + adgru - cfiru) : (adgqt + adgru) = (1 - cfiru) : adg(qt + ru)$, quæ ab omnimoda certitudine ſeu unitate deficit, producto partis $cfi : adg$ (qua ab eadem deficit probabilitas rei ex, ſolis argumentis puris reſultans) per $ur : (qt + ru)$ probabilitatem, abſolutam contrarii ex argumentis mixtis elicitam. Ceterum non diffitetur Autor, in applicatione harum regularum multa occurſura, cur quis ſæpe hallucinari poſſit, niſi in diſcernendis argumentis caute procedat. Ut vero regulæ ad uſum transferri poſſint, tum numeri caſuum accurate determinandi, tum definiendum, quanto facilius alii aliis accidere poſſint. Fatetur autem Cel. Autor, in pauciſſimis hoc præſtare licere, nec alibi fere ſuccedere, quam in ludis aleæ. Non tamen prorſus deſperandum ipſi videtur, quia ex eventu in exemplis ſimilibus obſervato a poſteriori numerum caſuum eruere licet: recte nimirum præſumi, quod tot caſibus unumquodque poſthac contingere & non contingere poſſit, quoties id antehac in ſimili rerum ſtatu contigiſſe & non contigiſſe fuerit deprehenſum. Quemadmodum vero hæc unicuique nota ſunt; ita Noſter, ut aliquid non vulgare præſtaret, inquirendum ſibi ſumſit, an aucto obſervationum numero continuo augeatur probabilitas aſſequendæ genuinæ rationis inter numeros caſuum, quibus eventus aliquis contingere & quibus non contingere poteſt, ut probabilitas tandem datum quemvis certi-

tudinis gradum ſuperet. Demonſtrat igitur, ſi numerus caſuum, in quibus eventus contingere poteſt, fuerit ad numerum caſuum, in quibus contingere nequit, vel præciſe, vel proxime in ratione $r:s$, adeoque ad numerum omnium in ratione $r:(r+s)$ ſeu $r:t$, quam rationem terminent limites $(r+1):t$ & $(r-1):t$, tot poſſe capi experimenta, ut datis quotlibet (puta e) vicibus veriſimilius evadat, numerum obſervationum fertilium (vocat autem fertiles, in quibus eventus contingere poteſt) intra hos limites quam extra caſurum eſſe, h. e. numerum fertilium ad numerum omnium obſervationum rationem habiturum nec majorem quam $(r+1):t$, nec minorem quam $(r-1):t$. Digna equidem foret demonſtratio theorematis, quod in toto opere ſuo palmarium judicat Autor, quæ huc transſcriberetur; ſed quo minus id fiat, multitudo lemmatum obſtat, ſine quibus intelligi nequit.

In Tractatu de ſeriebus infinitis, jam olim ſub forma 5 Diſſertationum academicarum edito, Geometriam ſublimiorem egregie promoveri, non ignotum eſt iis, qui his delitiis utuntur. Quamobrem cum dudum rariſſimus fuerit factus & a multis fruſtra quæſitus; operæ pretium fecere editores, quod eundem ad calcem operis ſubjecerint.

PRIMITIVE CHRISTIANITY REVIV'D.

i. e.

PRIMÆVUS CHRISTIANISMUS RESUSCITATUS, V Voluminibus; Autore GVILIELMO WHISTON, A. M.

Londini, impenſis Autoris, 1711, 1712, 8.
Alph. 8 pl. 15.

SIſtimus Opus novæ Orbi Chriſtiano induendæ faciei deſtinatum, ac quantum ex ſparſis ſubinde Autoris verbis conjicere datur, glorioſo Chriſti in his terris Regno, quod Autor propediem exſpectat, viam ex mente ejus paraturum. E Voluminibus vero, quibus illud abſolvitur, quinque primum quatuor Partes diſtinctas complectitur, Præmittitur ante omnia *Præfatio Hiſtorica*, quam multo ante ipſum Opus editam nos quoque Suppl. T. V

Sect.

Sect. V p. 206 ſqq. prolixe recenſuimus, cui in hac quidem Editione nihil acceſſit præter Hiſtoriam motuum in Synodo Eccleſiæ Anglicanæ (Convocationem vocant) circa Controverſiam Whiſtonianam obortorum. Ejus enim Synodi Curiam ſuperiorem pariter & inferiorem ineunte Martio A. 1711 de novis Whiſtoni placitis conſultare cœpiſſe, & poſt complures de modo Cenſuræ in ipſum ſtatuendæ, nec non de Jure Synodi in Cenſura ferenda, denique de ipſis quoque Theſibus atro Hæreſeos calculo notandis, (inter quas illa præcipue, quæ de ſubordinatione Filii erga Patrem agit, in ſuperiore curia notata, apud inferiorem approbari meruit) diſceptationes, tandem eo proceſſiſſe inde diſcimus, ut circa finem Maji ejusdem anni Theſes ex Libris Whiſtoni decerptas Synodali cenſura, Reginæ deinceps exhibita, caſtigaret. Eam Cenſuram Vir Cl. p. 63 integram exhibet, quam tamen ſummo ſtudio a Synodo ipſa celari, iteratasque preces ſuas, quibus per literas ab Archi-Epiſcopo Cantuarenſi, nec non curiæ inferioris prolocutore, ac toto denique corpore accuratum ſententiæ ſuæ examen flagitaverat, in caſſum abiiſſe conqueritur, literas vero ſuas, nec non Apologiam ac ſolennem, quam coram Synodo publice prælegere meditatus erat, proteſtationem integras adjicit. Sequitur Diſſertatio Autoris de Epiſtolis Ignatii, a nobis etiam, cum primum ederetur, Suppl. T. V Sect. IV p. 159 ſqq. recenſita, hic autem magna parte aucta, quippe in qua comparatis LVI utriusque editionis lo- pag. 20-33.
cis, ex ſtyli nexusque in brevioribus, quam putat, ſæpe non probat, quandoque & per ψευδεξμηνείαν fingit, abſurditate, alterius editionis ἀυθεντίαν aſſerit. Ita teſtimoniis, quæ olim pro ſua ſententia adduxerat, magnifica cum præfatione addit teſtimonium e *Chronico Paſchali* ad A. D. 32 deſumtum, quippe cujus Chroni- 57 ſq.
ci partem priorem, ad A. D. 354 pertingentem, recentioribus interpolationibus & continuatione multo antiquiorem eſſe, Carolus Fresnæus editor monuerit, ut Stephani Gobari apud Photium & Anaſtaſii Antiocheni teſtimonia præteream. Imprimis novum penitus eſt argumentum, quo breviores V. Cl. impetit, quod in iis 76 ſqq.
Epiſtolæ ad Philadelphienſes inſcriptio φιλαδελφίαν THC ACIAC profiteatur, cum hanc Epiſtolam ad urbem longe aliam, Philadelphiam quippe Ciliciæ, Tarſo propinquam, ab Ignatio miſſam fuiſſe

contendat Whiſtonus. Totam enim ait Epiſtolam loqui, ſpectare hæcad auditores quondam Ignatii, Diœceſi ipſius ſubjectos, inter quos μεταξὺ ὧν ἐκφάνγασεν, ἤκουσέ τινων λεγόντων, inter quos εὐτυνείδητ ἦν, & talia multa. Quemadmodum ſimiliter multo prolixius pro εὐθεντίᾳ trium ad Antiochenos, Tarſenſes, & Heronem Epiſtolarum, quam antea, decertat, nec non culpam antea Marcello impactam, quaſi ille falſarium Ignatii egerit, longe amplius probatam dare, denique Acta Martyrii Ignatii ſpuria omnique antiquitate & autoritate caſſa pronuntiare nititur. Succedunt Diſſertationi huic ipſæ *Ignatii Epiſtolæ*, Græce Angliceque ex utraque cum breviore, tum prolixiore editione, additis omnium, quæ hactenus cognita ſunt, MStorum diverſis Lectionibus. Denique clauſulam primi Voluminis *Eunomii Apologeticus*, adverſus quem Baſilius M. confutationem ſuam ſcripſit, Anglice a Whiſtono translatus, conſtituit. Secundum Volumen nihil aliud niſi novam *Conſtitutionum Apoſtolicarum* & *Canonum* idem nomen gerentium Editionem Græcam Anglicamque complectitur, additis in titulo verbis Apocalypſeos C. XI v. 19: καὶ ἠνοίγη ὁ ναὸς τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ὤφθη ἡ κιβωτὸς τῆς διαθήκης αὐτοῦ ἐν τῷ ναῷ αὐτοῦ. Circa quam notandum, Conſtitutiones hic Græce juxta editionem Venetam A. 1563 eſſe impreſſas, diſtinctiones Capitum & paginas vero ex Editione Coteleriana, quæ Joh. Clerico curante prodiit, ſervatas eſſe. Accedunt collationes duorum, quæ in Bibliotheca Vindobonenſi habentur, MStorum, nunc primum publicatæ, quorum recentius magis emendatum, antiquius interpolatum V. Cl. judicat. Ipſos interea textus, etiam, quos interpolatos eſſe cenſuit, imprimi curavit, duplici tamen parenthęſeos nota incluſos, & verſione deſtitutos, unum Caput XVII Libri V, quod de Paſchate celebrando agit, ex Epiphanio reſtituit, cujus ſenſum prorſus corruperat interpolatorum audacia, & Libro IIX e Doxologiis, quæ ibi habentur, ejecto in marginem, quod ſpurium appellat, τῷ καὶ Spiritui S. tributo, textui τὸ ἓν inſeruit, Canonum denique Apoſtolicorum numerum ad LXXXV, Johannem Antiochenum ſecutus, reduxit. Tertium itaque Volumen comprehendit *An Eſſay on the Apoſtolical Conſtitutions*, h.e. *Tentamen de Conſtitutionibus Apoſtolicis, in quo probatur, eſſe illas Librorum N. T. Canoni-*

Sect. VI, VII, IIX. p. 93-98. 88 ſqq. 99 ſqq.

Canonicorum ſacratiſſimum. Quod ut confirmet, Cap. I Lemmata ſive Obſervationes præliminares exhibet, quæ viam ſequentibus ſternant, in quibus non immerito majorem ordinem deſideres. Fundamenti loco ſupponit, præcipuas Fœderis novi leges ab ipſo p. 14 ſqq. Chriſto in monte Sionis Apoſtolis tradi debuiſſe, atque ita in famoſo τεσσαρακονθημέρῳ poſt reſurrectionem ipſius traditas fuiſſe, 24 ſqq. cujus rei memoriam celebri illo in Eccleſia jejunio τῆς τεσσαρακοσῆς, ante Paſchale jejunium non 40 diebus, ut vulgo exiſtimatur, ſed 5 tantum diebus acto renovatam fuiſſe quotannis, Autor non alia fere ratione, quam loco in ipſis Conſtitutionibus Lib. V C. 13 p. 316 obvio inductus exiſtimat. In ea vero traditione Legum Chriſtianarum, & prima earum conſcriptione nullas Pauli fuiſſe partes, obſervat, de quo ad Lib. usque VIII Conſtitutionum ſemper in tertia perſona loquantur Apoſtoli, ipſo quoque Varadato monacho Seculi V teſte in Epiſtola ad Leonem Imperatorem Tom. IV Concil. Labb. pag. 978. Tertio Lemmate Chronologiam Librorum ſacrorum N. T. init, e numero citationum in Conſtitutionibus obviarum, aliisque circumſtantiis deductam, unde priorem ad Timotheum Epiſtolam 25 vicibus ibi citatam ad A. D. 57, Marci Evangelium Lucæ poſtpoſitum ad A. D. 62, imprimis Johannis Evangelium contra omnem antiquiorum traditionem ad A. D. 63 (excepto Capite XXI, quod ſerius additum fuiſſe cenſet) Epiſtolam Jacobi ad A. D. 66, non obſtante Joſephi teſtimonio, (quod martyrium Jacobi ad A. 62 videtur referre, variis vero argumentis ab Autore non id docere, quod vulgo creditur, probatur.) Epiſtolas ad Theſſalonicenſes ad A. D. 67 referre ipſi placuit. Mox ubi V. T. leges 55 ſqq. Moſaicas triplici diſtinctione e Conſtitutionibus petita diſpeſcuit, perfectum omnium legum Moſaicarum exemplar ſolis Sacerdotibus & Regi obvium, non omni vulgo expoſitum fuiſſe contendit. Sextum Lemma nomen Librorum *Canonicorum* V. & N. T. enucleat, & eos inde *canonicos* dici oſtendit, quod *Canone* Apoſtolico ultimo ſint comprehenſi, neutiquam vero illam appellationem Libros reliquos poſt hunc Canonem ſcriptos a θεοπνευσία excludere, quam non obſcure cum plerisque Libris V. T. apocryphis, tum in N. T. duabus Clementis Epiſtolis, Hermæ Paſtori, Barnabæ, Ignatii & Polycarpi Epiſtolis, dubitanter Libro ſecundo Esdræ

p. 76 ſq. apocrypho, & deperditis nunc Apocalypſi Petri & Actis Pauli adſcribit, & octavo quidem Lemmate de Libro ſecundo Esdræ ex inſtituto agens, a quodam Judæo converſo circa A.D. 99 vel 100 ſcriptum, non vaticinia, ſed myſticam eorum, quæ ſeculo I Chriſtianæ Eccleſiæ contigerunt, narrationem, complecti ſupponit. IX, XIV, 79 ſq. XV, XVI & XVII Lemmatibus multa de quinque Conciliis, quæ ipſi videntur, Apoſtolorum, nusquam fere alia niſi ſola Conſtitutionum, quæ tamen adhuc ſunt τὸ ζητέμενον, autoritate nixis, diſpu- 112 - 118. tat Autor, primum Act. XV deſcriptum, A. D. 48, ſecundum Hieroſolymis A. D. 64, in quo Libros V priores Conſtitutionum cum 118. dimidio ſequente conſcriptos exiſtimat, tertium A. D. 67 ibidem præſente Jacobo & Paulo, in quo reliqua Conſtitutionum cum Di- 120 ſq. daſcalia Apoſtolorum compoſita putat, quartum ibidem A. D. 71 ordinationi Simeonis Epiſcopi Hieroſolymitani deſtinatum, (quod 123, 124. Euſebio etiam L. III H. E. Cap. XI obſervatum,) quintum denique a paucis, qui ſupererant, Apoſtolis eorumque ſociis A. D. 84 aut 88, in quo Apoſtolicos Canones publicatos eſſe arbitratur, actum fuiſſe contendens. Eos quippe Canones omnino Apoſtolorum opus 96, ſqq. eſſe, prolixe pag. 83 & ſeqq. defenderat, quomodo & Lemmate XI Seriem primorum Romæ Epiſcoporum ad A. D. 230, ex Apoſtolicis præcipue Conſtitutionibus aliisque monumentis reſtitutam, & multis defenſam, exhibet, cui novos Annales Paulinos ſubjungit, in quibus Paulum in Hiſpaniis & Occidente paulo ante mortem ſuam A. D. 65 & 66 Evangelium prædicaſſe putat, & Pearſonum in 127 ſqq. alia omnia abeuntem caſtigat. Multum porro de ætate Baſilidis & Saturnini, hæreticorum in Conſtitutionibus nominatorum, diſceptat, ut eos A. D. 86, quo ultima illis additamenta acceſſere, attigiſſe monſtret, Marcum quoque hæreticum Apoſtolicæ ætati æqua- 125 ſqq. lem, & Valentiniano illo, quem Irenæus allegat, antiquiorem ſupponit, præcipuo loco Clem. Alex. Strom. L. VII pag. 549 qui eſt inter τὰ δυσνόητα iſtius ſcriptoris, uſus. Poſtremis tribus Lem- 130 ſqq. matibus, ut finem denique faciamus, multa de antiqua Eccleſiæ diſciplina arcani e Patribus compilata exhibet, e quibus ad Conſtitutiones innuendas potiſſimus haud dubie eſt Baſilii locus ex Epiſt. de Spiritu S. ad Amphiloch. Opp. Tom. II C. 27 pag. 210, in quo ſignationem crucis, converſionem inter preces ad orientem, formulam

mulam pani & calici benedicendi, trinam in Baptismo immersionem & talia multa ἐκ τῆς ἀγραφῶ διδασκαλίας, ἐκ τῆς σιωπωμένης καὶ μυστικῆς παραδόσεως derivat, unde Noſter Conſtitutiones eadem ſacra ſilentii lege 19 Epiſcopis, qui ab Apoſtolis ipſis fuerant conſtituti, teſtante ipſo Canone LXXXV ἃς ὁ χρὴ δημοσιεύειν ἐπὶ πάντων, de quo multis diſputat, traditas, circa medium vero Seculi IV in Syria forte ab Euzojo Antiochiæ Epiſcopo, vindicandæ ſanæ doctrinæ ergo adverſus Athanaſium & aſſeclas, primum publicæ luci duro neceſſitatis telo commiſſas eſſe exiſtimat. Cap. II interna argumenta pro Conſtitutionibus Apoſtolicis proponit Autor, quas per omnia Eccleſiæ Chriſtianæ ritibus antiquiſſimis, Apoſtolorum μετὰ ἐξουσίας docentium gravi divinoque ſtylo, divinis in V. T. ordinationibus, doctrinæ & praxi maxime primævæ, diſciplinæ ante Montani hæreſin multo quam poſthac moderatiori, Liturgiarum devotioni & pietati, Energumenorum ea ætate frequentiæ, Librorum reliquorum Scripturæ S. hæreticorumque Chronologiæ exacte reſpondere, denique accurata diei deſtructioni Hieroſolymorum divinitus dictæ, δεκάτης τοῦ μηνὸς γορπιαίου Lib. V Cap. 20 pag. 324, 325 cum Joſephi Hiſtoria exactiſſime congruentis, nec non Eccleſiæ fatorum Canone LXXXV prænunciatorum prædictione, Spiritum quoque propheticum luculenter loqui, Noſter graviter ac ſedulo urget. Succedunt Cap. III interna argumenta Chronologica pro Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſi tamen argumenta dicere fas eſt, quæ vel ipſe V. Cl. in ſuppoſitionibus ceteroquin haud parum temerarius, plerumque verbis valde dubiis veluti hypotheſes probabiles in medium adducit. In eo igitur capite Librum I Conſtitutionum ad Laicos ſpectantem non minorem ætatem A. D. 63 flagitare, Libros II, III & IV citationibus librorum Scripturæ, aliisque characteribus temporis, ultra deſtructionem urbis ſanctæ non aſcendere, quintum etiam & ſextum usque ad Cap. XIX ante eam deſtructionem ſcriptos eſſe putat, ſiquidem originaria διαταγὴ de Paſchate vel cum errantibus Judæis celebrando Lib. V C. XVII florentem adhuc Judaicam Eccleſiam ſupponere videatur, qua deſtructa longe aliud Apoſtolico Canone IIX fuerit injunctum, ſexto vero libro (præter Acta Concilii ſecundi Hieroſolymitani A. D. 64 congregati, quæ C. XIV-XIIX continentur,)

p. 291 ſq. 149. 152. 159 199. 200-244

tur,)Petrus ipſe de Simone Mago aliisque hæreticis loquens introducatur, Cap. IIX ſqq. ubi tamen verba illa, quæ reliquos hæreticos Cerinthum, Marcum, Menandrum, Baſilidem nominant, incipiendo a vocibus ἔιτα οἱ Νικολαΐται, usque ad iſta: ὁ μέντοι Σίμων, tanquam recentioris ævi A. D. 86 demum in poſtremo Apoſtolorum Conſilio inſerta fuiſſe ſupponit. Ultimam Libri VI partem IV Synodo Hieroſolymitanæ A. D. 71 actæ attribuit, quam his VI Libris καθολικὴν διδασκαλίαν abſolviſſe autumat. Septimum Librum Synodo Cæſareenſi, quam A. D. 64 ad Zachæum Cæſareæ Epiſcopum ordinandum conveniſſe credit, vindicat, ejusque Acta complecti, Liturgiam certe eo libro comprehenſam evidenter ad Judaicam Eccleſiam ſpectare, Catalogum quoque Epiſcoporum ab Apoſtolis conſtitutorum C. XLVI manifeſte ætatem iſtam loqui, niſi quod A. D. 86 nomina quorundam a Johanne ſolo ſuperſtite creatorum addita fuerint, urget, imprimis multum in eo roboris collocans, quod Corinthiacæ ac Philippenſi Eccleſiis, quas ætate iſta Epiſcopis ſolas caruiſſe aliunde conſtet, pariter in Conſtitutionibus quoque nullum tribui Epiſcopum inveniatur. Octavi Libri pleraque ad A. D. 86 refert, & poſt multam de titulo Hippolyti martyris, quo initium libri hujus ἀποστολικὴ παράδοσις περὶ τῶν χαρισμάτων ipſi vindicatur, diſceptationem nihil tamen habet, in quo acquieſcat, vel ſuæ hypotheſi quicquam lucretur. Cap. IV externa teſtimonia, citationes & alluſiones, quæ Conſtitutionibus favent, prodigioſo numero adducuntur, quem mirari tamen deſines, ubi ipſo Autore monente, intellexeris, ubicunque nomina τάξεως, διατάξεως, ἐντολῶν, παραδόσεων, εὐαγγελικὰ ἢ ἀποστολικὰ κηρύγματα, διδασκαλίας τῶν ἀποστόλων, κανόνα ἐκκλησιαστικὰ, τῆς ἀληθείας, τῆς πίστεως, τῆς λειτουργίας, διαθήκης καινῆς, & talia comparent, protinus ea, tanquam citationes harum Conſtitutionum ab Autore hic jactari. Nobis in iſtum Oceanum deſcendere integrum non eſt, igitur non niſi aliqua delibabimus. Clementis Romani in Epiſtolis ſtylum & voces cum διαταγαῖς mire convenire, urget p. 281 ſeqq. nec minus in præfatione Didaſcaliæ Arabicæ MS Cpta, quam integram in Act. A. 1712 M. Majo p. 197 exhibuimus, ſibi placet p. 287, imo Libro ſecundo Esdræ C. 14 v. 19-48 myſticam deſcriptionem operis τῶν διαταγῶν exarati per quinque

p. 269.

Scribas,

Scribas, mira, non tamen, si quid nos videmus, invidenda felicitate inveniſſe, pag. 304 ſqq. ſibi videtur. Seculo II Ignatii, quas Whiſtonus agnoſcit, Epiſtolas, Conſtitutionibus, ut ovum ovo, ſimiles, magno ambitu jactari nemo non prævidet, imprimis p. 364 ſqq. ad 374 prolixe Liturgia Conſtitutionum cum Juſtini Martyris de cultu divino inter Chriſtianos agi ſolito inſigni narratione comparatur, denique omnes Aſiæ Eccleſiæ Polycrate duce adverſus Romanam decertantes, de Paſchate celebrando, ac pro Judaico Paſchate *παράδοσιν ἀρχαιοτέραν* uno ore urgentes, veluti irrefragabilium teſtium nubes, pro Conſtitutionum Lib. V C. XVII ex Epiphanio reſtituto in medium adducuntur. p. 382 ſqq.

Seculo III Clementis Alexandrini *ἀληθεια ἡ ἐγγραφως τὰ ἄγραφα δηλοῦσα* Strom. L. I pag. 200, Tertulliani prolixa de Traditione Eccleſiæ commentatio de Coron. mil. C. 3, Origenis multiplex in libris *περὶ ἀρχῶν* ad Eccleſiaſticam prædicationem provocatio, Cypriani in defendenda hæreticorum rebaptizatione adverſus Stephanum Romanum conſtantia, Dionyſio Alexandrino etiam probata, quanquam Conſtitutionibus non niſi vaga ratione citatis, tandem Synodus tota Antiochena ejusque Symbolum Conſtitutionibus exacte parallelum, teſtium loco laudantur. 393. 397 ſqq. 405 ſqq. 416 ſqq.

Seculo IV præter Concilia Neocæſareenſe & Nicænum, multum a p. 439-481 in eo laborat, ut Euſebium, quem inter libros ſacros Conſtitutiones has non nominaſſe manifeſtum eſt, id diſciplinæ arcani reverentia feciſſe, ceteroquin perpetuo nomina Conſtitutionum ſupra adducta, verbaque ac ſententias earum in ore habuiſſe, non aliis niſi his in Hiſtoria Seculi I documentis uſum fuiſſe, non alios N. T. libros niſi in Conſtitutionibus citatos pro *ἐνδιαθήκοις* habuiſſe, ac ne quidem Canones Apoſtolicos *διαταγὰς* æquiparaſſe oſtendat. 481-490.

Non minus ipſi præſidium videtur Concilium Hieroſolymitanum A. D. 335 actum ſuppeditare, quod Confeſſionem Arii & Euzoji diſertis verbis dicat *ἀναμφήριστον σώζειν τὴν παρὰ τοῖς πᾶσιν ὁμολογεμένην* ΑΠΟΣΤΟΛΙΚΗΝ ΠΑΡΑΔΟΣΙΝ ΤΕ ΚΑΙ ΔΙΔΑΣΚΑΛΙΑΝ. Non omittuntur hic ipſi orthodoxiæ patroni Athanaſius & Julius Romanus, at imprimis magno ſtudio urgetur teſtimonium Eccleſiæ Æthiopicæ Canoni N. T. librum Synodalem (Mandam vocant) teſte Ludolpho, perpetuo accenſentis, ex quo libro titulos capitum, quæ habet 500 ſqq. 520. 526 ſqq.

bet 71, cum Conſtitutionibus comparatos, nec non Copticæ apud Wanslebium, & Arabicæ, quæ in Bodlejana exſtat, Didaſcaliæ tituloſ inter ſe comparat, Athanaſium vero, ut antea, fraudatæ Eccleſiæ Æthiopicæ, & reſectorum in hac Epitome Æthiopica e Conſtitutionibus, quæ ad palatum ipſius haud erant, multis reum agit, quem & poſtea, ubi Pſeudo-Dionyſii Areopagitæ, rectius ex ipſius mente Didymi Alexandrini, teſtimonia commemorat, ab hoc ſub Hierothei nomine de divinis nominibus C. 1 & 3 indigitari ſtatuit. Prætereo Baſilium, Epiphanium inter primarios quippe (pene dixeram primum) eorum, qui has Conſtitutiones allegarunt, Liturgias Jacobo, Marco, Petro, Baſilio, Chryſoſtomo adſcriptas, in quarum exacta cum Liturgiis primævis in διατάξεις conſonantia & luculentis, ubi diſcrepant, interpolationis ſignis multum momenti collocat Autor, & alios recentiores, quibus accedunt Concilia generalia VI, VII, IIX, Photius, & nonnulli minorum gentium Dii. Cap. V de eo diſpicit, quomodo moderna Conſtitutionum exemplaria ſint emendanda & ab interpolationibus repurganda. Inter eas a ſolis Orthodoxis ac præcipue ab Eccleſia Romana, ut vult, Operi huic inſertas refert ψευδοδιαταγὴν de Paſchate Lib. V C. 17 ejusdem Libri C. 13, conſtitutionem de Feſto γενεθλίῳ & ἐπιφανείας, quæ feſta Seculi IV in Oriente, III in Occidente ætatem non excedere docet, mox Lib. VI C. 2 locum, ubi fides deſcribitur, εἰς ἕνα θεὸν, ἑνὸς υἱὸ πατέρα, ὃ πλειόνων, ἑνὸς παρακλήτ διὰ χριςῦ τῶν ἄλλων ταγμάτων ποιητὴν ἕνα δημιεργὸν, quem MS Coptum Vindobonenſe præſtantiſſimum ita exhibet ἑνὸς παρακλήτ διὰ χριςῦ προβολέα, τῶν ἄλλων ταγμάτων ἕνα δημιεργὸν: Noſter ſic legi jubet, ἑνὸς παρακλήτ δ.χ. ποιητὴν ἕνα κ.τ.λ. & ſtatim locum ſubjungi de ψυχῇ ἀσωμάτῳ ibidem. Ejusdem Libri C. 14 nomina Apoſtolorum plane ſpuria pronunciat, magno zelo verba: ὃ κτισθέντα de Filio Lib. VII C. 41 dicta rejicit, Doxologiarum mutationem Lib. IIX multum exaggerat, ut alia minoris momenti cum Cap. 6, quod breviter ex antecedentibus porismata didascalica, practica, ac hiſtorica deducit, prætereamus. Feſtinamus enim ad IV Operis Volumen, quo continetur: *An Account of the Faith* &c. i. e. *Hypotypoſis Fidei priorum duorum ſeculorum de SS. Trinitate, & Incarnatione Domini noſtri, ipſis ſacrorum ac primitivorum Scriptorum verbis & origi-*

p. 547 ſqq.

571 ſqq.

613-621.

682.

685.

689 ſqq.

originariis Græcis vel Latinis & Anglice versis, tradita. Eo de libro parcius dicemus, quandoquidem XXIII Articulos, quos huic Operi fundamenti loco subſtravit Autor, integros in Act. Erud. 1712 M. Majo pag. 198-201 exhibuimus, ad quos Lectorem nunc remittere, ac non niſi hinc & inde quædam decerpere integrum erit, cum iſtos articulos non verbis tantum Scripturæ & Patrum muniat Autor, ſed ſæpiſſime obſervationibus ſingularibus ex mente ſua illuſtret. Ita p. 13 locum Rom. IX, 5 contra conſtantem inde a Seculo II, ut ipſe fatetur, expoſitionem Filio abjudicat, pariterque alterum 1 Joh. V, 20 pag. 20, & occaſione verborum Irenæi Lib. V C. 18 pag. 427, 428 in phraſeos originem, qua tres Perſonas *unum Deum* appellamus, inquirens, eam non niſi poſtremis Athanaſii diebus invaluiſſe, necalios fere niſi Valentinianos, qui in Eclogis Theodoti pag. 566 τὸν ἓν ταυτότητι λόγον Θεὸν ἐν Θεῷ, ἀδιάστατον, ἀμέριστον ἕνα Θεὸν confeſſi fuerint, ac Pſeudo-Trismegiſtum in verbis a Suida ſervatis huic phraſi præluſiſſe judicat. Ad Articulum III monet ſingularem & extraordinariam Filii a Patre derivationem ad minimum ipſi hoc notare, quod ἀμεσιτεύτως a Patre productus fuerit, de aliis notionibus parum curioſo. Circa VI Articulum *creatum* Filium eſſe dictum contendit ab Herma ſcriptore Θεοπνεύστῳ, cujus verba Simil. V §. 6 ita legit: *Audi: illum Spiritum Sanctum,* qui creatus eſt omnium primus, *in Corpore in quo habitaret, Deus collocavit, in electo ſcilicet corpore, quod ei videbatur.* Ibidem de Melitonis operum omiſſione, imo tituli in Euſebio ſervati, περὶ κτίσεως καὶ γενέσεως χριστοῦ orthodoxa falſatione acerbe conqueritur; denique invectam poſt Juſtini Martyris ætatem metaphyſicam, quam vocat, Filii in Patre exiſtentis, antequam generaretur, æternitatem, quam unice a Concilio Nicæno, de *æterna generatione* ne quidem cogitante, aſſertam fuiſſe docet, Athenagoræ, Theophilo, Tatiano, Irenæo, Tertulliano memoratam, in Eccleſiæ doctrinam nunquam ante Seculum IV receptam, ſed philoſophicæ meditationis inſtar habitam prolixe perſequitur. Circa VII Articulum curioſas de creatione *ex nihilo* cogitationes in Philoſophia ſatis probabiles e Theologia, in qua ſeculis prioribus auditæ non fuerint, nunc quoque exulare mavult. Ad IX articulum de celebri voce τῷ ὁμοουσίῳ diſputat, & eam, veluti alias

p. 48-53.

77.

116.

126.

127-159.

170, 171.

188, 207.

fidei ſanæ corruptiones Romanæ potiſſimum Eccleſiæ vult deberi, ad quam veluti magnam Anti-Chriſti matrem omnes fere hæreticos antiquiores ad Athanaſium usque confluxiſſe Tabula chronologica oſtendit. Ad Lemma articulo XIV præmiſſum de tribus hominis partibus probandum, periiſſe lamentatur Melitonis li-
p.266. brum περὶ ψυχῆς καὶ σώματος καὶ νοὸς, mox tamen e Juſtini, Tatiani & Irenæi verbis edoctus, quod & a nobis in Suppl. T. V Sect. V
269. pag. 208 adverſus V. Cl. obſervatum eſt, πνεῦμα ab iis non niſi regenitis, irregenitis vero non niſi duas partes, ψυχὴν καὶ σῶμα, tribui, qui tamen perfecti ſint homines, inde concludit, ubi a Patribus τέλειος ἄνθρωπος Chriſtus vocetur, nihil aliud eo notari, quam aſſumpſiſſe eum tale σῶμα, talem ψυχὴν, qualem a natura omnes homines habeant, quod ſi concedatur a Viro docto, quomodo *rationalis* animæ vices ὁ λόγος in Chriſto obiiſſe dici poſſit, non videmus, cum irregenitos per eam ipſam ψυχὴν, quam ipſis Vir
291. Cl. concedit, rationales fuiſſe haud dubium ſit. Certe inſignis eſt ejusdem Viri docti παρεμπνεία, ad Articulum XV circa Irenæi verba Lib. V Cap. 1 pag. 394: *Quemadmodum ab initio plasmationis noſtræ in Adam, ea quæ fuit a Deo inſpiratio vitæ unita plasmati, animavit hominem, & animal rationabile oſtendit; ſic in fine verbum Patris & Spiritus Dei adunitus antiquæ ſubſtantiæ plasmationis Adæ, viventem & perfectum fecit hominem, accipientem perfectum Patrem.* Etenim per *viventem & perfectum hominem* hic Chriſtum *planiſſime* notari vult Autor, quem verbum Patris & Spiritus Dei *perfectum* hominem h. e. rationalem conſtituerit, cum nihil poſſit eſſe manifeſtius, quam per *hominem* hic totum *Genus humanum* indigitari, quod partim Filius aſſumta carne humana, partim Spiritus S. in carne noſtra habitans perfectum ac vita ſpirituali vi-
292 ſqq. vens effecerit. Mirifice tamen doctrinam hanc ſuam de λόγῳ animæ rationalis in Chriſto vices obeunte commendat ac pingit Vir Cl. & quomodo ea in Eccleſia oblivione ſepulta fuerit, non ſine acerbitate enarrat. Articulo XVI cum aſſeruiſſet, Chriſtum ſecundum divinam ſuam naturam pro nobis paſſum eſſe, multum gloriatur, orthodoxam ſententiam, quam nos tuemur, nihil ali-
305, 315. ud eſſe, niſi meram Cerinthi hæreſin, quem Irenæus Lib. I Cap. 25 teſtetur docuiſſe, *Jeſum paſſum eſſe & reſurrexiſſe, Chriſtum autem impaſſi-*

impassibilem perseverasse, existentem spiritualem, modo loco Christi divinam, loco Jesu humanam naturam ponas. At statim mire se torquet V. Cl. ubi ejusdem Irenæi verba L. III C. 21 p. 250, & Eusebii Demonstr. Evang. L. IV C. 13 p. 169, 170, orthodoxæ sententiæ omnino saventia eludit, quod quidem in Irenæo pessimo successu tentavit. Quis enim Viro docto Autor fuerit, ut verba: ἡσυχάζοντος τὸ λόγε ἐν τῷ πειράζεσθαι καὶ σαυρᾶσθαι καὶ ἀποθνήσκειν, verteret: *Verbo ACQUIESCENTE, cum tentaretur, crucifigeretur & moreretur*, nos non capimus, nisi ὑποθέσεως δεῖλεια, cui vox *quiescendi* non congruebat, *acquiescendi* tutior videbatur. Inter testimonia articulo XIX de Spiritu S. subjecta habes magno cum ambitu laudata dura Recognitionum Clementis verba L. III C. 2 p. 521, ubi de Spiritu S. ait: *Factus est enim per factum*, eaque occasione acerbam digressionem facit Autor, ut e Sozomeni H. E. L. VI C. 22 probet τὸ ὁμοούσιον Spiritus S. simplici Romani Episcopi Epistolæ unice deberi, probroso ad reliquas ætates Antichristi invalescentis exemplo. Ad XX articulum ostendit Autor, ne Athenagoram quidem, vel Irenæum, vel Cyprianum, quos sublimissime inter veteres de Spiritu S. locutos esse constet, cum ejus rei esset occasio, ausos fuisse diserte Deum appellare illum, quod nemo ante Basilium M. invocare vero illum, ante Pseudo-Dionysium Areopagitam nemo ausus fuerit. Magno vero imprimis zelo circa articulum XXI vexatissima verba 1 Joh. V, 7 tanquam evidentissimam & pernicioſissimam, quæ in orbe Christiano cognita sit, cognitionem repudiat, Dialogum quoque, *Philopatris* dictum, inter opera Luciani confidenter Seculo V aut IV exeunti adjudicat, si quis eum antiquiorem habuerit, eum sibi in stylo priorum seculorum penitus hospitem videri pronuncians. Articulo vero XXII loca Act. V, 4 & 1 Cor. II, 10, 11 orthodoxæ de Spiritu S. sententiæ eripere studiose conatur. Appendicem adjunxit V. Cl. qua primo Doxologias antiquissimas cum observationibus adversus modernas Doxologias, deinde Symbola antiquissima collegit, non omisso quidem, sed non paucis tamen argumentis κιβδηλότητος sollicitato Gregorii Thaumaturgi Symbolo, quod Gregorius Nyssenus tanquam cœlo delatum laudavit. Totum Volumen clauditur Libro secundo Esdræ apocrypho, quem cum juxta vul-

p. 316, 317.

332.

354.

368 sqq.

379.

381, 383.

398, 400.

garem editionem, tum juxta MStum Arabicum in Bodlejana asservatum, & a Viro Cl. Simone Ockley, Linguæ Arabicæ apud Cantabrigienſes Profeſſore Latine verſum, in quo Caput I, II, XV & XVI editionis Latinæ deſiderantur, Anglico idiomate exhibet. Quintum denique Volumen acceſſit, cujus potiſſimam partem Libri 55 Recognitionum Clementis Anglice verſi occupant. Nam eos quoque Libros communi eruditorum judicio hucusque pro ſpuriis & ab impoſtore κακοπλάσῃ conſarcinatis damnatos, non Clementi quidem, ſed non nemini ex auditoribus Clementis acceptum referri, & non infimæ autoritatis in Eccleſia cenſeri jubet, quod ut Autor judicium ferret, nonnihil contuliſſe videtur prolixa, quæ Libro III a Ruffino quidem eſt omiſſa, ſed ab alia tamen manu translata, de Trinitate Diſputatio, in qua Spiritus S. *factus per factum* dicitur, & complura vel Ebionitica, vel Arianæ vel Eunomianæ doctrinæ non obſcura veſtigia apparent. Ceterum, ut autoritatem libro huic vindicaret V. Cl. Diſſertatione præliminari laborat, in qua ante omnia Ruffini autoritas comparet, diſerte hunc librum Clementi Apoſtolico tribuentis, & non niſi de corruptelis hæreticorum (quas nullas tamen Vir doctus agnoſcit) conquerentis. Tum in genere aſſeritur, contenta libri plane conſpirare cum ea ætate, quam illis tribuit V. Cl. nec quicquam in eis eſſe, quod minorem Juſtino Martyre ætatem loquatur, & παρεφάμματα quidem chronologica, quæ in eo apparent, talia eſſe, ut Clementi vel alteri Apoſtolorum ſocio tribui vix poſſint, at in auditorem Clementis aliquem cadere haud difficulter queant. Itaque Libros hos ad minimum parte priori Seculi II ſcriptos eſſe contendit ex citationibus antiquorum, inter quos Bardeſanem Syrum primum collocat, quem, quæ habet in fragmento notiſſimo apud Euſebium Præpar. Evang. L. VI C. 10 cum L. IX Recogn. C. 19 prorſus conſonantia, ex illis petiiſſe contra Grabium contendit, Irenæi deinde duo loca L. II C. 48 p. 176 ex L. X Recogn. C. 14 p. 585 & imprimis L. V C. 36 p. 461 ex L. VI Recogn. C. 7 & 8 manifeſtiſſime, ut vult, petita, mirifice urget, ut Origenem, Epiphanium, Hieronymum, & Synopſin S. Scripturæ inter opera Athanaſii prætereamus, in qua quidem inter dubios S. Scripturæ Libros hoc opus referri meruit. Scriptum vero fuiſſe

hoc

hoc opus existimat dramatica & parabolica ratione, eodem fere modo, quo Liber Jobi conscriptus est, eo fine, ut doctrinæ Evangelicæ Philosophica sapientia adsperſæ in usum Græcorum & Romanorum sisterentur, nec a Clemente ipso, sed ab ignoto quodam Clementis auditore, quæ ex ejus ore acceperat, ita picta atque illustrata sub Clementis nomine publicante, denique eodem fere mystico ac obscuro modo, quo Constitutiones Apostolorum olim citatas fuisse credit, hos quoque libros allegari solitos fuisse, ex Bardesanis & Irenæi, quas putat, citationibus, Eusebii vero & Eunomii, qui planissime pleraque φιλοσοφέμενα sua ex hoc opere desumpserit, silentio tantum non certissime confici posse arbitratur. Unde decem Librorum analysi & brevi conspectu sigillatim tradito, concludit, non posse sibi hoc opus nisi publicum & authenticum, & magno Ecclesiæ Christi usui existens videri, quod, si non & ipsum uno vel alio sensu *Sacris Libris* N. T. accenseri debeat, certe *proximo gradu* a vere Sacris N. T. Libris distare credendum sit. Circa textum ipsum nihil monendum est, nisi quod Lib. III a Cap. II--XII non nisi Latina exhibeantur, quippe vitio Latini Interpretis ita obscura, ut vix bene transferri potuerint, idemque V. Cl. circa L. X Cap. XVII-XXXV statuerit, ne vulgi aures obscœnitatum Ethnicarum aperta commemoratione offenderet. Duæ huic Volumini accedunt Appendices, prior *Observationes ad Samuelis Clarkii Doctrinam Scripturæ S. de Trinitate*, a nobis in Actis M. Junii A. 1713 p. 258 sqq. exhibitam, continet, quem librum, cum de cetero suæ sententiæ mirifice patrocinari magnumque splendorem addere gaudeat, in nonnullis tamen nimiam ἀνθρωποπρέπειαν spirare, latitudinem sensus in recipiendis vulgatis Deum colendi formulis non tolerandam introducere, æternitatem Christi non fidenter quidem asserere, attamen paucis Irenæi, Patris, ut vult Whistonus, in ratiocinando parum felicis, imo in non paucis a sana & apostolica traditione abeuntis, testimoniis probabilem reddere conari, imprimis reclamante conscientia *creationis* vocem, de Filio ab omnibus fere antiquis a Salomone inde ipsaque Scriptura Col. I, 15, Hebr. III, 2, Apoc. III, 14 usurpatam, repudiare, & alia talia in hominum gratiam cum divinæ veritatis præjudicio admittere conqueritur. Altera appendice Historia continuatur eorum, quæ in contro-

controverſia hac vel a Synodo, vel ab aliis acta fuerunt, inter quæ tamen nihil fere agit, quam ut Libellos a compluribus adverſus ſe editos vel recenſeat vel perſtringat. Duo nos hic commemorabimus. Alterum, quod V. Cl. p. 35 profiteatur, ab amico nonnemine in Hiſtoria Concilii Nicæni interpolationem maxime gravem fuiſſe detectam, vocis ſcilicet ἢ κτισὸν in anathematibus iſtius Concilii inſertæ, quam omnia fere Concilia aliique Seculi IV & V Scriptores omittant, idque a ſe peculiari ſcheda ſub titulo: *Athanaſius convicted of forgery*, h. e. *Athanaſius de impoſtura convictus*, latius fuiſſe demonſtratum, quæ tamen ad nos non pervenit. Alterum monemus, Autorem, poſtquam bis fruſtra ab Epiſcopo Ciceſtrienſi admiſſionem ad Euchariſtiæ communionem flagitavit, jam fere ſciſſionem de integro minari, eoque fine *Articulos communionis pro Chriſtianis Eccleſiis* vel congregationibus compoſuiſſe, quos hic p. 38, 39 integros exhibet. Primarii inter eos hi fere ſunt, ut recipiantur in his Eccleſiis Sacri V. & N. T. Libri *cum omnibus aliis originalibus Traditionibus, doctrinis, & Conſtitutionibus* a Chriſto & Apoſtolis derivatis, quotquot earum genuinæ apparuerint, ut Liturgia e Conſtitutionibus Apoſtolicis & Scriptura S. verbotenus extracta uſurpetur, ut, quibus vere ſcrupulus circa Pædobaptiſmum, nec non Diei Dominicæ celebrationem hæreat, iis permittatur, liberos adultos ad Baptiſmum adducere, & Sabbathum pariter cum Die Dominico celebrare, ut omnes hæretici vel humanis dictatis adhærentes excludantur, ut non aliud nomen diſtinctivum Sectæ, niſi Chriſtianorum admittatur, ut hebdomatim congregatio membrorum Diſciplinæ Eccleſiaſticæ ergo habeatur, ſtatui publico cum politico, tum eccleſiaſtico nihil derogetur, neque ulla perſecutione quisquam a veritate defendenda deterreatur. Cui inſtituto ut porro ſerviret, peculiari ſcheda Propoſitiones de erigendis Societatibus ad promovendum primævum Chriſtianismum unice ſpectantibus, publicavit, haud dubius, ut fere conjicere licet, de Sectatoribus colligendis.

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII Exercitatio de uſu rationis humanæ in Sacris.

Jenæ,

Jenæ, apud Jo. Felicem Bielkium, 1713,4.
Plag. 8.

SAcra aggreditur celeberrimus ſuaque in Arte experientiſſimus Autor, principioque ſapientiam effert in Principe, & numos, in quibus Conſtantino ſapientia modo in genere, modo cum addito Principis providentiſſimi elogio fuit attributa, in medium profert. Dedic. Neminem ſapientem agnoſcit, niſi pium, ſenſu forſan prægnante, quandoquidem alibi nec ſapientiam in genere & ſpiritualium cognitionem rationi tribuit. Ἀνθρώπου διεφθαρμένου τὸν νοῦν ex Præf. Hippocrate, πρωσώπου διαφθορὰν θανάσιμον, faciem cadaverosam, qua ægroti ne familiaribus quidem ulterius innotescerent, allegante, exponit. Formalis imaginis divinæ ratio in essentiali, pag.10. & propria Trinitati Sanctitate collocatur, ita tamen, ut etiam ἐπίγνωσις τοῦ Θεοῦ ad imaginem referatur, & memorata Sanctitas essentialis per expressam adessentialem illam postea explicetur. Rationi adeo denegatur in sacris arbitrium, ut diserte doceatur, citra gratiam nec in γνώσει illam valere quippiam, donaque ministrantia directorio divini Spiritus submittantur. Studium pietatis 17. & devitatio vitiorum mediis alicubi ad fidem, ejusque augmentum suggerentibus accensentur, Fidei vero analogiam rationem capere nudam, rectissime negatur. Simulacra Trinitatis petuntur postea ex natura, dum *loquens*, *sermo* & *halitus*, tria licet, in uno tamen concurrerent verba faciente. Corporaliter simul impertiri animæ pabulum in S. Cœna, & ex veteri Adamo consurgere novum, ut per tincturam Philosophicam fieret ex metallo aurum, postea docetur. Locus Matth. VI, 3, nesciat sinistra tua, quod fecit dextra, non tam de occultatione & ostentationis fuga, sed de eo exponitur, quod dextra ordinarie demus, sinistra sumamus, hæcque adeo illam retinere non debeat, tantoque sinistra dextra, nobilius sit dare, quam accipere. Usus rationis in conjectandis sacris quibusdam, iisque Apocalypticis numeris perinde ostenditur, periodusque Turcarum ab anno 1308 usque ad 1700 definitur, 38. & Apoc. IX, 15 latere, creditur. Peccatores in Spiritum S. non consequi veniam, exinde docetur, quod mentem assumserint diaboli, spe omnis veniæ exclusi. Subjective primum, dum in summam res omnis contrahitur, postea *objecutive* & denique *collective*

uſum in ſacris habere ratio perhibetur, moreque Medicorum aſſeritur, poſſe aliquid rationem in fontibus, quorum diceretur primus: τῶν ἐσιωδῶς ἐνεόντων, eſſentialiter inhærentium, ſecundus: τῶν ἐπεσιωδῶν, eſſentialiter conſequentium, tertius: cauſarum, quartus: Ἀναλογισμῶ.

ALOYSII LUISINI UTINENSIS DE COMpeſcendis animi affectibus tractatus.

Argentorati, impenſis Jo. Reinh. Dulſſeckeri, 1713, 8.
Plag. 13.

LÆLII PEREGRINI DE NOSCENDIS ET emendandis animi affectionibus liber ſingularis. Acceſſit VINC. PLACCII moralis ſtudii ſuccincta hiſtoria.

Lipſiæ, ſumpt. Jo. Frid. Gleditſchii & Filii, 1714, 8.
Plag. 21.

TRes heic una eademque opera exhibemus libellos morales, ſua laude jam conſpicuos, in uſum orbis literarii denuo recuſos. Prior parentem agnoſcit *Aloyſium Luiſinum*, Medicum Venetum, ſed patria Utinenſem, qui gemina ratione animi affectus compeſcere docet, & primum quidem per philoſophiæ moralis regulas & medicamina, tum per ipſam medendi artem. Major tamen tractatus hujus in tres libros diviſi, pars generaliora continet; niſi quod in iræ, furoris, triſtitiæ, metus, melancholiæ, invidiæ, quoad cauſas, effectus & remedia ſua tum moralia tum medica, delineatione, perinde juxta ac in adjecta diætæ ſervandæ deſcriptione ad paullo ſpecialiora autor deſcendat. Interim ad hoc inſtitutum compulſum ſe meminit Luiſinus in dedicatione editionis primæ hujus tractatus, qui Venetiis A. MDLXI primum prodiit, & mox quoque Baſileæ A. MDLXII typis exſcriptus fuit, ex eo, quod nulla retro ætas magis Medicorum opera indiguiſſe ſibi viſa fuiſſet, quam illa ſua, qua & animi affectibus indomitis omnes obtemperarent, & nonniſi corpori increaſſando indulgerent, velut nulla animæ rationalis vis homini eſſet indita. Factum inde eſſe, dicit Luiſinus, ut propter immodicam deſidiam, edulia, ebrietates, venerem, non ſolum

lum podagrizarent eunuchi; ſed & mulieres, propter errorum magnitudinem, omnia morborum genera, facto velut agmine, invaderent interficerentque. Non melior, ſed multo pejor eſt noſtræ ætatis facies hominumque utriusque ſexus in eadem conditio. Indeque operæ pretium fore non diffiſus eſt Dulſſeckerus, bibliopola Argentoratenſis, ſi tractatum illum Luiſini brevem quidem, ſed ad compeſcendos animi affectus valde comparatum, e tenebris denuo protraheret, iisque, qui rectius ſapere volunt, legendum daret.

Alter liber, quem heic exhibemus, parentem habet *Lælium Peregrinum*, Philoſophum & Oratorem Romanum, & Jano Nicio Erythræo in Pinacotheca ex eo admodum laudatum, quod & orator diſertus eſſet ac eloquens, & ipſe perpetuo honeſtæ ac laudabilis vitæ tenore usque ad ſenectutem vixerit. Prodiit ejusdem liber de noſcendis & emendandis animi affectionibus, quantum ex catalogo bibliothecæ Barberinæ conjicere licet, primum Romæ, A. MDXCVII, isque poſtea Urſellis, A. MDCIII, & Argentorati, A. MDCXIV, cum libris Ethicorum Abrahami Sculteti eſt recuſus. Abſolvitur autem ille duabus partibus, quarum prior naturam & indolem affectionum animi in genere excutit; poſterior autem in ſpecie de amore, de deſiderio, de gaudio & delectatione, de odio & malevolentia, de averſatione ſeu fuga mali, de triſtitia & dolore, de miſericordia ſive miſeratione, de invidia, de verecundia ſeu pudore, de indignatione, de æmulatione, de ſpe, confidentia & deſperatione, de timore, audacia & ira, horumque affectuum tum natura, tum cauſis, tum effectibus, tum remediis tractat. Ornavit præterea præſentem libri hujus Læliani editionem Præfatione non incompta Vir Cel. Chriſtianus Gottlieb Schwartzius, Profeſſor Altorfinus, ubi de λογομαχίᾳ virorum eruditorum in doctrina affectuum diſſerit, & duo cumprimis in eadem ſe concoquere non poſſe ſignificat. Et unum quidem eſt, quod Carteſiani ſedem affectuum in intellectu collocent, qua in re vero Ruardus Andala haut ita pridem a magiſtro ſuo receſſiſſet. Alterum vero eſt, quod celeberrimus Buddæus æmulationem in pravorum affectuum numerum referat; quam ſententiam nuper etiam laudatus Schwartzius peculiari diſſertatione excuſſit. Demum apparet heic quoque *Vincentii Placcii* fœtus quidam, ex commentario ejusdem de morali ſcientia au-

genda desumtus, & a Bibliopola Lipsiensi Peregrini libro de animi affectionibus nunc adjectus. Continet ille succinctam moralis studii historiam, per omnes gentes inde ab orbe condito deductam; cumque idem propria jam laude sua orbi literario se commendaverit, nostra non opus habebit hedera.

M. FRIDERICI GOTTHELFF GOTTERI, Lycei Eisenbergensis Rectoris, Elogia clarorum Virorum, qui Altenburgum nostra patrumque memoria tum scriptis, tum egregiis meritis illustrarunt.

Jenæ, apud Ernestum Claudium Baillar, 1713, 8.
Plag. 8.

Pietate in patriam excitatus Autor Clarissimus libellum hunc, futurorum ejusdem argumenti scriptorum prodromum, haud ita pridem in publicam lucem emisit. In eo namque labor studiumque ejus versatur, ut celebres Altenburgi viros, qui vel promulgatis scriptis, vel insignibus in Rempublicam meritis a Divi Lutheri reformatione ad nostra usque tempora inclaruerunt, succinctis elogiis extollat. Hinc, ut tum brevitati, tum eruditorum commodo eo felicius inservire valeat, omissis, quæ liberos, fœminas, aliaque, in prolixis biographiis obvia, concernunt, quæque a Cl. Forstero, Bibliothecæ Altenburgensis aulicæ præfecto, in sua, quam componit, Historia Altenburgensi suppleri pollicetur, potissimam historiæ sacræ rationem habet, & partim muneris, quo defuncti, rationem exponit; partim scripta, si quæ ediderunt, recenset; de cetero autem singularia illorum fata enarrat. Primum ergo locum Gabriel Didymus, Senatui Altenburgensi a Megalandro nostro summis elogiis commendatus, occupat, quem Wenceslaus Linckius, Georgius Spalatinus, Augustinus Himmelius, Alexius Bresnicerus, Eberhardus Brisgerus, Andreas Misenus, Esaias Oswaldus, Caspar Melissander, Josua Lœnerus, Balthasar Mullerus, Marcus Gerstenbergerus, Abrahamus Suarinus, Elias Fœrsterus, Burchardus Lucanus, Caspar Facius, Henricus Gebhardus, alias Wesener, Martinus Mendius, Henricus Eckhardus, Josephus Clauderus, Thomas Reinesius, Georgius de Freywald, Bernhardus Bertramus, Ægidius Hunnius secundus, Arnoldus Mengeringius, Johannes Fridericus

ricus de Brand, Jacobus Freisleben, Wolffgangus Conradus de Thumshirn, Michael Crellius, Martinus Caſſelius, Tobias Seifartus, Sebaſtianus Urſinus, Hector Pœmerus, Ludovicus Braunius, Georgius Crauſerus, Johannes Chriſtfried Sagittarius, Johannes Freisleben, Johannes Thomæ, Johannes Dietericus de Schœnberg, Gabriel Clauderus, Fridericus Gotterus, & Paulus Martinus Sagittarius juſto ordine atque concinna brevitate ſequuntur. Reliquos, quos Altenburgum fovit, eruditiſſimos viros ſecuturis proxime elogiis reſervabit. Denique ad calcem opellæ Reinefii, Lambecii, Seckendorfii, & Caſparis Sagittarii literas, rem literariam quodammodo illuſtrantes, adjecit.

NOVA LITERARIA EX ANGLIA ET BELGIO e Literis J. C. B. ad J. B. M. excerpta.

LOndini nuperrime prodiit *Theologia Reformata, or the Body and Subſtance of the Chriſtian Religion compriſed in diſtinct Diſcourſes upon the Apoſtoles Creed, the Lords Prayer, and ten Commandments, by John Edwards D. D.* 2 Voll. in fol. Idem D. Jo. Eduardus paulo poſt edidit *A Supplement to the Animadverſions on Dr. Clarks Scripture-Doctrine of the Trinity, wherein is probably gathered from Scripture and Reaſon, and the Teſtimony of ſome of the Fathers, that there is no ſubordination in the Holy Trinity, and that the Son of God is Self-Exiſtent as well as the Father; with a Defence of the Liturgy of our Church againſt Dr. Clarks groſſ miſinterpretations of ſeveral Paſſages of it*, Londini in 8. Contra Clarkium alias etiam hoc anno non ſolum Wilh. Lorimer, Evangelii Miniſter, Explicationi priorum XIIX verſuum cap. I Johannis Londini in 8 editæ, ſubjunxit *A Scriptural Demonſtration of the true Deity of the eternal World;* ſed etiam Eduardus Wells publicavit *Remarks on Dr. Clarks Introduction to his Scripture-Doctrin of the Trinity*, Oxon. in 8. Contra Neo-Arianos generatim prodiit *The Harmony of the Canonical and Apocryphal Scriptures, with the Catholick Tradition of Faith in the Trinity and Unity, and the Incarnation of the Eternal Word and Son of God, under 17 Chapters or Titles, by Sam. Hill*, Lond. 1713, in 8. Speciatim contra Whiſtonum comparu-

erunt *Heretical Characters illuſtrated and confirmed with ſome Applications of them to Mr. Whiſton from Paſſages in his Primitive Chriſtianity* &c. ibid. eod. 8. Item, *Arianism not the Primitive Chriſtianity, or the Ante-Nicene Fathers vindicated from the Imputation of being favourable to that Hereſie, by John Hancke*, ibid. eod. 8. Ut alia nunc taceam. Ipſe Whiſtonus, novæ ſectæ autor, Tabulam, quæ uno obtutu fiſtit Symbola doctrinæ priorum quatuor Chriſtianismi ſeculorum, prout quidem erroribus ipſius favere videntur, typis excudi curavit. Idem emiſit *Propoſals*, ut dicuntur, *for Printing by Subſcription a very cheap and correct edition of all the Primitive Fathers before the Council of Nice, ending with Euſebius's Eccleſiaſtical Hiſtory, in 12 Volumes*. Patres autem iſti ex optimis edit. cum criticis & ſelectis notis, ipſius Whiſtoni cura, imprimendi ſubſcribentibus conſtabunt circiter ſeptem libris Sterl. Patet etiam in ædibus Whiſtoni Bibliotheca Primitiva, vulgo *Primitive Library*, (de qua procul dubio jam audiviſtis) neque contemnendus jam in illa apparatus deprehenditur. Contra Atheos prelo exiit *Phyſico-Theology, or a Demonſtration of the Being and Attributes of God from his Works of Creation; being the Subſtance of Sixteen Sermons preached in St. Mary le Bowchurch London at the honourable Mr. Boyl's Lectures in the years 1711 and 1712 with large notes, and many curious obſervations never before publiſhed. By W. Derham, Rector of Upmunſter in Eſſex, and F.R.S.* Ill. Rymerus in edendo Tomo XV Actorum publicorum Regum Angliæ occupatus eſt, in Tomo XVI tandem, qui hiſtoriam ad Annam Reginam perducet, finiturus. Chamberlaynii liber, *The preſent State of England*, proximo vere denuo prodibit.

Cantabrigiæ eruditiſſimi Bentleji, qui ſemper eximium quid molitur, Emendationes in Menandri & Philemonis reliquias, ſub nomine Phileleutheri Lipſienſis anno 1710 editas, addita ejusdem Epiſtola ad Jo. Millium de Johanne Malela Antiocheno, quæ anno 1691 pariter jam in lucem prodiit, nuperrime rurſus impreſſas eſſe, forte jam innotuit. Prelo quoque non longe poſt abſoluta eſt pars altera Animadverſionum (*Remarks*) ejusdem, quas Anglice edidit ſub eodem Phileleutheri Lipſienſis nomine contra ſcriptum aliquod, cui titulus: *A Diſcurſe of Free-thinking occaſion'd by the Riſe and*

and Growth of a Sect call'd Freethinkers. Ceterum idem Bentlejus novam Terentii editionem parabit, simulac lectiones quasdam ex Codice Parisiensi nactus fuerit.

In Belgio Hagæ Comitum Jo. Gerh. Meuschen, Lutheranæ Ecclesiæ Minister, parat novam editionem Leonis Allatii de Vitiis magnorum Virorum, cui Vitam Autoris ex scriptis ejusdem tam publice extantibus, quam Epistolis quibusdam ad Marcum Meibomium exaratis & nondum editis, quas posfidet, præmittet. Wasewyckii, Scholæ Hagensis Rectoris, Virgilius cum Servii Commentariis, e MS. Cod. emendatis, prelo fere liberatus est. Lugduni Catalogus MStorum, quæ in Bibliotheca Academiæ publica asservantur, imprimitur. Cl. Marckius in elaborando sexto Tomo Exercitationum in V. & N.T. occupatus est. Trajecti ad Rhenum Leydeckerus molitur tertium Tomum Libri de Rep. Hebræorum, in quo de statu Judæorum, a Christo nato ad hodierna usque tempora acturus est. Cl. Relandi Palæstina, quæ sub initium anni proximi prodibit, tribus partibus destincta est. In prima disserit de Palæstinæ nominibus, situ, terminis, partitione, aquis, montibus & campis: in secunda de intervallis locorum: in tertia ordine Alphabetico ipsa loca exponit. Tabulæ Geographicæ adjectæ sunt accuratissimæ. Amstelodami Surenhusius Thesaurum Antiquitatum Judaicarum ex Mischna, Gemara & Maimonidis Jad Chaseka colligit. Hemsterhuisius Jamblichum evulgabit quoad posteriorem partem; cum quoad priorem dederit Cl. Kusterus. In Bibliopolio Jansenio-Waesbergiano exstat specimen Concordantiarum LXX Interpretum, quas olim Kircherus edidit, jam vero auxit, & meliori ordine disposuit Abrahamus Trommius, Ecclesiastes Groninganus. Bibliopolæ spem faciunt, fore, ut intra anni spatium utilissimum opus prelo exiret. Franequeræ Campegii Vitringæ Commentarius in Jesaiam, quoad priorem partem capita 22 complectentem, jam publice prostat in fol. Filius ipsius ejusdem nominis superiori anno Præside D. Henr. Philipponeo de Hautecour Dissertationem Theologicam habuit *de Usu notionis Spiritus Sancti quibusdam in locis Scripturæ Sacræ restricto ad secundam SS. Triados hypostasin.* Lamb. Bos in publicum emisit Compendium

dium Antiquitatum Græcarum. Sub prelo vero habet obſervationes Philologicas ad varios autores Græcos. In Rhenferdii locum ſuperiori menſe ſucceſſit Albertus Schultens, Animadverſionibus in V. T. clarus. Inter Ruardum Andalam & Joh. Regium, illum Theologiæ, hunc Philoſophiæ Profeſſorem, lites exortæ ſunt circa dependentiam actionum a Deo. Conſcripſerat hic ſuperiori anno Diſſertationem *de genuina cauſæ ſecundæ notione, veraque ejus efficacia*, & ſtatuerat in illa, creaturas activas, totas quantas licet in cunctis, nullo excepto, a Creatore dependentes, vera tamen & proprie dicta operandi facultate non carere. Quæ ſententia cum Andalæ adverſari viſa ſit doctrinæ, quam Eccleſia Reformata profitetur, ſub cenſuram illam in Diſp. *de Libero Peccatoris Arbitrio* hoc ipſo anno habita, quamvis tacito Regii nomine, revocavit. Hic ergo brevi poſt in annexo Diſputationis *de Mente Humana* ſe defendit contra Andalam; qui propterea non ſolum in Diſputationis conflictu opponentis partes egit, ſed etiam edidit *Vindicias Veritatis, quam Eccleſiæ Reformatæ profitentur de Dependentia Actionum a Deo. Sive auctarium Diſſertationis III Pentadis A. 1712 editæ. Adjecta eſt Diſputatio Theologica de Libero Hominis Peccatoris Arbitrio*, Franequer. in 8. Quarum litium fama cum ad Nob. Academiæ Curatores perveniſſet, utrique parti, ne Academiæ turbaretut tranquillitas, ulteriori non tantum ſcriptione ſed & diſputatione de re inter ipſos controverſa interdixerunt; donec plenior cauſæ cognitio ſuſcipi poſit. Regius autem veritus, ne ob infrequentem Nob. Curatorum congregationem editio Apologiæ ſuæ, cujus ſpem ab uno illorum membro obtinuerat, in longum tempus differretur, illam non obſtante interdicto, per cognatum quendam Amſtelodami imprimendam curavit. Prodiit ergo hoc titulo: *Wilhelmi Vaji S. S. Th. Stud. Pietas, Avunculo ſuo honorando, Johanni Regio, Med. & Phil. Doctori, hujusque Profeſſori, exhibita in maturanda editione ejus Moderaminis inculpatæ tutelæ, quo Cl. Autor maculam Heterodoxiæ circa Veritatem de dependentia actionum a Deo ipſi nuper falſo adſperſam eluit*, in 8. Andala interim ſperat, fore ut viciſſim reſpondendi permiſſionem obtineat.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii Anno M DCC XIV.

C. JULII CÆSARIS QUÆ EXTANT ACCURATISSIME cum libris editis & MSS. optimis collata, recognita & correcta. Acceſſerunt Annotationes SAMUELIS CLARKE, S. T. P. itemque Indices Locorum, rerumque & verborum utiliſſimæ. Tabulis æneis ornata.

Londini, ſumptibus & typis Jacobi Tonſon, 1712, f. ch. reg. Alph. 6 pl. 4 tab. æn. 77 nitidiſſ.

OPus hoc Regiis oculis dignum, ſummoque Heroi Joanni de Marlborough dicatum, Cæſaris & Hirtii Commentarios ſplendide impreſſos, & quantum per humanas vires licuit, emendatiſſimos complectitur. In quo eruditiſſimus Editor non tantum lectiones codicum diligenter contulit, ſed & accurata imprimis interpunctione id effecit, ut ſua nitidiſſimo autori, qua ſuper alios omnes excellit, dilucida & perſpicua conſtet locutio. Multum vero ſibi profuiſſe fatetur Codicem ex antiquiſſimis exſcriptum, quem e Bibl. Regia ſuppeditavit Vir celeb. Rich. Bentlejus, nec non Lectiones MScriptæ a Roberto Cannon ex muſeo Iſ. Voſſii communicatas, & pulcerrimum Codicem e Bibl. Epiſcopi Elienſis Joannis Moore denuo (nam & Daviſius illo uſus eſt) exhibitum. His eo judicio uſus eſt Cl. Clarkius, ut in Annotationibus ad finem operis adjectis loca non pauca, adhibitis & ſæpe curis poſterioribus, felicisſime emendaverit. Nos unicum exemplum ex Libro VIII de Bello Gallico §. 19 producemus. Verba ſunt in ipſo opere p. 207 : *Quum in colloquium ventum eſſet, &, ut convenerat, manum Comii Voluſenus arripuiſſet, & Centurio*, velut *inſueta re permotus*, vellet *hominem confice-*

re ; celeriter a familiaribus prohibitus Comii, non potuit : graviter tamen &c. Ad hunc locum Noſter in Annotationibus editos omnes omiſſa voce (*&*) exhibere ait : (*Quum - arripuiſſet ; centurio &c.*) Qui cum ſenſus eſſet nullus, ipſe vocem iſtam (*&*) interpoſuit. Verum cum particula illa in nullis reperiatur MSS ; atque etiam vox (*vellet*) in omnibus MSS deſit ; & voces iſtæ (*velut inſueta re permotus*) non bene in eo, quo poſitæ ſunt, loco conveniant ; & tum in MSS. tum in Editt. Vett. transpoſita legatur pars ſententiæ poſterior (*celeriter a familiaribus prohibitus Comii, hominem conficere non potuit,*) utique ne iſtam quidem, quam edidit, veram eſſe putat Lectionem. Cum vero MS. Elienſe hoc modo exhiberet : *Quum - - manum Comii Voluſenus arripuiſſet ; centurio*, velut *inſueta re permotus*, vel, *celeriter a familiaribus prohibitus Comii, conficere hominem non potuit : graviter tamen &c.*) hinc, ne literula quidem mutata, ſed (*vel ut*) ſolummodo pro (*velut*) poſita, iſto demum modo ipſum ſcripſiſſe Hirtium nullus dubitat : (*Quum - - manum Comii Voluſenus arripuiſſet ; centurio, VEL ut inſueta re permotus, VEL celeriter a familiaribus prohibitus Comii, conficere hominem non potuit : graviter tamen &c.*) Plura non addimus, quam ut moneamus, Indices locorum multo nunc quam antehac locupletiores prodiiſſe, nihilque in univerſum in pretioſiſſima hac editione deſiderari, quod ad ornatum ſpectet, plurimis quippe figuris longe elegantiſſimis identidem admixtis, in quibus apparatus omnis Veterum militaris, caſtrorum metationes, prælia, oppugnationes, cultusque & habitus gentium exactiſſime repræſentantur.

BIBLIA SACRA QUADRILINGUIA NOVI Teſtamenti Græci, cum Verſionibus, Syriaca, Græca Vulgari, Latina & Germanica. Univerſa ad optimas quasque Editiones recognita ; adjectis Variantibus Lectionibus, tum Græcis ex Edit. N. T. JOH. MILLII, tum Syriacis ex Polyglottis Anglicanis & ed. SCHAAFII &c. nec non locis Parallelis, & Annotationibus Philologicis & Exegeticis ; accurante M. CHRISTIANO REINECCIO, SS. Theolog. Baccal.

Lipſiæ

Lipſiæ, ſumtibus hæredum Lanckiſianorum, 1713, fol. Alph. 10 plag. 18.

VEteris Teſtamenti Bibliis, quæ ante Novum Teſtamentum prelo jam ſubjecta & quoad partem priorem typis fere exſcripta ſunt, hæc Novi Teſtamenti Quadrilinguia antevertunt. In his iſtud imprimis ſibi propoſitum fuiſſe Cl. Editor monet, ut per facillimam textus authentici & verſionum collationem S. Literarum Cultoribus exhiberet *Biblia & Bibliorum Commentaria*. Quod enim Philippus Melanchthon de Verſione Germanica B. Lutheri adſeruit, ipſam *vice Commentarii* eſſe poſſe, magis deprehendi verum cenſet, ſi cum textu Græco & reliquæ hæ inſignes Verſiones conferantur. Laudat maxime Celeberrimi *Joh. Millii* operam, quam in conferendis Codicibus ſacris locavit, eamque ipſis verbis Cl. *Ludovici Küſteri* vindicat. Prudenter vero requirit, ut non minor diligentia, in examinandis & juxta regulas criticas diſcernendis Variantibus Lectionibus adhibeatur in ſanctis antiquæ ætatis monumentis conquirendis, eorumque varietatibus congerendis. *Textum Græcum* Novi Teſtamenti ad optimas quasque Editiones recenſuit, eique, quas *Joh. Millius* collegit, & in repetita Editione Novi Teſt. Milliana ex decem MSS. *Lud. Küſterus* adauxit, Variantes Lectiones ratione compendioſiſſima ſubjecit, addiditque eruditas ubique cenſuras ex *Whithyo*, *Joh. Clerico*, *L'Enfant*, aliis Criticis, maxime in locis, ubi aliquam textus recepti immutationem tentare voluit *Millius*. Ab ipſo enim receptas lectiones Codicum Græcorum meris ſæpe conjecturis impugnari tulit quam ægerrime, & ubi rei momentum adfuit, ea oppoſuit, urſitque, quæ merito a nobis retineri debeant, ne tam facile receptas & optimorum Codicum fide probatas Lectiones deſeramus. Quasdam autem varietates *Millii* ex Verſionibus Orientalibus & Patribus allatas, quas Editor evolvens ipſe non deprehendit vero conſonas, nec etiam magni momenti, dimiſit cum ſilentio, certiſſime perſuaſus, in ejusmodi accumulatis Lectionum varietatibus annotandis fieri non poſſe, quin quandoque earum collector aberret, cumprimis ſi in Orientalibus nonniſi Verſionibus Latinis uti noverit. Ubi vero Doctiſſ. *Millius* non raro hodiernas Lectiones contra *Grotium* & alios egregio apparatu ſolide-

lideque vindicavit, harum vindiciarum quoque rationem habendam esse duxit, easque ubi commodum fuit & a *Millio* non dissensit ipse, quod circa *Cainanem* Luc. III, 36 & passim alibi observamus, totas inseruit. Vide Marci XVI, 18 seqq. p. 192, Joh. VIII, 1-12 p. 359, Rom. IX, 5 p. 949, 1 Joh. V, 7 p. 963 &c. Nec relictum videtur in Milliana N. T. Editione quicquam ad textum Græcum pertinens, sive in Notis, sive in prolixis prolegomenis, quod notatu dignum non in hanc quoque editionem sit translatum & suo loco positum, utut filo utique longe breviori. Textui divino Græco in prima, quam vocant, columna ab uno latere Editor junxit *Versionem Syriacam* & ab altero *Versionem Græcam Vulgarem*. Quarum quidem Versionum in Præfatione & ætatem diversam & autoritatem agnoscit: utilitatem tamen utriusque deprædicat & enixe commendat. In secunda columna locavit *Versionem Latinam & Germanicam*, & de harum quoque Versionum præstantia, Latinæ ad textum authenticum revisione, & Germanicæ ad antiquissimas editiones, ipsasque eas, quæ, vivo Luthero, inprimis Wittebergæ prodierunt, emendatione, quæ visa sunt necessaria, edisserere se meminit Editor in Præfatione ad Quadrilinguia V. T. Facile etiam deprehendimus, in Latina N. T. versione *Seb. Schmidii*, qua præ aliis usus est, non tantum ea, quæ in editione secunda Argentorati Summe Rev. Facultas Theologica emendari voluit, probe in hac editione esse observata, sed innumera etiam alia ad textum Græcum esse correcta, v. g. in hac ipsa Editione Schmidiana Matth. XVIII, 24 omissum erat *debitor*; Luc. XXIV, 15 erant omissa: *& se mutuo rogitarent*; Joh. III, 34 legebatur *Pater* pro *Deus*; Act. XV, 36 *visitantes* pro *reversi*; Act. XIX, 12 *sudore* pro *corpore*; Act. XXVII, 12 omiss. *portus*; 1 Thess. II, 2 omiss. *multo*; Apoc. XVIII, 3 positum erat *potavit* pro *biberunt*, quæ ut alia plura in hac editione emendata sunt: ut plures insertas ex Schmidianis præcipue Commentariis parentheses ad faciliorem verborum intelligentiam apprime facientes silemus. Similiter in Germanica quoque versione *B. Lutheri* vidimus Cl. Editorem iis, quæ ante paucos annos in Bibliis Germanicis *cum Approbatione Summe Rev. Facultatis Theol. Lipsiensis & præfatione B. D. Thomæ Ittigii Superintend.* 1708 Lipsiæ excusis emen-

emendaverat, addidiſſe adhuc plura. Hinc ex primis editionibus Verſionis Lutheri legimus in his Bibliis Quadrilinguibus plures annotationes & Gloſſas Lutheri plures, pluresque emendationes ſuis ubique & ſignis & editionum annis diſtinctas. Ita etiam clauſtris incluſa leguntur Marci II, 26 & 1 Joh. V, 7 & pauca alia, quæ in Edd. Bibliorum *Lutheri* 1522--1596 non reperiuntur, ſed ſequenti tempore juxta probatiores Codices Græcos addita ſunt. Eidemque Germanicæ Verſioni adaptata ſunt *Loca Parallela* copioſiſſima, realia æque ac verbalia, verbisque textus per ſigna literarum accommodata. Et, ut nihil prorſus eſſet, quod Sacrarum literarum Cultores etiam in abſtruſioribus difficiliorum locorum ſenſibus indagandis deſiderare poſſent, eæ ubique adductæ ſunt obſervationes & expoſitiones, quæ aut ſatisfaciunt plane omni dubitationi, aut ſaltem occaſionem ſuppeditant meditandi alia, & ſi fieri poteſt, meliora. Non enim in dubiis locis obtrudere cuiquam Editor voluit ſingulares quorundam Doctorum expoſitiones, ſed in recenſione plurium ſæpe interpretationum optionem permittit Lectoribus, ut eligant, quod melioribus rationibus firmatum judicant. Speciminis loco jam nobis ſit, quod ſtatim prima fronte horum Quadrilinguium legimus Matth. I, 8, ubi in Genealogia Chriſti hactenus communiter tres Reges omiſſos eſſe Interpretes annotarunt, & *Joramum* generatione mediata (mediante ſcil. *Achaſia, Joaſo & Amaſia*) genuiſſe *Oziam* ſtatuerunt: nullos vero omiſſos eſſe, ſed *Joramum* (non Regem, ſed alium ejus fratrem ejusdem nominis natu minimum) immediate, quod textus litera poſtulat, genuiſſe Oziam, ex ſententia *D. Grünebergii* refert, adductis his ejus ſententiæ e Veteri Teſt. veſtigiis, quæ reperit (α) in comminatione divina 1 Reg. XXI, 21, 22, cujus comminationis terminum aut hic in Amaſia (ſcil. Athaliæ filiæ Achabi propagine) fine prole decedente figi debere putat, aut nullibi commode figi poſſe: & (β) in interregno illo diuturno undecim circiter annorum inter *Amaſiam* & *Oziam*, quod non interceſſiſſe ſibi perſuadet, ſi Uſias Amaſiæ verus & naturalis filius ab eoque genitus, & non potius adoptivus tantum, 2 Reg. XV, 1 ſeqq. fuiſſet. Plura ex iis, quæ per univerſum N. T. Codicem ſingulari ſtudio congeſſit, non addimus, ſed propriæ cujusque lectioni, quæ ſuo non carebit fructu,

relinquimus. In *Addendis* denique reperimus (1) Varias lectiones Verſionis Syriacæ Novi Teſtamenti; (2) Tabulam, in qua Siglæ, quarum fuit uſus in notandis variantibus Lectionibus Græcis, exponuntur, & præcipui Codices Græci, utpote, *Alexandrinus*, *Bornerianus*, *Cantabrigienſis*, *Claromontanus* &c. deſcribuntur; (3) *Coleti*, Sacerdotis Græci animadverſiones in verſionem Græcam vulgarem & (4) Quatuor Evangeliorum vindicatam ἀυθεντίαν, hiſtoriam & harmoniam, ut & ſingulorum librorum N. T. reliquorum recenſionem & analyſin, una cum enumeratis in quemque librum Novi Teſt. Commentariis antiquis pariter ac novis, adjectisque difficiliorum locorum, quæ ſub ſuis columnis ſpatium non repererunt, explicationibus plane ſelectiſſimis. Et in hiſtoria quidem Evangeliſtarum obſervamus, noluiſſe Editorem accedere iis, qui Lucam ante reliquos Evangeliſtas omnes ſuum Evangelium ſcripſiſſe arbitrantur. Matthæum & Levi pro eodem habet, eumque non Hebraice ſed Græce ſcripſiſſe Evangelium, defendit, quo idiomate & Marcus & reliqui N. T. Scriptores omnes uſi ſint. Quæ vero de autographo *Marci*, apud Venetos, & *Johannis*, apud Toloſates, narrantur, fabulis annumerat. In Harmonia Evangeliorum exhibetur in Tab. I ordo, quem *Andr. Oſiander* in Elencho ſuo textuit ex hypotheſi: *Singulos Evangeliſtas juxta ordinem temporis enarraſſe dicta & geſta Chriſti*; quam hypotheſin quoque ſecuti ſunt *Calovius*, *Sandhagenius*, *Majus* aliique, quorum Chronotaxis magis expolita in Tab. II ſiſtitur, & in Tab. III ſubjicitur ordo, qui ſervatus eſt in Harmonia *Chemnitio-Lyſero-Gerhardiana*, per ſingula capita. Quæque uberiori declaratione indigere viſa ſunt, in Tabulis per literas (a) (b) &c. notata ſunt, & in Annotationibus ad illa Scripturæ loca rationes harmoniæ & chronotaxeos fuſiſſime exponuntur. Harmoniæ etiam *Calendarium Judaicum* anni primi miniſterii Chriſti adjicitur, cujus uſus in ordinatione eorum, quæ in Sabbathis & diebus Feſtis contigiſſe dicuntur, conſpicuus eſt. Atque hæc ſunt, quibus hæc Editio ſeſe facile probabit omnibus, neque dubitamus, quin hæc Quadrilinguia N. T. etiam V. T. Quadrilinguibus mox potiundi deſiderium ſint excitatura.

COM-

COMMENTAIRE PHILOSOPHIQUE &c.
hoc eſt:
COMMENTARIUS PHILOSOPHICUS IN VERBA Chriſti: Compelle intrare, ſive Tractatus de Tolerantia univerſali, Autore P. BÆLIO. Nova Editio.

Tomi II.

Roterodami, apud Fritſchium & Bohmium, 1713, 12 maj.
Alph. 1 pl. 20

CUm religio ad tranquillitatem animis ſingulorum hominum atque univerſis civitatibus conciliandam comparata eſſe debeat, triſti tamen tot ætatum experientia conſtat, civium felicitatem nulla re magis labefactatam eſſe vel etiam prorſus everſam, quam religione. Quæ res multos in eam induxit ſententiam, optabilius eſſe Rebuspublicis, cives vel ſaltim Principes habere ἀθέους, quam religioni inconſulto cum zelo addictos. Hinc quippe immaniſſimæ oriuntur diſſentientium vexationes, hinc vis conſcientiis illata, hinc mala alia quam plurima. Hujus rei cum exemplum aliquot abhinc annis præberet Gallia, vir ingenio pariter & doctrina præſtantiſſimus clariſſimusque, Petrus Bælius, ad duos edendos libros excitatus eſt, quorum priore acriter in ſævitiam Gallorum Pontificiorum invectus eſt, poſteriore tolerantiam religionum graviſſimis commendavit argumentis tanquam certiſſimum infinitorum malorum remedium. Hunc præfixo nomine *Joannis Fox de Bruggs, Presbyteriani Angli*, evulgarat: illum ἀνωνύμως emiſerat in publicum. Utrumque non nemo, cujus nomen P. M. Præfationi ſubſcriptum eſt, recudendum curavit, idque, ut ipſe ait, propterea, quod vix ullus ſit in toto orbe litterario liber, qui æque recudi mereatur: quippe cum & Viri ſummi ſit liber optimus, (loquitur de *Commentario Philoſophico*,) & in argumento verſetur ad totius generis humani ſalutem pertinenti. Nullo enim alio in libro barbaram illam de vexandis diſſentientibus doctrinam ſolidius everti, ſententiamque de iis tolerandis melius firmari. Ceterum cum prior editio ſcateat mendis typographicis, hæc & accuratiſſime emendata & annotationibus nonnullis locupletata eſt. Sed jam ipſos hoſce libros

bros inſpiciamus. Prior, cui titulus : *Francia univerſa Catholica regnante Ludovico M.* tribus conſtat epiſtolis, quarum prima fingitur Abbas aliquis alteri mittere epiſtolam de Galliæ univerſæ ad Catholicam religionem reditu, ab eoque poſtulare judicium de ea : altera eſt hæc ipſa epiſtola : de qua ſententiam ſuam in tertia epiſtola ad Abbatem perſcribit Anonymus. Secunda igitur epiſtola nobis perluſtranda eſt, quæ eſt acris invectiva in perſecutores Gallos. Nam *p. 7* ſcribit, Catholicos in Gallia nuper ita ſe gesſiſſe erga Reformatos, ut vir bonus appellationem hominis Catholici tanquam probrum abhorreat, religionemque Catholicam & religionem hominum ab omni humanitate alienorum eſſe ſynonyma. Cumque nemo nec eccleſiaſtici nec civilis ordinis barbaram illam Reformatorum vexationem condemnarit, ſed potius approbarint eam omnes, laudarint, adjuverint, hinc concludit, omnes Catholicos in Gallia, ne uno quidem excepto, fuiſſe homines inhoneſtiſſimos (*de tres-mal honnêtes Gens.*) Contendit porro, illa crudelitate in errore ſuo confirmari Deiſtas ſive Naturaliſtas, qui Deum tam ſævæ religionis autorem eſſe poſſe negantes, omnem religionem averſentur, ſola naturali contenti. Hinc in Romanam invehitur eccleſiam, cui convenire ait deſcriptionem Alectus Virgilanam, eamque characteres illos habere, quos Chriſtus aſſignet Diabolo, *mentiri* & *necare*. Inter mendacia refert, quod adverſarii ubique jactitent, Gallicam reformationem ſine vi ac violentia factam eſſe. Addit, eos in convertendis, ut loquuntur, Reformatis in regulas politicas multis modis peccaſſe. In primis injurias Sedanenſibus illatas luculenter enarrat : ipſiusque edicti, quo Nannetenſe edictum revocatur, examen ſuſcipit, enormia ejus & vitia & mendacia oſtenſurus. Porro evincere nititur, perſecutionem proximam in Gallia non minus crudelem fuiſſe, quam ſi fuiſſet cruenta : nec eam converſionem ex bono zelo profectam eſſe, docet ex vitioſis convertentium moribus. Denique illud graviter reprehendit, quod Hugenoti juſſi ſint ſe convertere ad religionem Romanam, *propterea quia Rex id velit.* Addit, convertentes ita dixiſſe ad Hugenotos: *Subſcribite modo : de cetero credere vobis licet, quod libet.* Sed miſſa hac invectiva, in qua affectus in voces juſto graviores

p. 8, 9 — 81 — 13 — 15 — 24 — 37 — 39 — 45 — 56 — 61 — 63

eru-

erupiſſe videtur, progrediamur ad *Commentarium Philoſophicum*, cui longiorem præmiſit diſſertationem præliminarem, in qua commemorat, Commentario huic ſcribendo occaſionem dediſſe Pontificios in Gallia, ad tuendam ſuam violentam Gallorum converſionem identidem ingeminantes illud Chriſti: *Compellite eos intrare*. Refutat quoque Harlæum, Archiepiſcopum Pariſinum, qui edito A. 1685 libello (*Conformité de la conduite de l'Egliſe de France avec celle d'Afrique, pour ramener les Donatiſtes,*) inter alia oſtendere anniſus eſt, violentiam Pontificiorum Gallorum in Reformatos non eſſe poſſe fraudi Catholicis in aliis religionibus, ubi diverſa eminet religio, degentibus. Porro ſuadet Principibus Chriſtianis, diverſam a Pontificia religionem profitentibus, ut fœdere ſe conjungant, ſique ne ſic quidem pares ſint Pontificiis, ſibi adjungant auxilia infidelium gentium, ad Papæos a diſſentientium perſecutionibus, Chriſtiana quippe religioni dedecoroſis, deterrendos. Denique paganorum veterum exemplo demonſtrat, quarumvis religionum tolerantiam ad conſervandam civium felicitatem eſſe utiliſſimam. Nunc demum offert ſe Commentarius Philoſophicus, isque bipartitus. Ac *priore* quidem *Parte* totus in eo eſt Autor, ut Pontificiam iſtorum, quos jam attulimus, Chriſti verborum explicationem evertat. Id ut felicius ſuccedat, ab ovo, quod ajunt, rem exorſus docet, rationem eſſe normam interpretandæ Sacræ Scripturæ, maxime in doctrinis moralibus. Hinc omnem ſenſum Scripturæ, ex quo ſequatur ad peccandum obligatio, falſum eſſe judicat. Provocat quoque ad conſenſum Theologorum cujusvis ſectæ, contendentium, doctrinas ſuas nulla laborare contradictione. Qua occaſione indignatur, Theologiam appellari reginam, cujus ancilla ſit Philoſophia, contrariamque ſententiam putat eſſe veriorem. Si igitur (ita concludit,) quispiam dicat, nos debere male dicere inimicis, ac diſſentientes in religione perſequi, ei fidem haud quaquam eſſe habendam. Hoc præſtructo fundamento, docet, Pontificium illorum verborum ſenſum clariſſimis rationis dictaminibus repugnare. Rationem quippe DEUM coli jubere *animo*, cultumque externum ſine interno minime ei gratum eſſe. Cum igitur religio conſiſtat in judiciis, quæ mens habet de DEO, & in affectibus erga DEUM inter-

p. 91

100 ſqq.

112

124

Cap. I.

II.

nis, hinc non esse aliam rationem perducendi aliquem ad religionem, quam ut animus ejus certis imbuatur sententiis & affectus certo modo flectantur. Id cum vi externa nulla possit perCap. III. fici, propterea verba Christi de ea perperam accipi. Nec vero rationi solum adversari docet Pontificiam interpretationem, sed ipsi spiritui Evangelico. Christus enim comparatur cum agno placido & patienti: ipse fuit mansuetus, eosque, qui tales sunt, beaIV. tos nuncupat. Sed jam ad Rationem redit, ostendens, pontificium morem dissentientes ad sua perducendi castra justum confundere cum injusto, & ad ruinam humanæ societatis tendere. Scilicet nulla secta non credit, suam religionem esse veram. Ergo cuivis sectæ, adeoque & falsæ, fas foret, alteram persequi. Imo hinc sequeretur, civibus licere persequi Principes suos diversæ adV. dictos religioni: quin & gentiles populos jus habere non admittendi Christianos in regiones suas, itemque eos inde ejiciendi. VI. Addit, persecutionem dissentientium non posse fieri sine peccatis multis: idque probat exemplo postremæ Hugonotarum in Gallia conversionis. Regem namque & magistratus multipliciter peccasse editis malæ fidei edictis, subornatis testibus, aliisque id genus fraudibus commissis: Hugonotas peccasse, animo detestante veram (loquitur ex mente Pontificiorum) religionem, eamque, quam esse veram sentiebant, publice abjurantes: milites Hugonotis immissos peccasse, cum dicto magistratuum audientes p. 109 miserrime tractarent suos hospites. Speciatim iis respondet, qui, non propterea a militibus vexatos esse Hugonotas, dixerant, quod essent Reformati, sed quod non parerent legi regiæ, qua edictum fuerat, ut unusquisque Catholicam profiteretur religionem. Respondet, inquam, injustis Principum legibus non esse parendum: hanc vero legem esse omnium injustissimam, quippe contra conscientiam facere jubentem. Addit, non habere Principes potestatem in conscientias civium: eos enim nec a DEO eam accepisse, nec a civibus imperium in ipsos transferentibus. ComCap. VII. monstrat hinc, admisso Pontificio illo verborum Christi sensu eripi Christianæ religioni argumentum adversus Muhamedanos adhiberi solitum. Scilicet cum hi religionis suæ per tot gentes dissem inationem jactitant, id mirum esse negatur, cum homines

vi

vi coacti ſint ad amplexandum Muhamediſmum: Chriſtianam contra religionem fines ſuos tam longe lateque protuliſſe, non adhibita violentia ulla, imo violentiæ alienæ obnoxiam. Porro docet, vulgari ſenſu verba Chriſti non fuiſſe accepta a doctoribus eccleſiæ tribus primis ſeculis: idque argumentum judicat eſſe non exigui ponderis. Eandem in ſententiam adducit verba Athanaſii. Docet etiam, ſi liceat homines ad religionem adigere, inde ſequi, ut primi Chriſtiani male ſint conqueſti de perſecutionibus gentilium. Hanc in rem Præſidem ethnicum inducit colloquentem cum Doctore Chriſtiano, & huic dicentem, ſe Chriſtianæ religionis incrementis non poſſe non obſiſtere, cum ſit metuendum, ne, ſi Chriſtianorum numerus augeſcat, hi ex mandato magiſtri ſui (*Compellite intrare*) igne & ferro ſæviant in ceteros cives ſpecie converſionis. Ultimo capite docet, vulgarem interpretationem ſectas Chriſtianorum inter ſe atrocibus bellis religionis cauſa ad finem usque mundi gerendis committere. Nam cum quælibet ſecta ſibi videatur orthodoxa, hinc ſequi, ut quælibet ex præcepto Chriſti alteram debeat vi adhibita compellere ad introitum in veram eccleſiam. Cap. VIII. IX. X.

Sequitur *Pars altera*, qua reſpondetur ad objectiones, quæ poſſunt ac ſolent fieri contra tolerantiam religionum: item ad prætextus, ad quos perſecutores confugiunt. Nimirum his dicere ſolenne eſt, ſe vim adhibere non conſcientiæ vexandæ cauſa, ſed ut excitentur homines ad examinandam religionem: quo facto futurum ſit, ut falſitatem ſuæ & veritatem Pontificiæ religionis agnoſcant. Opponit Bælius, ad inquirendam veritatem nihil eſſe magis neceſſarium, quam mentis tranquillitatem: e contrario ejus examini nihil fortius obſtare, quam vim, quippe quæ & odium alterius pariat, & totam mentem caligine perfundat ac perturbet. Addit, proteſtationem illam facto contrariam eſſe. Nam revera cogi homines a perſecutoribus, ſuæ ut religioni dent nomen, nec prius ab eorum vexatione deſiſti, quam id fecerint. Ceterum quod dictitent, id ob eorum contumaciam fieri, qui errores nolint agnoſcere ſuos, id vanum eſſe. Idem quippe dixiſſe Plinium, (*Lib. X epiſt. 97*) cum Chriſtianos perſequeretur: nec pervicaciam poſſe demonſtrari, cum ſolus DEUS καρδιογνώστης ſciat, an Cap. I.

quis errorem profiteatur contra conſcientiam : nec eſſe fidum pervicaciæ criterium, ſi quis rationibus objectis non valeat ſatisfacere. Sed nec perſecutoribus deeſt, quod ad hæc reſpondeant.

Cap. II. Licet, inquiunt, naturaliter homines affectuum cœtro perciti ad verum inquirendum ſint inepti, tamen admirabili DEI providentia ſupernaturali modo contrarium evenire poteſt. Sed reſpondet Bælius, huic prætextui obſtare ſexcenta S. Scripturæ dicta, quibus

III. contraria DEI voluntas declaretur. Rurſus reponentibus perſecutoribus, ſe Chriſti verba non interpretari de cæde & atrocibus diſſentientium ſuppliciis, ſed de exilio & aliis incommodis levioribus, reſpondet, (1) ex Gallica hiſtoria & Anglica ſatis compertum eſſe, prius a perſecutoribus factum eſſe : (2) prius perſecutionis genus non minus patrocinii in verbis Chriſti ſenſu Pontificio acceptis invenire, quam poſterius : adeoque, ſi illud adhibere injuſtum ſit, id quod Galli Pontificii confiteantur, ſequi, ut & poſterius adhiberi ſit nefas : (3) prius perſecutionis genus tole-

IV. ratu facilius eſſe, quam poſterius. Jam ſe accingit Autor ad tollendum præjudicium perſecutorum, ſuam ſententiam putantium ſtabiliri legibus in Rep. Judaica latis, & moribus Prophetarum. Hic

p. 316 prius ſententiam ſuam de tolerandis diſſentientibus perſpicue exponit, ſtatuitque, operam nobis dandam eſſe, ut alios liberemus ab erroribus, eoque conſilio adhibendas eſſe demonſtrationes ac placidas diſputationes, adjunctis ad Deum precibus. Quod ſi alter in ſententia ſua perſiſtat, acquieſcendum eſſe : eosque angeli tentatoris perſonam agere, qui vel ſuppliciorum metu vel ſpe præmiorum alterum adigant ad faciendum id, quod repugnet conſcientiæ. Deinde Autor explicatius tradit objectionem perſecutorum, adducentium Moſis legem, qua morti addicuntur idololatræ & falſi prophetæ, itemque Eliæ exemplum, ſacerdotes Baalis trucidantis. Ad Moſis quidem legem reſpondet, Deum Iſraelitis ſe per Moſem patefeciſſe tot tantisque miraculis, religionisque placita tam perſpicue revelaſſe, ut nullus dubitationi locus relinqueretur : prætereaque Deum non ſolum Deum fuiſſe Iſraelitarum, ſed & Regem gubernatoremque politicum. Hinc, inquit, qui conabatur Iſraelitas ab obſequio Numinis avocare & ad cultum aliorum Deorum traducere, eum non minori jure plexum fuiſſe

iſſe, quam ſi quis Londinenſis adhortatus populum, ut jusjurandum fidelitatis Galliæ vel Hiſpaniæ Regi præſtaret, ſupplicio capitis afficeretur: priorem quippe æque ac poſteriorem admittere crimen ſeditionis ac violatæ majeſtatis: adeoque ex lege Moſaica falſos prophetas non puniri tanquam hæreticos, ſed tanquam ſeditioſos ac rebelles. Addit, moraliter impoſſibile fuiſſe, ut homo in Judaiſmo educatus ad cultum aliorum Deorum permoveretur a conſcientia: adeoque talem manifeſto prodidiſſe ſuam malitiam & animum Deo parere detrectantem: id quod ſane pœna mortis dignum ſit. Quod ad Eliæ factum attinet, hoc tanquam ſingulare negat ſimpliciter ad imitandum proponi, ſed videri Deum Eliæ revelaſſe, ſacerdotes illos eſſe impoſtores, ſuique emolumenti cauſa plebem retinuiſſe in idololatria contra conſcientiam. Addit, Deum nunquam Judæis præcepiſſe, ut alias gentes ſuam ad religionem compellerent: ac Moſem ejusmodi falſum prophetam non coegiſſe, ut idololatriam ejuraret, nec propoſita ſpe vitæ eum allicuiſſe ad veram religionem, ſed ut rebellem ſimpliciter interfeciſſe, ſumma eidem permiſſa conſcientiæ libertate: denique ex illa lege Moſis ſi quidem aliquid effici poſſit, illud duntaxat ſequi, ut liceat perſequi eos, qui Chriſtianos homines abducere ſtudent in caſtra Judæorum, Muhamedanorum, aut gentilium, non eos, qui in quibusdam S. Scripturæ locis interpretandis inter ſe diſſentiunt. Nam (ita pergit) in V. T. omnes tolerabantur, qui legem Moſis cultumque ſupremi Numinis recipiebant, licet ceteroqui de ſenſu illius legis in diverſiſſimas diſcederent opiniones. Sic tolerabantur Sadducæi, qui tamen immortalitatem animarum & reſurrectionem mortuorum negabant: idque, quod notatu in primis dignum exiſtimat, nunquam Chriſtus exprobravit Phariſæis. Progreditur hinc Bælius ad aliam objectionem, invidioſam verius, quam arduam. Si vis, inquiunt perſecutores, in diſſentientes adhibita injuſtitiam habet, damnandi ſunt Imperatores Chriſtiani & Patres Eccleſiæ, ipſique Proteſtantes, qui in quibusdam locis non tolerant religiones diverſas, imo aliquando morte affecerunt hæreticos, e. g. *Servetum*. Bælius noſter ad hæc reſpondet cordate ac fortiter. Objectionem ſcilicet ab exemplis Imperatorum deſumtam nimis eſſe cenſet imbecillam. Quaſi ve- Cap. V.

ro, inquit, juſtum ſit, quicquid a Principibus fiat, qui ſæpe affectibus & ignorantia recti aguntur in transverſum. De Patribus eccleſiæ, turpe eſſe putat nomini Chriſtiano, quod illi, qui tam fortiter declamarint contra perſecutiones ethnicorum & Arianorum, easdem poſtea in ſuæ ſectæ Imperatoribus collaudarint. Suadet autem, ut hic Patrum eccleſiæ nævus potius tegatur, quibus ſane, abjecta cura recte ratiocinandi, & vivere & ſentire cum plebe placuerit. Adducitur etiam exemplum Ambroſii aliquod, cum factis Epiſcoporum in Gallia recentioribus prorſus conveniens, adeoque a Bælio damnatum. De ipſis Proteſtantibus libere profitetur, ſibi injuſtum videri, ſi magiſtratus tolerare eos nolit, qui diverſam in religione ſententiam ſequantur, eamque doceant alios. Nam, inquit, diſſentientes non tolerare eſt punire eos. Atqui magiſtratus non habent jus cogendi cives ad hoc vel illud credendum: id quod largiuntur Proteſtantes: adeoque nec punire poſſunt diverſum ſentientes. Ergo non-tolerantia eſt injuſta rationique adverſa. Ceterum concedit, magiſtratum jure animadvertere in eos, qui doctrinas vulgant ſeditioſas & ad Remp. turbandam aptas: cum ille jus omnino habeat ſecuritati & tranquillitati Reip. proſpiciendi. Sed quæ ſectæ ſecuritatem publicam non tollunt, magiſtratui obedientiam præſtant, tributa pendunt, & quæ præterea ſunt bonorum civium officia, illas tolerari cenſet oportere. Hinc juſtum arbitratur, ab illis Rebuſp. ubi Papiſmus exulat, ſollicite ac ſevere eum arcendum eſſe: quibus autem locis vigeat, ita conſtringendum eſſe, ut in detrimentum Reip. non poſſit erumpere nec timenda ſint molimina Papæorum. Neque vero vult, ut aliorum injuriis Papæi exponantur, ut in poſſeſſione bonorum & domeſtico religionis ſuæ exercitio turbentur, ut cogantur ad noſtram religionem vel præmiis alliciantur. Tantum vult præcaveri, ne doctrinæ eorum Reip. damnum afferant & in
p. 351 magnum aliquod malum evadant. Ceterum & hanc legem Bælius pronuntiat injuſtam, ut nemini diverſæ religionis homini intrare liceat in civitatem noſtram, aut in ea habitaturo, aut opiniones ſuas diſſeminaturo: itemque hanc: ut, quisquis civium aliquid in religione innovet a receptisque doctrinis diſcedat, exilio multetur: præſertim cum talis lex inhibeat progreſſum in cognitione

tione veritatis humanæ ac divinæ. Denique quod attinet ad ſupplicium Serveti aliorumque a Proteſtantibus ob errores religioſas necatorum, pronuntiat, eam eſſe horribilem maculam primis Reformationis temporibus inuſtam, idque factum inter reliquias Papiſmi referendum eſſe : nec dubitat, quin Genevenſes hodierno tempore tale quid minime facturi ſint. Ad novum inde progreſ- Cap. VI.
ſus Autor prætextum, quod videlicet diverſarum tolerantia religionum Remp. repleat perturbationibus, id ſimpliciter negat, & affirmat, ſi quisque diſſentientes placide ferat, omnes cives æque ſumma in concordia vivere poſſe, ut in eadem urbe opificum varia genera : e contrario impatientiam diſſenſus eſſe cauſam turbarum in Rep. & ubi illa vigeat, ibi verum eſſe vulgare dictum, quod religionem mutatam ſequatur mutatio regiminis : id quod falſum ſit, ubi vetus religio novam, nova veterem amice toleret. Cum vero illud maxime jactent adverſarii, Principes ex mandato divino eſſe debere *nutricios eccleſiæ*, horum quis ſibi videatur eſſe ſenſus verborum, Bælius exponit. Principes, inquit, eccleſiam debent tueri, eique de doctis & probis Doctoribus, Academiis, alimentis proſpicere, ſcandala & malos mores, præcipue eccleſiaſticorum hominum, tollere, in eosque ſevere animadvertere, qui libertatem opprimere eccleſiæ conati fuerint. Hinc vero ſequi negat, eosdem debere diſſentientes perſequi. Adjicit reſponſionem ad illum prætextum, quo magiſtratus punire debere dicitur maleficos : jam vero hæreticos eſſe blaſphemos & committere crimen læſæ majeſtatis divinæ. Scilicet non eſſe blaſphemum in altero, quod a me citra blaſphemiam proferri nequeat : cum alter eo ipſo colere & honorare Deum ſibi videatur, quod ego me non poſſe facere niſi profana mente credam. Annectit etiam conſilium politicum Principi obſervandum, ne forte tolerantia religionum ipſi periculum afferat a ſuæ ipſius ſectæ clero : quod huc adſcribere nimis longum foret. At, inquies, hinc ſequetur, etiam to- VII.
lerari in Rep. debere Judæos, Turcas, Socinianos : id quod videtur abſurdum. Bælius conſequentiam, quam vocant, largitur : ejus abſurditatem negat. Ac reprehendit Impp. Theodoſium, Valentinianum, Marcianum, quod exercitium religionis ethnicis interdixerint addito metu mortis. Hinc rurſus a crimine blaſphemiæ

miæ defensis Socinianis, adversus eos, qui alias sectas tolerari volunt, alias non item, acriter disputat, eorumque errores indicat atque denudat. Ultimum persecutorum refugium in eo est, quod a se illud duntaxat defendi dicunt, quod liceat persequi falsæ religionis, non veræ, professores. Hinc ajunt veræ religioni nullum impendere periculum, licet persecutiones hæreticorum propugnentur. Ostendit autem Bælius, vanum & hoc esse effugium, cum suus cuique Reginæ Rex placeat, ut Plautus ait, id est, sua cuique religio videatur verissima. Quod si, inquit, verè religioni fas est persequi errantes, sequitur, ut & errantes sibi videantur obligati esse ad persequendos alteros. Nam quisquis facit contra conscientiam, etiam errantem, peccat. Hic docte & copiose agit de jure conscientiæ erroneæ: quod argumentum ceteris quoque capitibus usque ad finem libri persequitur.

Cap. VIII.

IX, X, XI.

Hactenus *Tomus prior*, cujus longiorem recensionem non ingratam fore lectoribus confidimus ob argumenti gravitatem & Autoris diligentiam. *Tomus posterior* pariter in duas divisus partes est: quarum *priore* Augustinum, pro persecutionibus hæreticorum in duabus epistolis, jussu Parisini Archiepiscopi recusis, verba facientem refellit, allatasque ab eo rationes diluit. Nos hujus Partis recensione supersedebimus, rati, ex superioribus cuivis facile esse judicare, quam ea lectu digna sit. Nec immorabimur *Parti posteriori*, in qua, quicquid supereſt ad jus persequendi hæreticos destruendum, accurate congessit, ne ulla persecutoribus esset rima elabendi.

ALPHONSI HUYLENBROUCQ SOCIETATIS Jesu Vindicationes alteræ, adversus famosos libellos quam plurimos & novam eorum collectionem, sub titulo Tuba magna novum clangens sonum *&c. per Liberium Candidum, Argentinæ, 1712.*

Gandavi, apud Mich. Graet, 1713, 8.
Constat pl. 18.

AUtor, editis Vindicationibus suæ Societatis prioribus, quas in Actis A. 1712 M. Febr. p. 86 memoravimus, jam alteras in lucem emittens, adversariis, quos Societati semper fuisse plurimos haud

haud diffitetur, in Præfatione tanquam Meduſæ caput objicit præconia Societati Jeſu tributa a Pontificibus Maximis, quorum ſingulorum teſtimonia producit usque ad eum, qui nunc Romanæ Eccleſiæ præeſt, Clementem XI. Hinc *Cap. I* harum Vindiciarum occaſionem, neceſſitatem & ſcopum exponit. Scilicet *Tuba Magna*, cujus in ipſo libri titulo fecit mentionem, non ita pridem prodiit typis Batavicis, ejusque exempla multa per omnes Belgii civitates divendita ſunt. Illam igitur maximis in ſuam Societatem conviciis reſonantem Autor ſibi retundendam cenſuit, ne ſilentium valeat ad fidem criminationibus adverſariorum faciendam. Ceterum cum illæ pleræque omnes ad Scioppium ſint referendæ, totaque hæc *tuba* ex ære Scioppiano ſit conflata, *Cap. II* de Scioppio copioſe agit, qui natus Neagoræ, (Neumarck) quod oppidum eſt Palatinatus ſuperioris, A. 1576, deceſſit Patavii d. 19 Nov. A. 1649, ætatis ſuæ anno 74. Monet, eos errare, qui eum octogenario majorem obiiſſe ſcribant, illius mortem referentes in annum 1663. Hinc breviter ejus vitam recenſet, Scioppianæque in Papas, Reges, Viros eruditos maledicentiæ documenta affert complura. Speciatim ſcripta ejus in Societatem emiſſa enarrat, cauſasque, quæ tantum illius Societatis odium in ipſo accenderint, perſequitur. Jam progreſſus ad *Tubam Magnam*, oſtendit, eam eſſe turpe plagium, cum in primis operum Scioppii, tum aliorum, illius vix diſſimilium. Nos, cum illam *Tubam* non recenſuerimus in his Actis, ſcripta in ea contenta hic nominabimus. Conſtat autem illa, uti ex Noſtro diſcimus, octo operibus inte- p. 44, ſqq.
gris, quæ ſunt: (1) *Epiſtola Palafoxii, Epiſcopi Angelopolitani*, (2) *Epiſtola Ludovici Soteli*, (3) *Monita ſecreta Societatis*, (4) *Varii libelli ſupplices oblati Clementi VIII, P. M.* (5) *Diſſertatio Fortunii Galindi de cauſis publici erga Societatem odii*, (6) *Theophili Eugenii Protocataſtaſis*, (7) *Danielis Hoſpitalii Conſultatio de cauſis & modis conſervandæ & amplificandæ Societatis*, (8) *Archiepiſcopi Pragenſis Cenſura Bullæ pro erectione Academiæ Carolo-Ferdinandeæ.* Reliqua in illa *Tuba* contenta ſunt tantum fragmenta librorum, quos pariter indicat noſter Autor, qui *Cap. III* eos refutat, qui Sociis Jeſu ſteſtes objiciunt domeſticos: ubi inter alia docet, 67 ſqq.
Monarchiam Solipſorum falſo tribui Melch. Inchofero. *Cap. IV*

oſtendit, libellos ſupplices, A. 1593 Clementi VIII P. M. oblatos, inconſulte contra Societatem Jeſu adduci: eos quippe Societatem objectis criminibus abſolvere. *Cap. V* contendit, ad accuſandam Societatis religionem male adduci librum Joanni Marianæ (Hiſpano, qui Societati nomen dedit Kal. Jan. 1554, annos 17 natus, in eaque ſummam ſenectutem clauſit d. 17 Febr. 1624,) adſcriptum, *de morbis Societatis eorumque cauſis ac remediis*. Hunc enim librum falſo Marianæ tribui, qui pari errore edidiſſe feratur *Tractatum de defectibus regiminis Societatis*. *Cap. VI* demonſtrat, ſumma injuria religioni Societatis Jeſu objici *Monita ſecreta Societatis*. Hujus libri autorem eſſe docet Hieronymum
p. 116. Zaorowsky, ex Societate circa A. 1611 ejectum. *Cap. VII* indignatur, Prophetiam S. Hildegardis Societati objici, addens, Commentarios in illam prophetiam falſo adſcribi Jo. Baptiſtæ de la Nuza. Sic & *Cap. VIII* id agit, ut male contra Societatem adduci oſtendat epiſtolam adſcriptam *F. Ludovico Sotelo, Ord. Min. S. Franciſci de Obſervantia*. Nam & hunc verum iſtius epiſtolæ autorem eſſe negat. *Cap. IX* venit ad *F. Juniperi de Ancona Conſultationem de cauſis & modis religioſæ diſciplinæ in Societate Jeſu inſtauranda*. Cujus libri autorem eſſe dicit Scioppium, quem eundem ait ſub nomine *Philoxeni Melandri* edidiſſe *Actionem perduellionis in Jeſuitas S. R. Imperii hoſtes*, & ſub nomine *Sancii Galindi Anatomiam Societatis*. *Cap. X* enarrat hiſtoriam de Pragenſi Academia Carolo-Ferdinandea, quæ tantam moverit Jeſuitis invidiam. *Cap. XI* oſtendit, inconſulte Societati objici tres his titulis inſcriptos libellos: *Fortunii Galindi Cantabri de cauſis publici erga Jeſuitas odii Diſputatio: Theophili Eugenii Protocataſtaſis: Danielis Hoſpitalii Conſultatio de cauſis & modis conſervandæ & amplificandæ Societatis Jeſu*. Ait, priores duos libros eſſe novam collectionem ex quatuor damnatis, qui ſunt (1) *Diſcurſus P. Marianæ de erroribus &c.* (2) *Anatomia Societatis*; (3) *Actio perduellionis*, (4) *Jeſuita exenteratus*. Sub *Theophili Eugenii* nomine *Protocataſtaſin* ſcriptam eſſe docet a Guilielmo
191. Pachelino, Burgundo, Societatis deſertore, qui tamen ſenior reſipuerit, cumque Societate redierit in gratiam, relicta illi teſtamento Bibliotheca ſua. *Cap. XII* contra Arnaldum evincere ſtu-

ſtudet, Joanni Palafox de Mendoza, Epiſcopo Angelopolitano, male adſcribi epiſtolam ad Innocentium X P. M. A. 1649 datam, deque illius Epiſcopi vita multa affert. *Cap. XIII* expenduntur *Tubæ clangores* ſinguli, quorum inanem ſtrepitum ſe hic diſſipaſſe Autor gloriatur. Hic inter hoſtes Societatis etiam refert Melchiorem Canum, Ariam Montanum, & Sorbonam Pariſienſem. *Cap. XIV* eodemque ultimo reliquos *clangores* pari modo excutit, ſuasque Vindicationes concludit.

DE VETERIBUS HÆRETICIS, ECCLESIASTICORUM codicum corruptoribus, Autore BARTHOLOMÆO GERMON, Societatis Jeſu Presbytero.

Pariſiis, apud Le Comte & Montalant, 1713, 8. Alph. 1 pl. 19.

AUtor hujus libri cum, ſuſcepta de veteribus Regum Francorum diplomatibus cum Mabillonio diſputatione (qua de lite vide ſis *Acta* hæc *Supplem. T. IV Sect. 8 p. 354 ſeq.*) inter alia contendiſſet, Codices Auguſtini Corbeienſes, Seculo IX ſcriptos, non eſſe ab omni ſuſpicione falſi immunes, adverſarium nactus erat Petrum Cuſtantium, qui pro Mabillonio codicum illorum *Vindicias* edidit. Equidem Germonius non ſtatim oppoſuit ei reſponſionem, ſpe, uti cauſatur, pacis publicæ : interea temporis in illud argumentum excurrit latius, ſcripto præſenti libro demonſtrare aggreſſus, plerosque hæreticos fuiſſe falſarios, & cum ſacris codicibus, tum libris Patrum & Conciliis adulteras intuliſſe manus : ſimulque oſtendens contra Cuſtantium, doctrina iſta nec in religionem invehi Pyrrhoniſmum, nec quicquam Scripturæ S. Patrumve autoritati derogari. Idem quidem jam docuiſſe & exemplis comprobaſſe meminimus Cl. Clericum *Art. Crit. P. III Sect. I cap. 14, & Sect. II cap. 1 :* ſed cum integrum librum huic argumento deſtinarit Germonius, ſuamque Lectoribus facile probaturus ſit induſtriam, nec Theologis nec Criticis moleſta videtur futura Germoniani operis diductior recenſio.

Oſtendit itaque *Libri I Parte priore*, plerosque hæreticorum olim ſuos ſacrorum Librorum codices vitiaſſe. Ac primo Cap. I. generatim probat, veteres hæreſiarchas dolis uſos eſſe & malis ar-

tibus ad propagandam ſectam ſuam : eosque hoc conſilio ipſius Scripturæ Sacræ mutationem tentaſſe : quam in rem adducit monitum Joannis *Apoc. XXII, 18, 19, ne quis addat quippiam libro ſuo,*
Cap. II. *neve detrahat.* Hinc non improbabile judicat, S. Scripturæ Codices a Judæis olim corruptos fuiſſe : cumque, id ante Chriſtum natum factum non fuiſſe, conſtet ex ſilentio Chriſti & Apoſtolorum ; nec poſt quintum a nato Chriſto ſeculum fieri potuerit, ob concinnatam Maſoram : id fieri potuiſſe putat non multo poſt
III. excidium Hieroſolymæ. Cum tamen hac in ſententia non ſatis certus ſit animi, id ſaltem effici ſtatuit teſtimonio Juſtini Martyris & Origenis, Græcam τῶν LXX Verſionem conſulto a Judæis falſatam fuiſſe : concedens tamen, ea labe non omnia infici po-
IV. tuiſſe exemplaria. Hac occaſione veterum quoque teſtimoniis probat, ſubdolas nec ſatis fideles fuiſſe Verſiones Symmachi, Theo-
V. dotionis & Aquilæ, hæreticorum quippe Judaizantium. Hinc progreditur ad hæreticos, Dionyſii Corinthii, Irenæi ac Tertulliani fretus teſtimoniis generatim docens, illos quædam librorum ſacrorum exemplaria adjectionibus pariter ac detractionibus
VI, VII. corrupiſſe. Speciatim verba illa Geneſeos : *Faciemus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, a Saturnino, Cerintho & Ebione decurtata, nec non alia loca vitiata fuiſſe, Epiphanio credit. A Marcione vero Evangelium Lucæ & Pauli epiſtolas mu-
IX, X, XI, XI. tilatas fuiſſe, *Cap. VIII* docet, addens *capitibus* ſequentibus, idem flagitium commiſſum fuiſſe a Cerdone, Luciano & Apelle : a Pepuzianis, Tatiano & Severianis : a Theodotianis & Artemonianis : a Manichæis : Donatiſtas vero falſo hujus criminis accuſatos eſſe ab Auguſtino. *Cap. XIII* contra Cuſtantium autoritate Ambroſii pugnat, omnino ab Arianis ejectum fuiſſe hunc lo-
Conf. p. 170, ſeqq. cum *Joan. III, 6 : Quoniam Deus Spiritus eſt.* Ceterum cum in hodiernis N. T. editionibus nec Græcis nec Latinis iſta verba exſtent, Germonius tamen vix dubitat, ea revera eſſe ejecta, & jam olim reſtituenda fuiſſe loco ſuo. Denique *Cap. XIV* oſtendit, hæreticos quosdam ex *1 Joan. IV, 3* expunxiſſe iſthæc verba : *Et omnis Spiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt.*

Parte altera oſtendit, hæreticorum ſacros corrumpentium codices perfidiam non obeſſe certiſſimæ ſacrorum Librorum integritati

gritati & firmissimæ autoritati: cum illæ depravationes non sint illatæ codicibus ecclesiæ Catholicæ. Manichæi quidem, & alii Cap. I.
hæretici, Scripturam sacram, qualem legit ecclesia Catholica, vitiatam esse dicebant: verum id ab illis neutiquam probari potuisse, constat ex Augustino. Immo difficillimum fuisse Catholicis, sacros corrumpere codices, inde probat Noster, quod Libri sacri multo acriori, quam ceteri autores, diligentia legerentur & custodirentur. Legebantur enim ubique terrarum ac gentium, assidue volvebantur a sacerdotibus, publice prælegebantur in conventibus, summa iis habebatur reverentia. Multo minus depravatos dici posse illos sacrorum Librorum codices, quos jam legit Ecclesia. Hac in re provocat ad anathema Synodi Tridentinæ: quod subire censet eos, qui celebrem illum Joannis locum: *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlis, &c.* quippe qui habeatur in veteri vulgata editione Latina, suspectum habeant. Ceterum Librorum divinorum sinceram integritatem non melius, quam Ecclesiæ Catholicæ judicio, cognosci posse, tanquam γνησίως Pontificius statuit. Ecclesiæ enim esse ait, definire, quasnam ab Apostolis acceperit vel non acceperit Scripturas. Illud largitur, fieri potuisse, & omnino factum esse, ut Libri aliquot divini perirent, & in his, qui exstant, versus aliquot sive negligentia sive malitia hominum desiderentur: sed negat fieri posse, ut Libri, quos Ecclesia tanquam divinos recipit, corrupti sint in iis, quæ ad fidem vel mores pertinent. Imo in confesso esse apud Catholicos debere judicat, Ecclesiam quidem potuisse, si ita Deo visum fuisset, omni sacrarum litterarum subsidio carere: non autem potuisse spurios libros pro veris, depravatos pro sinceris recipere. Illud tamen concedit, menda irrepere potuisse in Libros sacros, eaque de causa absoluto jam Concilio Nicæno curatum esse, ut vulgata editio Latina a mendis repurgaretur: imo credit, adhuc menda ibi superesse, in posterum tollenda: illa tamen non esse hujusmodi, quæ ullum in rebus fidei & morum errorem inducant. Porro cum plerique Patres hæreticorum in falsandis Libris sacris perfidiam reprehenderint, nec propterea veriti sint, ne forte sacri Ecclesiæ Catholicæ codices in suspicionem falsi venirent: idem a se fieri posse contra Custantium contendit, non minuta S. Scri-

II.

III.

IV.

V.

VI.

VII.

pturæ autoritate nec inducto in religionem Chriſtianam Pyrrho-
Cap. VIII. niſmo. Hæreticorum quippe perfidiam ſuſpectos facere ipſo-
rum codices, non illos, quos legit Eccleſia Catholica. Quoties
IX. igitur differunt inter ſe Catholicorum & hæreticorum exempla-
ria, illa ſincera, hæc corrupta eſſe cenſenda : quam in rem lon-
giorem apponit diſſertationem Tertulliani.

Sequitur *Liber II*, quo agitur de hæreticis, qui libros Pa-
P. I. Cap. I. trum eccleſiæ aliosve eccleſiaſticos codices corruperunt. Ac pri-
mo generalia producit teſtimonia Patrum, hæreticorum in cor-
rumpendis anteriorum Patrum libris perfidiam reprehendentium.
II. Hinc id probat exemplo *Actorum S. Andreæ*. Contendit enim,
hæc Acta, quæ hodieque circumferuntur, eſſe omnino genuina &
a S. Andreæ diſcipulis conſcripta, ſed miſere ab hæreticis depra-
vata. Qua in ſententia nititur autoritate Philaſtrii : cujus ta-
men verba in mendo cubare (id quod & Cl. Fabricius notavit in
III. *Codice Apocrypho N. T. p. 751*) non negat. Pari modo librum *Pa-
ſtoris* omnino ſcriptum eſſe cenſet ab Herma, Pauli diſcipulo, ſed
IV. ab hæreticis poſt quartum ſeculum corruptum. Sic & libros *Re-
cognitionum S. Clementis* ab Ebionæis primum, deinde & ab Ari-
anis fuiſſe corruptos : adulteratos pariter fuiſſe tum *Canones*, qui
vulgo *Apoſtolorum* dicuntur, tum libros *Conſtitutionum Apoſtolica-
rum*. Ubi rurſus probari poſſe negat, libros *Recognitionum* non
eſſe a S. Clemente ſcriptos : idemque ſentit de *Canonibus* & *Con-
ſtitutionibus Apoſtolicis*. Videtur tamen Germonius in gratiam
ſuæ cauſæ plures ſtatuere genuinos, ſed corruptos, veterum libros,
ne ſcilicet ipſi exempla deſint objicienda Cuſtantio : contra quem
niſi hunc librum ſcripſiſſet, videtur in multis alio uſurus fuiſſe
V. judicio. Nos cum eo jam pergimus ad Ignatii ſeptem genuinas
epiſtolas, quarum interpolatorem fuiſſe Arianum tradit : quæ jam
VI. fuerat Uſſerii ſententia. Sic & Dionyſii, Corinthiorum epiſco-
pi, epiſtolas ipſo adhuc ſuperſtite falſatas fuiſſe, docet : Cle-
mentis pariter Alexandrini libros Hypotypoſeon ab hæreticis fu-
iſſe miſere deformatos : idemque ipſi veriſimile videtur de qui-
VII. busdam aliis ejus ſcriptis. Ceterum cum multi ſcribant, Origi-
nis libros ab hæreticis fuiſſe falſatos, Noſter Hieronymi permo-
tus argumentis ſtatuit, vix ullum alium Origenis librum, præter

Diſpu-

Diſputationem cum Candido, fuiſſe olim ab hæreticis corruptum & interpolatum. Hinc mentione facta Auguſtini, ſuſpicati, ea ab hæreticis malitioſe ſuppreſſa eſſe, quibus Cyprianus ſuum de baptiſmo errorem correxerit ; Rufinum adducit, contendentem, Dionyſii Alexandrini libros hæreticorum injuriam paſſos eſſe. Ubi & obiter notat Du-Pinium, qui in *Biblioth. ſcript. eccl.* ſcripſerat, Dionyſium illum reprobaſſe uſum vocabuli *conſubſtantialis*. Contrarium probat ipſius Dionyſii verbis. Hinc in ſuo pergens inſtituto docet, Cæciliani epiſtolam ab Ingentio Donatiſta corruptam fuiſſe : falſatum a Rufino titulum apologetici pro Origene libri, eumque fraudulenter attributum Pamphilo martyri, qui autorem habebat Euſebium Cæſarienſem : adulteratam a Neſtorianis epiſtolam Athanaſii ad Epictetum : paremque fraudem in litteris Philippi, Presbyteri Romani, & Cyrilli Alexandrini commiſſam : quædam Hieronymi, Auguſtini, Iſidori & Bernardi opuſcula ab Arnaldo, hæretico Albigenſi, corrupta : Cyrilli Alexandrini opera a Dioſcoro & Timotheo Æluro, maxime vero a Severianis corrupta; item dicta quædam Ambroſii & Procli Conſtantinopolitani. Hoc cum Germonius maxime probat ex Anaſtaſii opere, cui titulus ὁδηγὸς, obſervat, Caveum hunc librum Anaſtaſio abjudicare, cum Anaſtaſius, Patriarcha Antiochenus, obierit A. 598 : ille vero liber ſequenti demum ſeculo ſcriptus ſit. Noſter ait, illum librum nec adſcribendum eſſe Anaſtaſio ſeniori, patriarchæ Antiocheno ; nec Anaſtaſio juniori, prioris ſucceſſori ; ſed Anaſtaſio Sinaitæ monacho & presbytero. Id quod probat ex MS. codice, ad quem Pagius *ad A. C. 599 n. 4* provocat, cui hic præſcriptus titulus : *Exordium libri S. Anaſtaſii, monachi Sinaitæ*. Sed redeamus cum Germonio in viam, qui porro docet, ab impugnatoribus Synodi Chalcedonenſis falſatam fuiſſe formulam fidei, quam Epiſcopus Hieroſolymitanus ſcripſerat : Euſebii, Theſſalonicenſis Epiſcopi, epiſtolam ad Gregorium M. ab Andrea monacho hæretico : multa olim exemplaria, quibus Acta quintæ Synodi continebantur, ab hæreticis : id quod pluribus probat propterea, quod Cuſtantius id factum negarat : corruptas etiam fuiſſe a Photio epiſtolas Summorum Pontificum, Nicolai & Joannis : ab Arianis opuſculum Aëtii *de ingenito Deo*

Cap. VIII.
IX.
X.
XI.
XII.
XIII.
XIV.
XV
XVI.
XVII.
XVIII.
XIX.

Cap. XX. *ac genito* : Apollinarii libros ab ipſius diſcipulis, Polemio, Timotheo, aliisque.

Statuerat etiam jam antehac Germonius, ſecundum Hilarii librum *de Trinitate*, itemque editum inter Auguſtini opera librum *contra quinque hoſtium genera*, octavo & nono ſeculo fuiſſe adulteratos. Hanc ſententiam cum impugnarit Cuſtantius, Noſter utrumque jam uberius probatum id, & quidem in *Parte hujus libri ſecunda* contendit, Codices Hilarii, qui olim in Aquisgranenſi palatio aſſervabantur, corruptos fuiſſe a Felice, Orgelitano Epiſcopo, qui ſeculo VIII ſtatuens, Chriſtum ſecundum humanam naturam *adoptivum* Dei filium eſſe, Hilarianum *adoratur* mutavit in *adoptatur*. Primo igitur locum Hilarii proponit, quem & nos huc adſcribemus : *Aliud intelligitur, aliud videtur : aliud oculis, aliud animo conſpicitur. Parit virgo : partus a Deo eſt. Infans vagit : Laudantes angeli audiuntur. Panni ſordent : Deus adoratur. Ita poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas ADORATUR vel ADOPTATUR.* Autor quidem fatetur, utrique lectioni ſubeſſe ſenſum orthodoxum. Ante vero, quam definiat, utra lectio ſit præferenda, disquirit, an vox *adoptatur* a Felice fuerit perfide invecta in Codices Aquisgranenſes. Hoc ipſe affirmat *Cap. II* teſtimoniis Hincmari, quem fide utique dignum eſſe contendit, ejusque narrationem *Cap. III* confirmat autoritate MS. codicis. Ac refutatis *Cap. IV* argumentis, quibus Cuſtantius Hincmari autoritatem labefactare conatus erat, *Cap. V* Alcuini teſtimoniis credibilem reddere ſtudet narrationem Hincmari. Hinc disquirit, an ante Felicis tempora in quibusdam Hilarii codicibus extiterit *adoptatur*, id quod non veretur negare, provocans *Cap. VII* ad antiquas editiones & MSS. codices. Cumque Cuſtantius Noſtro codices Colbertinum & Carnutenſem objeciſſet, *Cap. VIII* contendit, non eſſe antiquiores illos codices temporibus Caroli M. Simul his exemplis oſtendit, non ſemper tuto ex ſcripturæ genere pronuntiari poſſe de ætate codicum. Pari modo *Cap. IX* diſputat, nec Vaticanum codicem, in quo legitur *adoptatur*, tam eſſe antiquum, quam quidem habeatur. Hinc *Cap. X* docet, lectionem *adoptatur* ſuſpectam reddi ex ipſo Hilarii ſtylo ac rationi loquendi : quippe qui nusquam dicat,

Part. II. Cap. I.

VI.

cat, naturam humanam a Verbo divino esse *adoptatam*, sed *assumtam* vel *susceptam*: imo verbum *adoptionis* diserte in hoc fidei articulo rejecerit. *Cap. XI* contendit, lectionem *adoptatur* exigere ipsum scopum Hilarii atque orationis seriem: ac denique *Cap. XII* petitam ex Dion. Petavii testimonio objectionem diluit. Nostram si dicere licet sententiam, credimus, Hilarium omnino scripsisse *adoptatur*. Hoc suadet non solum contextus, sed & locus Plinii παρεάλληλος in Panegyr. cap. LII ita Trajanum alloquentis: *Sic fit, ut Dei summum inter homines fastigium serves, cum Deorum ipse non adoptes*: uti quidem hunc locum feliciſſime restituit Lipsius Lib. V quæst. epistol. 15 p. 431.

Parte tertia demonstraturus, insertum Augustini operibus librum *contra quinque hostium genera* a Gothescalci asseclis fuisse vitiatum, *Cap. I* disputat, an illius libri verus autor sit Augustinus, idque in medio relinquit. Facta hinc *Cap. II* digressione, quam omittimus, ostendit *Cap. III* & quatuor sequentibus, illum librum omnino fuisse corruptum seculo nono, atque id ab Hincmaro demonstratum esse in concilio Sueſſionensi. *Cap. VIII* probat, inductæ in librum illum sententiæ crimen jure ac merito conferri in amicos Gothescalci. Quare *Cap. IX* reprehendit editores Augustini Operum, quod illam sententiam in textum admiserint: nec minus *Cap. X* novissimos Augustini editores notat, quod lectionem, quam genuinam esse Hincmarus ostendit, ita præterierint, ut nec in notis quidem illius meminerint. Cumque hi usi sint MSS. codicibus Augustini, qui plurimi & antiquissimi reperti sunt in bibliotheca monasterii Corbeiensis, hos codices aliquatenus suspectos esse, *Cap. XI* docet.

Parte quarta eademque ultima ostendit, non invehi in religionem Pyrrhonismum, nec Traditionis fundamenta convelli, licet demonstretur, nonnulla Patrum opera olim fuisse ab hæreticis vitiata. Primo igitur statuit, cum scriptoris alicujus testimo- Cap. I.
nio libri corruptio comprobanda sit, testem adhibendum esse fide dignum. Eaque occasione Rufini credulitatem notat & pluri- II.
bus demonstrat. Deinde monet, si quando videantur Patres duriora nec rectæ fidei satis consona locuti esse, non statim idcirco eorum libros corruptos esse dicendos. Nam & ipsos, utpote homines,

mines, labi potuiſſe, & multa alio ſenſu dixiſſe, ac hæreticos. Hac occaſione *p. 581 ſqq.* docet, Filium Dei ab Ignatio in Epiſt. ad Epheſios dici ἀγέννητον, hoc ſenſu, quod non ſit factus, non creatus: & *p. 587 ſq.* Deum a Tertulliano dici *corpus*, hoc eſt,
Cap. III. *ſubſtantiam*. Porro etſi nonnulla Patrum opera malis fuerint artibus corrupta, propterea ceteras omnes ipſorum lucubrationes in ſuſpicionem falſi adducendas eſſe, negat Germonius. Nam de corruptione vel interpolatione conſtare debere certiſſima ratione
IV. vel fide digno teſtimonio. Hinc exemplo decreti Gelaſii probat,
V. VI. pluribus Patrum operibus, quæ ab hæreticis vitiata fuiſſe conſtabat, jam olim fidem eſſe abrogatam. Addit, loca Patrum, ab hæreticis quondam corrupta, vel jam emendata eſſe, vel facile emendari poſſe, modo ſciamus, quænam opera Patrum & a quibus hæreticis fuerint corrupta. Quod ſi forte fortuna hæreticorum fraus in uno pluribusve locis non innotuerit, docet, Traditio-
VII. nem non erui ex uno duntaxat Patre, ſed ex pluribus, imo ex omnium, aut fere omnium, conſenſu: hancque in rem Bellarmini ac Stapletoni producit teſtimonia. Præterea nec ſolis Patrum
VIII. libris Traditionem contineri, ſed etiam viva voce propagari in
IX. Eccleſia. Denique contendit, ab iis, qui credant, Eccleſiam errare non poſſe, omnium, aut fere omnium, Patrum opera depravationis ſuſpecta haberi non poſſe.

ACTA LITERARIA, QUIBUS ANECDOTA Animadverſionum ſpicilegia e codd. MSS. quorundam eruta comprehenduntur: ex Bibliotheca ſua HENR. LEONARDUS SCHURZFLEISCHIUS edidit, & inſertis e ſchedis B. Fratris elogiis atque obſervationibus illuſtravit.

Vitembergæ, ſumptibus Ludovicianis, 1714, 8.
Plag. 15.

EDitor harum Animadverſionum doctiſſimus in unum collecta publici juris facturus, quæ divus Frater tum in Hiſtoria Germanica, præſertim Saxonica, longo temporum uſu, & diligenti lectione, tum in præcipuis Europæ Bibliothecis atque itineribus in Galliam, Italiam, Angliam, Belgiumque ſuſceptis, obſervaſſet, in

præ-

præfatione hujus faſciculi prædicat Fratris in membranis ac codicibus vetuſtis inſpiciendis induſtriam, qua multis autorum locis explicatu difficilibus lumen attulerit, quod illuſtri *Livii* loco, qui L. XLI Cap. IX extat, confirmatur. Idem ope rei numariæ, quam in deliciis habuit, præſtitiſſe, multosque ſcriptorum errores dicitur notaſſe, ipſius etiam *Triſtani*, qui T. II p. 98 *Auguſtam Trajanam* cum *Trajanopoli* Phrygiæ eandem fuiſſe putavit, cum tamen hæc civitas in Dacia antiqua trans Danubium ab eo fuiſſet locanda, quod autoritate Inſcriptionum, quæ paſſim apud Gruterum exſtant, comprobari poſſit. In Geographiæ etiam antiquæ ſtudio divus *Schurzfleiſchius* haud comtemnendas ſchedas reliquiſſe, & ſæpius in iis præclaros Geographos, ubi hæſitarunt, correxiſſe memoratur. Quod Cl. Editor exemplo *Abraami Ortelii* confirmat, errores quosdam ab eo admiſſos ex itinerario Fratris Italico breviter ſummatimque enumerans. In perquirendis Principum juribus, & evolvendis hiſtoriæ monimentis, atque in Diplomatum ſtudio nullas quoque partes ſuas deſiderari patiebatur, omnemque collocabat induſtriam in colligendis formulis, quæ in Bullis Pontificum apparent, & ſigillatim ad ſtylum Curiæ illorum temporum hoc magis intelligendum pertinent. Exempli loco allegatur Synodus Baſileenſis generalis, quæ anno 1436 ita ſcripſit ad Fridericum El. *Dilecto Eccleſiæ filio, Nobili Viro, Friderico, Duci Saxoniæ.* Mirantur eruditi, cur Pontifex appellet Ducem Saxoniæ *Virum nobilem*, cum tamen Felix Pontifex Saxoniæ Ducum *Vaſallos* & Equites eodem nomine compellet, nobilesque vocitet, ut Pontificis Bulla, anno 1443 promulgata, evincit. Sed quid hac in parte ſentiendum ſit, erudite docent *Schurzfleiſchii* divi meditationes, quæ cum aliis ingenii ejus monimentis in Cl. Fratris pluteis latent, quorum nonnulla ſpecimina in hoc Syntagmate, tanquam promulſidem quandam, formis exſcribenda curavit, nunquam melioribus his ſtudiis defuturus, aliosque propediem plurimos Græcos & Latinos, editos etiam & non editos ſcriptores, veteres & recentiores, animadverſionibus & meditationibus ſuis locupletaturus, juſtoque, quod meditatur, *Adverſariorum* volumine id acturus, ut appareat, non facile ullum nominari poſſe bo-

num autorem veterem, quem non aliqua ex parte meliorem e ſchedis divi Fratris fecerit.

Sub initium hujus Syntagmatis comparet ἀποσπασμάτιον fundamentorum Hiſtoriæ Germanicæ, ducto a Francis principio, ſpeciatim a Carolo M. qui regnum Franciæ, patre Pipino rebus humanis erepto, pro parte ſua A. C. 768 obtinuiſſe, & anno deinde 771 Carolomanno Fratre mortuo, ſolus regendum accepiſſe, armisque extuliſſe & vehementer auxiſſe dicitur, vaſtum imperium in Europa auſpicatus. Eundem Francum fuiſſe, A. C. 747 in Francia, Neuſtrica, dubium, an Auſtraſica & Orientali, natum & Franciæ Neuſtricæ Regem, ac primum in Francia Neuſtrica, & ſpeciatim in Aquitania bellum geſſiſſe, A. C. 769 contra *Hunaldum* Aquitaniæ Ducem, fidei & conditionis ſuæ oblitum. Confecto bello Deſiderii, Longobardorum R. filiam duxit, annitente Berta matre. Qua non multo poſt repudiata *Himiltrudem*, Francam denuo duxit, quæ vivo patre Pipino, ei nupſerat. Eginhardus in Vita Caroli *concubinam* vocat. Inde Pagius exiſtimavit, non ejus uxorem legitimam fuiſſe, qui refellitur. Nam concubinæ nomen reperiri plerisque Reginis attributum, etſi legitime nuptis, ſtylo Francorum. Sequitur Joh. Scaligeri elogium cum ejusdem animadverſionibus MSS. in Bezæ N. Teſt. Contra *Jo. Lomeierum*, dubitantem, an ullus unquam *Brugnolus* vixerit, oſtendit, hunc *Benedictum Brugnolum* Noricum, Benedicti Scaligeri præceptorem, & magni nominis Grammaticum fuiſſe. Narratur de *Joſ. Scaligero*, Pariſiis, cum ibi *Adriano Turnebo* uteretur ſtudiorum directore, Homerum uno & viginti diebus, reliquos Poetas Græcos intra quartum menſem, ceteros ſcriptores Grajos intra biennium perdidiciſſe, quod ab homine fieri potuiſſe, *Hier. Drexelius* dubitavit. Tertio loco comparet *Epiphanii* elogium cum animadverſionibus MSS. *Dan. Heinſii* in eundem, quem Noſter a linguarum peritia, integritate vitæ, præſtantia doctrinæ & induſtria ſcribendi laudat : deſiderat autem in eo prudentiam & elegantiam ſtyli, Epiphanii enim ſtylum perinde ac Athanaſii nec elegantem eſſe nec ſublimem, ſed ſimplicem, rudem, humilem, inconditum, & impolitum, ut mirum ſit, quomodo *diſerti facundique* elogio a Bœclero ornari potuerit. Eundem etiam nævis

non

non paucis laboraſſe, atque aliquando in hæreſium origine eruenda, interdum in Hebræorum nominum interpretatione concinnanda, turpiter lapſum eſſe multis docetur exemplis. Latinam Epiphanii verſionem a *Petavio* confectam non ſemper congruere fontibus, multo tamen fideliorem, accuratioremque eſſe, quam *Jani Cornarii*, quod vel ex comparatione *Panarii*, principio ſtatim & aditu conſtet. Τὸ κλίζειν apud poſteriores Græcos etiam ſignificare *producere*, idque verbum eo modo ſumtum, non repugnare divinæ generationi. Nunc ſequuntur divi *Schurzfleiſchii* animadverſiones aliquot in *Gruteri* Theſaurum Inſcript. & *Jacobi Manilli* Villam Burgheſianam. Nam in utroque multos vidit, & notavit errores, cum Romæ verſaretur, & dulcedine ſtudii rei lapidariæ captus hortos intraret, & lapides vetuſtatem redolentes diligenter contemplaretur. Solam certe villam Burgheſianam perplures ſibi Gruteri errores oſtendiſſe affirmat. Hac occaſione tum Manilli Inſcriptiones, tum aliquas Gruteri epigraphas, quæ in ejus Theſauro exſtant, caſtigavit. Sic in corruptiſſima Inſcriptione apud Gruterum MXXXV, II, verſu quinto legendum docet SEBASTONICÆ, nequaquam autem cum Sponio SEBASTIONICÆ, neque etiam cum Reineſio SEBASTEIONICÆ. Peſſime Manillum SEBASIONICÆ habere, e qua tamen lectione vera facillime exſculpi poſſit. Ludos enim nec vocatos olim ΣΕΒΑΣΤΕΙΑ, nec ΣΕΒΑΣΤΙΑ, ſed ΣΕΒΑΣΤΑ. Ergo ΣΕΒΑΣΤΟΝΙΚΗΝ dici, ut *ἱερονίκην*, *περιοδονίκην*, *ακτιονίκην*, & ſimilia trecenta. Pag. 67 Manillum Græcarum literarum rudem pronunciat, oſtenditque, eum in verſione ſex vocum haut paulo pauciores errores commiſiſſe. Generatim affirmat, ut plerasque alias, ita Bononienſes inprimis Inſcriptiones, quas quidem e *Velſeri* ſchedis habuit Gruterus, verſuum confuſione laborare, emendarique plerasque debere, tum e *Malvaſiæ* Marmoribus Felſineis, tum ex *Alidoſio*, quem Malvaſia ſtrenue ſequatur, tum etiam ex aliis. Nam Gruterum fide aliorum pleraque, non ipſum oculatum teſtem, referentem, cum iisdem lapſum eſſe nonnunquam. Quintum hujus faſciculi Caput conſtituunt *Salmaſii*, *Munckeri* & *C. S. Schurzfleiſchii* notæ MSS. in Epiſtolas *Ariſtaneti*, qui vixit floruitque ætate Sophiſtarum, quæ IV & V ſeculis continetur. Sequuntur ejus-

dem Schurzfleiſchii in Taciti Dialogum de cauſis corruptæ eloquentiæ animadverſiones ineditæ, quibus non pauca loca mendoſa emendantur. Sic ſub initium ſtatim primi capitis, ubi vulgo legitur: *Noſtra potiſſimum ætas deſerta & laude orbata, vix nomen ipſum oratoris retineat*, ſuo periculo vult reſcribi: *Noſtra potiſſimum ætas diſerta aut laude orbata, vix nomen ipſum oratoris retineat.* Ultimum occupat locum elogium Juſti Lipſii, accediteque ejusdem Lipſii Epiſtola Roma ad Petrum Wavverium, cognatum, perſcripta, quæ hactenus in ejus Operibus omnibus deſiderata nunc primum lucem videt.

SUITE DES JUGEMENS DES SAVANS DE M. BAILLET.

h. e.

CONTINUATIO JUDICIORUM DE VIRIS eruditis a BAILLETO collectorum. Tomus I, autores continens, qui Rhetoricam tractarunt; Autore GIBERTO.

Pariſiis, apud Jacobum Stephanum, 1713, 8.
Alph. 1 pl. 2.

QUamvis multa de arte Rhetorica volumina non ſolum proſtent, ſed plura etiam a viris eruditis exſpectanda ſint, tamen doctiſſimus Autor, meritiſſimus Univerſitatis Pariſienſis Rector, & Profeſſor Rhetorices in collegio Mazarini, hunc librum, ut breviarium quoddam commentariumque, poſterorum uſui inſerviturum, concinnare & edere voluit, tanquam majoris operis, quod meditatur, partem, ac Bailletiani inſtituti continuationem & ſupplementum. Idem enim circa Oratores auſus eſt, quod *Bailletus* præſtitit circa Poetas. Et quemadmodum hic initium fecit ab autoribus, qui de arte Poetica ſcripſerunt, ita Autor noſter ab iis incipit, qui regulas eloquentiæ deſcripſerunt, cum nullum de Oratoribus & Poetis ferri poſſit judicium, niſi illis ex regulis, quibus ipſum dicendi artificium continetur. De reliquo ea ducitur ſpe doctiſſimus Autor, excitatum iri hoc conatu Theologos, JCtos, Philoſophos, Hiſtoricos, ceterosque ad ſimilem laborem in ſua cujusvis arte, publicæ utilitatis cauſa ſuſcipiendum perficiendumque.

que. Enarraturus igitur Græcos Latinosque ad *Quintilianum* usque autores, qui Rhetoricam deſcripſerunt artem, orditur a *Platone*, non intelligendi ſolum, ſed etiam dicendi graviſſimo autore, & Philoſopho Athenienſi, quem veteres æque ac recentiores inter eloquentiæ magiſtros retulerunt, quia multa de arte dicendi paſſim tradit, in primis in *Gorgia* & *Phædro*, dialogis elegantiſſimis, quæ Noſter cum rationibus, ex ipſomet autore petitis, tum aliorum ſuffragiis, ubertime confirmavit. Sequitur *Ariſtoteles* in tradendis artibus & eloquentiæ præceptis princeps, de quo præclara encomia aſſert, & obſervat, eum artificium inſtruendi, perneceſſariam artis Rhetoricæ partem, neglectam ab antiquioribus, qui tantum de mediis corrumpendi & in partes pertrahendi judicis cogitarint, reſtituiſſe & probationem rei conſideraſſe, velut corpus ac baſin totius orationis. Eundem etiam enthymemata, & meditationes enthymematicas in arte dicendi integris prætuliſſe ſyllogismis. Hanc *Ariſtotelis* ſententiam ipſi *Ciceroni* ſummo dicendi magiſtro perplacuiſſe refert. Rhetoricam Alexandro M. conſecratam, & Ariſtotelicæ plerumque ſubjectam, Ariſtotelis eſſe negat, indicio & argumento characterum & ſtyli diverſitate inductus, doctorumque virorum conſenſu confirmatus, ſed ad *Anaximenem Lampſacenum*, contemporanum *Ariſtotelis*, refert. *Dionyſium Halicarnaſſeum* ait ſtudium dicendi cum cura ſcribendi hiſtoriam conciliaſſe, & in utroque eminuiſſe. Eam in rem laudat *Suidæ* judicium, dicentis, Rhetorem fuiſſe in omni literarum genere præclare verſatum. Hoc ſatis apparere ex Rhetoricis ejus opuſculis, quæ ſuperſunt. *Luciani Samoſateni* meminit Autor noſter ob dialogum, quem Ῥητόρων διδάσκαλον inſcripſit, & quo illius ſeculi oratores ſale ſatyrico perfricuit. *Hermogenes* decimo quinto ætatis anno præcepta Rhetorica explicare cœpit, & decimo octavo libros Rhetoricos conſcripſit, qui tunc non ſolum una conſenſione omnibus probati ſunt, ſed & hodie inter præcipua artis Rhetoricæ monumenta recenſentur. *Sopatrum* Plutarcho ac ipſo Hermogene poſteriorem eſſe, idonea ratione evincit. Ejus methodum artis oratoriæ alumno non inutilem eſſe putat, dummodo accedat primis artis initiis & rudimentis imbutus. Ad finem ſecundi & initium tertii poſt Chriſtum natum ſeculi refert

fert *Aphthonium*, cujus opuſculum perpuſillum dixit *Franciſcus Eſcobarus*, ut veluti fretum brevi trajectu tranari queat, ſed tamen ſi utilitatem ſpectes, mare ſpatioſiſſimum. Poſt *Theonem* aliosque memorat *Dionyſium Longinum*, perluſtratoque libello ejus, controverſiæ meminit inter *P. D. Huetium* & *Nicolaum Boilavium Deſpreaux* agitatæ. Ubi lecta utriusque Diſſertatione, & ſtatu cauſæ recte conſiderato, in hujus concedit ſententiam, contenditque, verbis Moſaicis : *Dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux*, Geneſ. I, 3, dramaticum ac ſublime quid ineſſe. Hac occaſione exceſſum *Nic. Boilavii* acerbe deplorat, elegantique carmine laudes ejus decantat.

RECREATIONES ACADEMIÆ GROSIANÆ,
Oder
Anleitung junger Standes-Perſonen ꝛc.
i. e.
VIA NOVA ET FACILIS, QUA NOBILIORES adoleſcentes tum ad exactam, quæ huic ſeculo convenit, eruditionem, tum ad linguarum, Gallicæ, Italicæ, Hiſpanicæ & Latinæ cognitionem perduci in Erlangenſi Nobilium Academia poſſint.

Chriſtian-Erlangæ, typis Danielis Michaelis Schmaz, 1713, 4. Alph. 10 ½ tab. æn. 5.

MAgnæ induſtriæ opus Tibi exhibemus, Lector, quod ex eo pretium accipit ſingulare, quod autorem agnoſcit Virum Perilluſtrem *Chriſtianum Adamum L. Bar. Gros de Trockau*, qui ex antiquiſſima Groſſiorum, quæ jam tum A. 934 in equeſtrem ordinem elata dicitur, familia oriundus, ut ſplendida ædificia Academiæ Nobilium Erlanganæ deſtinata propriis ſumptibus exſtrui curavit, eoque autor exſtitit illius Academiæ, ipſis Calendis Januarii A. 1704 ſtatutis confirmatæ, ita vel ipſo ætatis anno ſexageſimo ſeptimo, quem nunc agit, nihil intermittit, quo generoſa juventus & præceptis optimis imbui & ad linguarum notitiam haud vulgarem perduci poſſit. Hinc in hujus operis quatuor Tomis digeſti Præfatione cordate primum exponit, quam ſtudiorum rationem ſequi

ſequi juvenes debeant, poſt pietatem & mores, matheſin imprimis & hiſtoriam hominumque doctorum ac prudentium commercium ac linguarum, quarum hodie uſus eſt, ſtudium commendans. Sed de ipſo libro diſpiciamus, in quo id operam dediſſe videtur Perillustris Autor, ut dum res utiliſſimas variis linguis proponit, Lectoribus & rerum & linguarum apparatum una ſuppeditet. Itaque Tomo I duodecim dialogis res familiares maxime ſpectantibus, Gallice pariter, atque Italice, Hiſpanice & Latine præmiſſis, fabulas morales & politicas, oblectamenta item hiſtorica, in quibus ſunt multa haud injucunda noſtrisque temporibus proxima, epiſtolas item familiares & politicas, regulas tum Chriſtianas & morales, tum ſtatus & politicas, tum alias, quæ ad felicitatem vitæ procurandam pertinent, itidem quatuor linguis expoſitas, exhibet. Eadem methodo Tomo II cogitationes ſaniores Plutarchi, T. Livii, Quintiliani, Senecæ, Plinii Junioris, Saluſtii, Q. Curtii, Valerii Maximi, Flori, Ciceronis, Ariſtotelis, Platonis, Eraſmi, Ovidii, Horatii, Juvenalis, Plauti, aliorumque Poetarum & Autorum, tum Græcorum tum Latinorum, Patrum porro, Hieronymi, Cypriani, Auguſtini, Ambroſii, Bernardi, Chryſoſtomi, Gregorii, quatuor itidem linguis traduntur. Hæc excipit tum Præguſtus Eloquentiæ hodiernæ, tum Politica illuſtrium, Gallico idiomate, exemplis etiam maximam partem ex Scriptoribus Gallicis depromptis, Politica porro & Oeconomia Italica, & Præguſtus de Regno Italiæ, cum problemate de condemnatione hæreticorum, Italico pariter ſermone. Succedit Synopſis Arithmeticæ, Geometriæ & Algebræ Latina, una cum Philoſophia compendioſa, ſeu expoſitione terminorum, quam ſequitur comparatio Poeſeos Etruſcæ, Gallicæ & Latinæ, & Exempla quædam poetica, e quatuor Linguis ſelecta. Tomo III primo loco T. Livius magno ſtudio in porismata reductus Gallice & Italice exhibetur, quem ſcriptorem Per-illuſtris Autor in præfatiuncula tanti habitum aſſerit a Montecuculo, Principe Ludovico Badenſi, ipſoque ſummo heroe Eugenio Principe Sabaud. ut nulla dies præterierit, quin aliquid in eo legerint & feliciter aliquando inde profecerint. Hinc Guevaræ horologium Principum enucleatum iisdem linguis, nec non Obſervationes curioſæ & eruditæ ſeu cogitationes ſelectæ modernorum, Præguſtus item Ju-

ris Publici (cui & Aurea Bulla Latine concepta annectitur) & Artis Heraldicæ delineatio atque Præguſtus Juris Naturæ & Gentium, Gallice quidem omnia, ſubjiciuntur. Denique Tomus IV Leges Civiles in ordine naturali, ſeu Præguſtum Juris Civilis, ut & Feudalis, Latine conſignatum, & Lexicon Juridicum verbale & reale Latino-Germanicum, cum Indice copioſo complectitur. Acceſſere denique tabulæ IV Sciagraphiæ hiſtoriæ recentioris paralleliſticæ, quæ res in orbe a Maximiliano I ad noſtra tempora geſtas apte atque eleganter repræſentant. His expoſitis ſatis cuique conſtare putamus, quid in vaſto hoc opere, quod & perexiguo typo impreſſum eſt, contineatur; illud unum addimus, librum ſub finem *Bibliothecæ illuſtrium* titulo inſigniri, quod vel ideo monendum duximus, ut ſi poſthac forte hoc ſub titulo liber proſtet, eundem cum hoc noſtro eſſe, Lector intelligat.

WOLFERDI SENGUERDII, PHILOSOPH. PROF. Ordin. in Academia Lugdunenſi & Bibliothecæ publicæ Præfecti, Annotationes circumſtantiarum ſingularium circa cohærentiam hemiſphæriorum concavorum & cylindrorum ſolidorum.

1. COhærentiæ hemiſphæriorum concavorum firmitudo æqualis eſt, ſive ante evacuationem aere omnino repleta fuerint, ſive eadem occupaverit aqua, vel ſolidum corpus hemiſphæriorum cavitati, quam exquiſite fieri poterit, reſpondens. Cuprea ſane concava ſphæroidea corpora, quorum diametri majores ſunt 4 digitorum & 4 linearum, ſemidiametri vero minores unius digiti & 10 linearum, poſt ſubductum aerem clauſo epiſtomio æquale pondus ad directam ſeparationem mutuam requirunt, ſive nihil præter aerem, qui exhauritur, interceperint, ſive ligneo corpore ſphæroideo, ipſorum cavitati quam exquiſite fieri poteſt reſpondente, maxima parte repleta fuerint, pauco tantum aere inter ligneum corpus & hemiſpæroidea reſiduo, quod aeris itidem evacuatur.

2. Pondus ad hemiſphæriorum ſeparationem requiſitum non variat pro hemiſphæriorum capacitate, aut quantitate materiæ, quam intercipere valent, ſed æquale requiritur ad illa diſſocian-

da,

da, ſive ſphæricæ fuerint figuræ, ſive ellipticæ, vel ſphæroideæ; ſive duo ellipticæ figuræ invicem adaptentur immediate, ſive ipſis interponatur orbis cupreus, marginibus utriusque reſpondens, iisque eadem adaptetur methodo, qua concava corpora invicem committuntur, qui orbis foraminulum habet, per quod, dum aer ex altero hemiſphærio exantlatur, effluere valeat is, qui altero continetur; ſive etiam clauſo foramine ex ſingulis hemiſphæriis ſeorſim aer evacuetur; ut & ſi orbis alterutri hemiſphæriorum adaptetur, adeoque ſive decuplo plus vel minus interceperint aeris, qui exhauritur; ſi modo ea parte, qua invicem agglutinantur & ſeparanda veniunt, diametro fuerint æqualia. Poſita autem diametrorum inæqualitate, huic utcunque proportionaliter plus minusve ponderis adhibendum eſt, quo ab invicem divellantur. Hemiſphæria divortium patiuntur, quorum diameter eſt 4 dig. & 4 lin. appenſis libris 275, quorum vero diameter 8 digit. 6 linear. appenſis libris 850. Variat tamen utcunque eorundem hemiſphæriorum cohærentiæ firmitudo pro ratione temporis, quo experimentum inſtituitur. Cœlo calidiore facilius dirimuntur, quam frigido: ut & pro tenacitate pinguedinis marginibus utriusque interjecti, & majori minorive exactitudine, qua pinguedo adimplet ſpatium utrisque interjectum.

3. Æqualia requiruntur pondera ad eorum ſeparationem perficiendam, ſive experimentum inſtituatur ſecundum horizontalem lineam, ſive ſecundum perpendicularem.

4. Variat firmitudo cohærentiæ pro latitudine marginum, quibus invicem applicantur. Hemiſphæria diametrorum æqualium, quorum margines latitudinis ſunt unius lineæ, dum appenſis 275 libris divortium recipiunt, idem non admittunt, ſi margines fuerint 7 lineas lati; niſi appenſis 357 libris. Evidentius hoc liquet, ſi quando poſt evacuata hemiſphæria, quorum marginum latitudo variat, aer ſenſim in illa readmittatur. Hac ratione dum hemiſphæria, quorum margo latus eſt 7 lineas, poſt evacuatum, dehinc aperto epiſtomio ſenſim readmiſſum aerem, nonniſi poſt appenſas 120 libras diſſociantur, cum æqualis diametri hemiſphæria, quorum margo unica linea utcunque major eſt, ne quidem quinque libras absque divortio ſuſtinere poſſint.

5. Ut divortium patiantur, plus minusve ponderis appendendum, pro ratione temporis & moræ, intra quod idem molimur. Quæ per unicum minutum absque mutuo secessu 250 libras sufferre valent, appenso pondere 200 librarum, interjecto aliquot minutorum intervallo dissociantur. Immo 150 libræ sufficiunt ad eadem separanda spatio octo, ad summum 10 horarum.

6. Diversa utcunque etiam pro ratione cœli, nec non glutinositatis ac soliditatis adipis marginibus interjecti, cujusque subsidio externi aeris introitus avertitur.

7. Mediorum, quibus evacuata hemisphæria circumvallantur, raritas & densitas magni etiam hoc in negotio momenti, plurimumque cohærentiæ firmitudinem adauget atque imminuit. Sphæroidea enim, quæ appenso 250 librarum pondere illico dissociari supra n. 2 notatum est, quando aere cinguntur libero, si fuerint commissa vasculo cylindri-formi cupreo, cujus altitudo unius est pedis, diameter vero septem digitorum, eorumque alterum firmiter connexum fundo, beneficio annuli ac styli per annulum transmissi atque cochlea firmati, ne appensis ponderibus a fundo separetur, alteri vero adaptata catena cuprea, quæ medium transit operculum, ut & tubulum operculo adaptatum, sex pedes longum, cujus diameter vix sex linearum est, & qui ne quidem sex aquæ uncias continere valet; dehinc aqua repletis ad summum vase ejusque tubo; alteri catenæ extremo appensis mille & quingentis libris, sui non admisere divortium, catena rupturam patiente.

8. Imprimis vero intenditur ac imminuitur difficultas separationis pro varia determinatione, juxta quam dissociatio eorundem tentatur. Hemisphæria enim, quorum margo est 7 linearum, ad quorum separationem directam 357 requiruntur libræ, transversim sive oblique vix octo vel decem librarum pondus uno alterove momento absque divortio sufferre valent.

Quod solida corpora, concavitate destituta, nihil aeris intercipientia, adeoque tota superficie, qua invicem committuntur, contigua spectat, 1. ut eorum divulsio perficeretur, appendendæ fuere

Mar-

	dig.	lin.	libræ
Marmoreis albis diametri	2	7	1150
albis	2	1	900
nigris	2	2	900
albis		10	200
æneis	1	11	800
eburneis	2	7	200

Perinde autem eſt ſive directa hæc tentetur diſſociatio perpendiculariter, ſive horizontaliter, quemadmodum obſervatum ſupra fuit circa hemiſphæria concava.

2, Iidem cylindri oblique, vel transverſim, multo leviori diſſociantur negotio. Marmorei enim albicantes, quibus ut directe ſeparentur, appendendæ fuere 1150 libræ, transverſim pondere 200 librarum paſſi ſunt divortium.

3. Firmitudo cohærentiæ ipſorum diverſa eſt pro ſtatu ſive qualitatibus cœli, maxime caloris, aut frigoris, uti ſupra notatum circa cohærentiam hemiſphæriorum.

4. Variat pro glutinoſitate majori vel minori interjectæ pinguedinis.

5. Diverſa etiam eſt, prout magis minusve exquiſite aer fuerit excluſus, vel plus minusve ejus interceptum.

GUIDONIS GRANDI SOLUTIO DUORUM problematum Mechanicorum Mathematicis Italiæ a nonnemine propoſitorum.

Solutio primi Problematis.



COnveniant dati muri *EA*, *FD* in angulum *B*, trabes autem inter hos transverſim ductæ, æqualis craſſitudinis, & invicem parallelæ in eodem horizontali plano ſint *AD*, *EF*, *ef*, *&c.* Oportet in his curvam deſcribere, ſuper qua ſi paries ad datam aliquam altitudinem uniformiter erigatur, parem in ſubjectis trabibus ubique reſiſtentiam invenias:

Trabem angulo proximam ſeu breviſſimam omnium bifariam ſeco in *G*, & juncta *BG*, quæ producta reliquas trabes biſecabit in *H*, *b*; iterum bifariam ſeco *BG* in *C*, & ex *C* duco *CIS*, *CKR* æquidiſtantes muris *EA*. *FD*; tum per *G* inter aſymptotos *CS*, *CR* duco hyperbolam Apollonianam *GLI*. Hanc dico Problemati ſatisfacere. Nam trabis *AD* reſiſtentia in medio *G* ad reſiſtentiam trabis *EF* in medio *H* eſſet :: *EF. AD* :: *EH. AG* :: $\overline{EH}^2$. *EH* x *AG*; reſiſtentia vero in *H* ad reſiſtentiam ejusdem trabis *EF* in *L* eſt :: *ELF.* $\overline{EH}^2$; ergo ex æquo perturbate reſiſtentia in *G* ad eam quæ in *L* :: *ELF. EH* x *AG* aut (propter *EF. EH* :: *AG. AI* vel *ES*, id eſt in ratione dupla, adeoque *FES* = *EH* x *AG*) :: *ELF. FES*; quæ quidem ratio eſt æqualitatis, nam *SLR* = $\overline{IG}^2$ = *ES* x *RF*, additisque illic *ESF*, hic *SER* æqualibus, reſultat *ELF* = *FES*; quare & reſiſtentia trabis *AD* in *G* = reſiſtentiæ trabis *EF* in *L*; unde idem pondus utrobique pari momento ſuſtinebitur; & ſic ad eandem altitudinem paries ſuper curva *GLI* erectus, æqualem ubique reſiſtentiam in ſubjectis tignis obtinebit. Quod &c.

Solutio ſecundi Problematis per eundem.



DAta ſit ratio 1. 4, datumque rectangulum *ACFD*; oportet in ipſo duas figuras, veluti *DBF*, *AEC* inſcribere, quæ datam rationem habeant, ſed ita ut priſmata ſuper iis ad parem altitudinem conſtituta (quæ pariter in data erunt molis & ponderis ratione ſi homogeneæ materiæ fuerint) æqualis invicem ſint reſiſtentiæ:

Aſſumatur $m = \sqrt{[(1-3a)^2 : 4(1-a)^2 + 4 : (1-a) \pm (1-3a) : 2(1-a)]}$ & ad axem *BE*, quo bifariam ſecantur oppoſita latera *AC*, *DF* dati parallelogrammi, vertice *B*, ordinata *DF* deſcribatur parabole *DBF*, cujus abſciſſarum *x*, & ordinatarum *y* relatio exprimatur æquatione $y^m = x$. Item fiat $n = m^2 : (1+3m)$ & vertice *E*, ordinata *AC* fiat ad axem *EB* parabole, cujus æquatio $y^n = x$. Dico hos Problemati ſatisfacere. Nam prima parabola erit dati rectanguli $m : (m+1)$ ſecunda erit ejusdem $n : (n+1)$ ſeu, ſubſtituto loco *n* ejus valore, $m^2 : (m^2+3m+1)$ itaque prior area ad poſteriorem

rem erit: : $m^2+3m+1.\ m^2+m$: : $1.\ a$, ergo $a=(m^2+m):(m^2+3m+1)$ & ideo $m^2-am^2+m-3am-a=0$, ſeu dividendo per $1-a$, fiet $m^2+(1-3a)m:(1-a)-a:(1-a)=0$; cujus æquationis radix $m=\frac{1}{2}[(1-3a)^2:4(1-a)^2+a:(1-a)\pm(1-3a):2(1-a)]$ prout ſupra ponebatur; ergo areæ ipſæ revera datam rationem habebunt. Quod vero priſmata ſuper iisdem facta, & reſpective fulta in baſi DF, aut apice E æqualis futura ſint reſiſtentiæ, patet, quia areæ, ut diximus, ſunt in ratione $1.a$, ſive $m^2+3m+1.\ m^2+m$; at etiam diſtantia centri gravitatis parabolæ AEC a vertice ſuo E eſt $(1+n):(1+2n)$ altitudinis, ſeu (ſubſtituto ipſius n valore) $(m^2+3m+1):(2m^2+3m+1)$ diſtantia vero centri gravitatis parabolæ DBF a baſi $DF=m$: $(1+2m)$ ejusdem, ſeu (multiplicando per $1+m$) $(m^2+m):(2m^2+3m+1)$ ergo diſtantia centri gravitatis ſecundæ a vertice eſt ad diſtantiam centri primæ parabolæ a baſi in eadem ratione m^2+3m+1 ad m^2+m, in qua reciproce eſt area prioris ad aream poſterioris; & ideo quæ ex his componitur ratio reſiſtentiarum erit æqualitatis. Quod &c.

Vermehrte Marckſcheide-Kunſt/

h. e,

GEOMETRIA SUBTERRANEA AUCTIOR; Autore NICOLAO VOIGTELN, Decimarum e Mansfeld. Isleb. & Hedtſtettenſibus metallifodinis Receptore.

Islebiæ, ſumptibus Autoris, 1713, fol.
Alph. 2 plag. 13 Tab. æn 10.

CUm anno 1686 primum compareret hoc opus, non ſine applauſu eorum excipiebatur, quos Geometriæ ſubterraneæ cognitio juvat: erat enim in hoc genere fere unicum, Tractatu *Eraſmi Reinholdi* de eadem arte olim conſcripto & Francofurti ad Mœnum 1615 in 4 recuſo paucis noto, certe ipſi Autori non viſo. Quoniam vero interea temporis multa obſervavit, quibus hæc ars ulterius perfici poteſt; in altera editione, quæ ſubtriplo auctior prodiit, eadem cum publico communicare dignatus eſt. Editio prior partibus

tibus 21 constabat, sed posterior habet partes 25. Prima de Logistica decimali, quam Autor primus in Geometriam subterraneam introduxit, & secunda, quæ ex Geometria elementari problemata nonnulla repetit, nihil mutationis subiit: verum tertiæ, fabricam & usum instrumentorum Geometris subterraneis necessariorum tradenti, variæ hinc inde inseruntur annotationes practicæ non contemnendæ. In parte quarta de magnete præter istiusmodi annotationes aliquot articuli novi comparent scitu apprime necessarii, quibus accuratus acus magneticæ usus curæ cordique existit. Tabulas sinuum in usum Geometrarum subterraneorum ad eorum mensuram jam olim in parte quinta reductas ad singula minuta quina extendit, cum ante nonnisi ad quindena easdem construxisset, quia in quibusdam casibus priores non satis accuratas deprehendit. Priores tamen una exhibere ipsi placuit. In parte sexta, septima & nona nihil immutavit: octava aliquot articulis aucta, novas methodos exponentibus, juxta quas in superficie montis assignatur locus alteri cuicunque sub terra in fodinis dato perpendiculariter imminens. Similiter undecimæ ac duodecimæ accessere casus in priore editione prætermissi. Quæ in hac erat pars vigesima prima, in posteriore locum decimum quintum occupat, quia instrumenti, quod in ea describitur, usus est in ferri fodinis, in quibus Geometriam exercere docet parte decima quarta. Prorsus novæ sunt partes decima septima & decima octava; nec non vigesima quarta & quinta. Prima illarum agitur de aquæductibus per canales præsertim ligneos; secunda de variis libellarum generibus ad aquas fluentes libellandas utilium; tertia scalam sinuum in usum Geometriæ subterraneæ construere docet, quarta eandem cum mensura Geometrarum subterraneorum ordinaria combinat, ut scilicet in scala inveniri possint, quæ alias in tabulis evolvuntur: quod sane perquam commodum in praxi accidit.

THE SCENE OF DELUSIONS OPEND IN AN Historical Account of Prophetik Impostures, &c.

i. e.

SCENA ILLUSIONUM, IN DESCRIPTIONE Historica Pseudo-Propheticarum Impostur arum, inter Judæ-

os,

os, Chriſtianos & Ethnicos, obviarum, detecta; ubi ſimul novorum Pſeudo-Prophetarum opiniones examinantur & confutantur; Autore CAROLO OWENO, V. D. M.

Londini, apud Jo. Laurentium & Henr. Eyres, 1712, 12 maj. Plag. dimid. 12.

QUantos motus aliquot abhinc annis Pſeudo-Prophetæ novi Cemmenii in Anglia excitarint, qui nondum omnino ſedati ſunt, non modo ex relationibus publicis, ſed & e diverſis de materia hac editis conſtat libris. Non fuit autem hactenus eadem Anglorum de vatibus hisce ſententia, aliis viſiones iſtas tantum non prophetiis θεοπνεύσοις æquiparantibus, & ut ultimam tubam, judicia Dei mundo annunciantem, commendantibus: aliis contra omnem divinitatis autoritatem ipſis abrogantibus, & a corrupta phantaſia eas provenire, merasque ſubeſſe fallacias, aſſeverantibus. Inter omnes qui a vatum iſtorum ſtetere partibus, nemo viſiones majori ope defendere annisus eſt, quam *Johannes Lacyus*, Eques, qui variis eo nomine editis libellis, ut *Clamore ex deſerto*, *Lond. 1707*, *Triplici* item *admonitione Spiritus Sancti*, eodem anno edita, celebre tam inter Anglos, quam exteros adeptus eſt nomen. Huic Lacyo, Cemmeniorum primicerio, & præcipue tertiæ ejus Admonitionum parti, *Owenus* noſter Scenam hanc oppoſuit, ut in præfatione & opuſculo ipſo paſſim indicat. Motus ſcilicet erat vatum audacia, quæ eo proceſſerat, ut non tantum ſe parem Apoſtolis habere poteſtatem, ſed & mortuos reſuſcitare poſſe jactarent, quod in *D. Emeſio* defuncto ſe præſtituros ſpoponderant. Angli tunc omnes tempus, quo miraculum erat patrandum, ſuſpenſo animo exſpectabant, ſed cum die præſtituta *Lacyus*, de reſurrectione Emeſii deſperans, fidem ſuam nondum ad eum perveniſſe gradum, qui ad tam arduum opus requiratur, ultro profiteretur, non ſine magna ignominia Londino fuere expulſi, cum jam antea a ſe diſſidere invicem & in ſectas abire cœpiſſent. Nondum vero totum gregem extinctum eſſe, ſed potius tanquam ſerpentem in herba latere, ſereniorem que expectare auram, affirmat *Owenus*, ſpeciatim in Scotia, ubi *Burignoniſmus* magis indies vel ideo ingraveſcat, quod

Scoti natura ad enthuſiasmum ſint proclives. Londini quoque haud exiguas ſupereſſe reliquias, multosque *J. Maximil. Daut* vaticiniis, in Anglicam traductis linguam, nuper inflatos, criſtas erigere. Quapropter libellum hunc a ſe ſcriptum ait Noſter, e quo præcipua ſaltem excerpemus, oſtenſuri, qua ratione Autor *Lacyo* reſpondeat, ſimulque totum Cemmeniorum Syſtema refellere ſatagat. *Primo* itaque Capite bene obſervandum eſſe monet, placuiſſe Deo ſub diſpenſationibus propheticis, cum in V. tum in N. T. ordinarium conſtituere & ſervare Miniſterium: veros autem & a Deo miſſos Prophetas non modo ſacram legiſſe Scripturam, ſed & populum ad illam, tanquam ad infallibilem fidei & vitæ normam ablegaſſe, quod vel ſolus teſtetur Malachias, qui Cap. II, 7 monet, Sacerdotum ora doctrinam cuſtodire debere. Sacerdotes proinde & Levitas fuiſſe ordinarios Doctores, quibus quandoque acceſſerint extraordinarii, Prophetæ videlicet, qui tamen nunquam doctrinæ Sacerdotum contradixerint. Donum prophetandi quadringentis & ultra annis, ante adventum Chriſti, ceſſaſſe. 5. Ordinem, quo ab Adamo ad Moſen & porro, doctrina divina propagata ſit, hoc loco exponit. Principio N. T. quidem extraordinariam Spiritus S. factam fuiſſe effuſionem, qua illuminati Apoſtoli officio functi fuerint ſuo, ipſos Apoſtolos tamen ordinaſſe viros, qui in lectione Scripturæ S. perſeverare, auditoresque non ad 7. donum prophetandi, ſed ad S. Literas ducere debuerint. Sicque donum hoc miraculoſum iterum poſt ſecundum ſeculum defeciſſe, unde factum, ut jam tum Montaniſtæ Patribus inviſi fuerint, 9. cum neglecta Scriptura S. ſuas tantum jactarent viſiones. Incumbere omnino vatibus novis probare, Apoſtolos inſtituiſſe ordinem, ex quo ſemper Prophetæ prodituri ſint (quod equidem facile fuiſſet, ſi Chriſto ita viſum eſſet) tum enim in Eccleſia non Presbyteros, ſed ſemper Apoſtolos debuiſſe ordinari credit Owenus; accedere, quod Deus voluntatem ſuam in Evangelio plenisſime nobis revelaverit, nec usquam promiſerit, ſe ante finem mundi novos miſſurum eſſe Prophetas. Quæ de expectanda adhuc uberiori Spiritus S. effuſione a Cemmeniis proferuntur, diluit Autor ex aliis Scripturæ locis, monſtrans locum Eſa. LIV, 13. Omnes ſcilicet a Deo doctum iri, e verbis Chriſti Joh. VI, 45 optime explicari.

Pag. 1.

Non

Non negat quidem Autor, tranquilliorem Eccleſiæ ſtatum, ſed p. 15.
illum directioni & gubernationi Miniſterii ordinarii ſubditum fo-
re, affirmat. *Secundo* Cap. glorioſum a Vatibus hiſce promiſſum 18.
deſcribitur regnum, quod Lacyi potiſſimum verbis, e prima tertia-
que Admonitionum parte deſumtis, explicatur, quodque modo
Paradiſi, modo terræ novæ nomine deſignatur, ex quo omnis im-
perfectio & peccatum exulare debeat. Quod quam infirmo ni-
tatur talo, ex ſcopo creationis & reparationis demonſtrat Owenus.
Tertio urget, teneri vates novos, miſſionem ſuam non miraculo- 24.
rum jactantia, ſed veritate probare, ubi prolixe de verorum falſo-
rumque miraculorum differentia agit, & miracula merito ſuſpecta
eſſe oſtendit, cum ab Apoſtolo 2 Theſſ. II, 2 - 11 inter ſigna Anti-
chriſti referantur. Unde J. Hallus profeſſus erat, ſe non aliam ob
cauſam Rom. Eccleſiam pro vera non agnoſcere, quam quod vana
miraculorum ſuperbiat gloria, Decad. I Epiſt. VI. Donum quoque
linguarum non ſemper θεοπνευςίας eſſe ſignum docet, cum & ob-
ſeſſi incognitas loqui ſoleant linguas. Hinc duodecim, quæ pro
defenſione Cemmeniorum adducuntur, reſpondet inſtantiis, & ſic
Cap. IV ipſam illuſionum aperit ſcenam, quæ Diabolum repræſen- 39.
tat, fucum hominibus facientem, dum futura ipſis annunciat, quod
multis probatur exemplis, ut Theudæ, Simonis Magi, Elymæ, ali-
orumque. Judæorum quoque de Exorciſtis ſuis opinionem, ex
Talmude refert. Progreditur ſequenti *Cap. V* detegitque arcana 45.
politica diaboli, qui Evangelii lucem non modo perſecutionibus,
ſed & falſis vaticiniis extinguere, vel ſaltem curſum ejus impedi-
re conetur, prædicente Salvatore Matth. XXIV, 24. Notas eſſe
Simonis magicas operationes. Et quæ ſpiſſis alibi hiſtoriarum
voluminibus de vatum talium leguntur ſtudiis fallaciisque, Noſter
hic ſedecim ſectionibus per compendium proponit, ſed ita, ut ni-
hil quod notatu ſit dignum, prætermiſiſſe videatur. Ad hanc 47.
claſſem referuntur *Cerinthus*, *Montanus*, *Mahometus*, *Hildegardis*,
Ignatius Loyola, *Joh. de Rupeciſſa*, *Miinzerus*, *Hutius*, *Kinkius*, *Hof-
mannus*, *Joh. Matthias*, *J. Buckoldius*, *Eliſab. Barton*, vulgo ſancta
puella de Keut appellata, aliique ejusdem furfuris. Addit quæ-
dam de dæmonio *Socratis*. Tum vero & recentiora exempla
producit capite *ſexto* atque *ſeptimo*. Ubi primum locum obti-

nent, quæ de *Doct. Joanne Devo* (Dee) celebri illo Chymico, & *Eduardo Kellæo*, in Anglia Jacobi I & Elisabethæ temporibus facta narrantur. Hic Owenus pluribus probat testimoniis, familiaria illa *Devi* & *Kellæi* cum Spiritu colloquia impostoram prodere, etsi interdum res futuras, nec illaudabiles, prædixerint. Acta
p. 77. vero *Devi* cum *Lacyi* actis adeo convenire affirmat, ut spiritus illius in hoc revixisse videatur. Non sine horrore porro legi possunt, quæ de diaboli illusionibus, & apparitione in Suecia facta
81. refert. *Burignoniæ* adeo jactatam inspirationem, ut & *Pordagii*, & quorundam Philadelphicæ Societatis membrorum vaticinia, ad Lydium Scripturæ S. lapidem applicata, evanescere, periæde ut *Magdalenæ Crucis* Abbat. Cordubensis veneficia, quæ ex decreto Inquisitorum tandem rogo fuerit imposita. Quæstionem hac occasione Noster solvit, annon neo-prophetarum autoritas inde possit probari, quod vitia hominum culpent, morumque sanctitatem commendent? Respondet vero, minime hoc sufficere, cum Diabolus in angelum lucis se transformare possit, & haud insolens sit, ipsum quandoque bona edisserere, si spes sit, regnum suum amplificari hoc modo posse, & fieri quoque nonnunquam, ut altiori vi coactus veritatem profiteatur, quod tum factum videatur, cum Christum proclamaret Filium Dei. Idem probari quoque posse exemplo falsorum doctorum & ministrorum, qui in Israele sæpe vera docuerint, quamvis pessime viventes. Subjungit
86. Autor sub finem comparationem veterum novellorumque Prophetarum, cum exacta falsarum notarum expositione, & octo tandem illis opponit rationes, quibus, quam confusa sibique contradicentia sint ipsorum vaticinia, explicat, ipsisque Lacyi verbis ostendit, cum ipsas prædictiones a Scriptura, tum ecstases a verorum Prophetarum inspiratione longissime distare.

URBANI REGII FORMULÆ CAUTE ET CITRA scandalum loquendi de præcipuis Christianæ doctrinæ locis, pro junioribus verbi Ministris: cum notis, Vita Autoris, doctorum de eo judiciis, & Appendice Apologetica MARTINI SILVESTRI GRABII. Editio secunda.

Guel-

Guelpherbyti, apud Gottfried. Freytag, 1714, 8. Plag. 19.

MArtino Silveſtro Grabio, Weiſſenſeenſi Thuringo, Theologiæ Doctori, ejusque Profeſſori Regiomontano, & Bibliothecario Electorali, deinde autem Pomeraniæ Electoralis & Camminenſis Principatus Superintendenti generali, Stargardiæ denato A. 1686, Theologo, Philologo ac Philoſopho præſtantiſſimo, non tantum debemus *Tabulas* monarchiarum regnorumque parallelas, & *Diſputationes* de dicto Chriſti Joh. XVII, 3 contra Socinianos, de Unione duarum in Chriſto naturarum, de Perſpicuitate Scripturæ, ejusdemque laicis concedenda lectione, de dicto Gal. IV, 4, de Quæſtionibus aliquot gravibus &c. ſed etiam *Annotationes* in Urbani Regii Formulas caute loquendi. Quoniam vero illæ inde jam a multo tempore non amplius parabiles erant, fuit non nemo, ſine dubio Grabiani nominis & meritorum cultor, qui novam curaret editionem, eamque & nitidiorem & emendatiorem. In Urbani Regii laudes non eſt, quod excurramus: plus ſatis quoque notus eſt utiliſſimus ejus libellus *de Formulis caute loquendi*; hoc autem indicandum utique videtur, agi in eo de pœnitentia, fide, operibus, meritis, miſſa, lege, libero arbitrio, prædeſtinatione, libertate chriſtiana, magiſtratu, omnibus a Deo doctis, ſatisfactione, virginitate, confeſſione, traditionibus humanis, jejunio, oratione, ſanctorum invocatione & memoria pie defunctorum, imaginibus, feſtis, cærimoniis & ſepultura; atque his in capitibus monſtrare Autorem, quomodo ab incautis & periculoſis locutionibus cavere ſibi debeat concionator, caute vero, circumſpecte ac prudenter loqui. Ac proinde bene faciunt Paſtores & Studioſi Theologiæ, qui libellum hunc ſibi familiarem reddunt, & nocturna verſant manu verſantque diurna. Editio autem præſens tanto magis aliis eſt præferenda, quanto illuſtrior facta eſt *Grabianis Annotationibus*, quantoque plus operæ ab autore illo impenſum ei fuit, ut integra nec ullo modo mutila prodiret, ſicut inprimis patet cap. XVI §. XI. Libro ipſi præmittit Grabius *Regii vitam* ex præſtantiſſimis autoribus collectam, eique ſubjungit virorum doctorum de Regio ac præſente ejus libello *Teſtimonia & judicia*, nec modo Vitæ ſed & ſcripto Regii eruditas

ſubjicit *Annotationes*, & *Appendicem* annectit *apologeticam*, in qua vindicat Regii & meliorum libelli editionum autoritatem, nec non ejus ſententiam de humanarum ſtatu animarum poſt mortem: qua occaſione diſſerit de autoritate librorum Symbolicorum, & animarum ſeparatarum loco & conditione, quæ, ut breviter ſtrictimque dicamus, huc abeunt, animas pie defunctorum veteri ſub fœdere usque ad Chriſtum deſcendiſſe in Schol ſeu ad inferos, quotquot autem mortui ſunt in Chriſto crucifixo & exaltato, eorum animas migrare ad ſedes cœleſtes, & eſſe cum Domino. Idque Patrum eccleſiæ, & præſtantiorum inter Proteſtantes Theologorum teſtimoniis probare nititur. Plura apud ipſummet hac de re videri & legi poſſunt.

CHRISTOPHORI CELLARII ORATIONES Academicæ, collectæ opera JO. GEORGII WALCHII, qui & Præfatione de fatis Oratoriæ inter Græcos, Romanos & Germanos copioſe ediſſeruit.

Lipſiæ, ſumpt. Jo. Lud. Gleditſchii & M. G. Weidmanni, 1714, 8. Alph. 1 plag. 3.

HIs ſermonibus panegyricis præmiſit Cl. Editor præfamen, quo uberius de artis oratoriæ fatis inter Græcos & Romanos item Germanos diſputavit. Veteres Græcos dicendi facultatem magna antiquitate habuiſſe, ex fabellis colligi poteſt, quibus illius natales ad Deos retulerunt. Inter antiquiſſimos rhetores ponitur *Orpheus*, quem vindicat Editor copioſe; & *Homerus*, qui magna oris virtute præſtiterit, prout id ſatis & multum ex orationibus poſſit judicari, quas ex perſona magnorum ducum recitaverit. Poſt hos multi in Græcia floruerunt, qui partim rhetoricam docuerunt, partim declamando affectarunt nomen; quo pertinent *Tiſias*, *Traſimachus*, *Theodorus*, *Pherecydes*, *Corax*, *Empedocles*, *Antiphon*, *Meneſtheus*, *Pericles*, *Alcibiades*, *Critias*, *Theramenes*, *Ephialtes*, *Leontinus Gorgias*, *Thraſymachus Chalcedonius* & multi alii. Horum vitas, eloquentiam & alia, quæ ſubierunt, fata diligentius perſequitur Autor; inprimis explanat nomina, quibus hi eloquentiæ magiſtri *Philoſophi*, *Sophiſtæ* & *Rhetores* appellati fuerunt. Sedes hujus eloquentiæ ſunt Athenæ; & quum ibi duo præcipue loca eſſent *Academia* & *Lyceum*, ſæpius in *Lyceo* hanc dicendi artem tradi-

ditam fuiſſe Noſter exiſtimat. Athenis quoque erat diviſio rhetorum & quidam erant ἐντελέστεροι, alii δυνατώτεροι; & quædam provinciæ his, aliæ illis diſcipulos tradebant. Honorarium eorum commune fuit Athenis decem millia drachmarum. Romani eloquentiæ primas detulerunt, licet haud vixerint ante bella Punica, qui ponendi ſunt in numero oratorum. Primum Cicero nominat *M. Cornelium Cethegum*, quem alii poſtea ſecuti ſunt, *Sergius Sulpicius Galba*, *C. Lælius*, uterque *Gracchus*, *C. Carbo*, *Q. Catulus*, *M. Druſus*, *L. Craſſus*, *M. Antonius*, *Cicero*, *Salluſtius*, *Pompejus M. Sulpicius*, *C. Caſſius*, *Trebonius*, & multi alii. His Poetæ quoque adjunguntur, quod poeſis & ars eloquentiæ maximo vinculo ſint conjunctæ, ut ſine utriusque detrimento haud divelli queant. Ipſi veteres Romani libera Republica declamabant & de rebus publicis, quum civem Romanum accuſarent, defenderent, populo fugienda proponerent, quod plerumque ex roſtris fiebat; & de privatis, quum e. g. ſenatui, patronis gratias agerent, mortuos laudarent. Cn. Pompejus certum dicendi ſpatium patronis cauſarum præſcripſit; & reis ad dicendum tres horæ, accuſatoribus duæ ſunt conſtitutæ. Alii eloquentiam docuerunt ære publico, alii privata quaſi opera; illi in Capitolio, hi paſſim in urbe; illi certo numero, hi incerto. Plura ipſe Autor collegit larga manu. Ex antiquiore Germanorum gente *Bardi*, *Vates* & *Druides* inter rhetores referuntur; & Seculo III Cliviæ ſchola publica eloquentiæ fuit conſtituta. Seculo VIII *Carolus M.* & *Eginhardus* commemorantur, eorumque in eloquentiam merita prædicantur. Secul. XI & XII hoc litterarum genus magnopere evectum fuit; quæ omnia Autor copioſe declarat. Ea quæ de Oratoria Germanorum Secul. XV, XVI, XVII dicenda ſunt, reſervantur alii tempori, quum præfationes & dedicationes Cellarii uno faſciculo junctas ſit publicaturus. Quod ad Orationes ipſas pertinet, I earum auguſto Conditori Academiæ Fridericianæ poſt inaugurationem gratias agit, & habita eſt 1694. II dicta 1701 Friderico, Regi Boruſſiæ gl. m. ipſo regalis auſpicii & ſacræ unctionis die gratulatur; III, IV-XI dictæ ſunt eidem Regi Friderico de natali illius XL, XLI, XLII, XLIII, XLIV, XLV, XLVI, XLVII, XLVIII, ab an. 1696 ad 1704. Oratio XII auguſtis manibus glorioſiſſimæ

ſiſſimæ Principis Sophiæ Charlottæ, Reginæ Boruſſorum, 1705 dicata eſt, & XIII memoriæ Pauli Lib. Baron. a Fuchs, 1704, XIV de melioribus literis reſtituendis, ſub initium Collegii elegantioris literaturæ, habita 1697. XV Friderico de natali ejus XXXIX ann. 1695 gratulatur, quæ ideo extremum locum occupat, quia ſerius ad Collectorem transmiſſa fuit. His adjuncta eſt Oratio funebris Chriſtophoro Cellario 1707 publice dicta ab Andrea Julio Dornmeier. De cetero Cl. Editor in præfamine librum *de literatis Romanorum provinciis* promittit.

NOVA LITERARIA.

IN Belgio Franciſcus Halma, Ordinum Friſiæ Typographus, prelo ſubjecit *Antiquas Inſcriptiones*, quum Græcas tum Latinas, olim a *Marquardo Gudio* collectas, nuperque a *Johanne Kool*, Senatore Amersfordienſi, auſpiciis *Jo. Georgii Gravii* digeſtas, in quibus nunc emendate edendis operam inprimis ponet *Franciſcus Heſſelius*, ad D. Mariæ Ultrajecti Canonicus.

Lipſiæ menſe ſuperiori d. 22 magno multorum luctu deceſſit Eccleſiæ noſtræ decus ſingulare, *Johannes Güntherus*, S. Theol. ad S. Thomæ Archi-Diaconus & Collegiatus B. Virginis. Is natus Greiffenbergæ in Sileſia 1660 d 17 April. & e ſchola poſt aliquot annos in Academiam noſtram delatus, cum a B. Scherzero in domum & convictum receptus eſſet, paulatim candorem atque eruditionem Theologicam omnibus commendavit, vocatusque ſubinde ad munus Eccleſiaſticum, non modo e ſuggeſtu aſſidue ſermones habuit ad populum, etiam cum vitæ finem inſtare perſentiſceret, verum & ſtudioſis veram Theologiam continue inculcavit, multumque Pontificiis in rectam viam deducendis inſudavit, & inprimis cum nonnullis Sileſiis, eam religionem tuentibus, publicis ſcriptis modeſte diſputavit. Quorum fama & e Cardinalium ordine Romæ quendam movit, ut aliquot literis cum noſtro de religione agere haud gravatus fuerit, quod literarum commercium huc usque fere continuatum eſt.

ERRATA M. JAN.

Pag. 17 lin. 2 lege *poſtibus*; pag. 20 lin. 5 lege *aleatorum* & lin. 11 lege *Artis combinatoria*.

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipſiæ
Calendis Martii Anno M DCC XIV.

Des heiligen Römiſchen Reichs Deutſcher Nation Reichs-Tags Theatrum.

i. e.

JOHANNIS JOACHIMI MULLERI THEATRUM comitiale ſeu Imperii Romano-Germanici, quale ſub Imperatore Friderico V ab A. 1440 usque ad 1493 fuit, ex actis publicis, probatisque hiſtoricis detectum.

Jenæ, apud Joh. Felicem Bielkium, 1713, fol. Alph. 20 pl. 19.

SPem præſentandi hujus Theatri jam tum A. 1709 M. Auguſto pag. 338 fecimus, cum nobiliſſimi Autoris tractatum elegantem de ſtatu Comitiorum Imperii ab Anno 1501 ad 1508 exhiberemus. Illam nunc vanam eſſe non ſinit perinduſtrius Autor, quippe qui per vices hiſtoriam comitialem usque ad Rudolphi II tempora ducturus, initium a Friderici fecit imperio, quem tertium alii, alii quartum, ipſe quintum numerat, quoniam ex Imperatorum ſerie Fridericum Pulcrum & Fridericum Brunſuicenſem haud excludendos judicat. Diuturnum & ultra quinquaginta annos protractum Friderici hujus imperium facile de operis mole movere poteſt ſuſpicionem, quod ut commodius digereret, in ſex actus ſive præſentationes univerſum Noſter diſtribuit. Prima periodus complectitur ea, quæ ab Anno 1440 ad 1452 fuerunt acta, altera ad 1456, tertia ad 1461, quarta ad 1471, quinta ad 1486, ſexta denique ad 1493 porrigitur. Methodum ſibi ſtatuit

eam, ut continua ſerie hiſtoriam ipſe ſuis verbis ſcriberet, eamque tum hiſtoricorum maxime inſignium teſtimoniis, tum quod facere imprimis voluit, actorum publicorum documentis, quæ maximam partem nunc primum eduntur, confirmaret. Hoc ipſo libri quidem moles magnopere crevit, ſed & id obtentum eſt, ut lectoribus acta publica non, ut ab aliis factum, nuda darentur, & præterea quo, pro eventuum ratione, loco ſint collocanda, & unde ſcriptorum in illis cauſæ petendæ, quod ex ipſis absque hiſtoriæ ſubſidio haud facile patet, monſtraretur. Et hæc ad cognoſcendam operis œconomiam dicta poſſunt ſufficere. Ad ipſas res quod attinet, illas varie rurſus nobiliſſimus Autor diſtribuit, prout vel ſacrum regimen, vel politicum, vel privata Imperatoris, vel communia Statuum inter ſe & cum exteris negotia ſpectantur. Varia ſunt illa & valde copioſa, ita tamen comparata, ut eandem fere formam habeant omnia, neque falſo de rerum tanto temporis ſpatio geſtarum ſumma pronunciaveris, intra colloquia eas tantum aut ſcripta plerumque ſubſtitiſſe. Hoc ipſum eſt, cur tædioſum fore lectoribus noſtris ſumus perſuaſi, ſi multi in recenſendis ejusmodi rebus eſſe velimus, quæ magno conatu inceptæ, nunquam tamen ſunt peractæ. Videri aliquid poterat Germanorum Principum adverſus Pontificis autoritatem obſtinatio, dummodo per compoſitionem iſtius litis commodis illorum fuiſſet proſpectum. Etenim cum Electores diu concilii Baſileenſis adverſus
P. I. p. 22, 25, 30, 32, 52, 56, 203, 259. 277. 344, 348, 352. Eugenium Papam moliminibus reſtitiſſent, tandem hoc in ipſos etiam plus æquo ſibi arrogante, & Trevirenſem ac Colonienſem dignitate Electorali privante, his rebus obſiſtendum rati, decretis Baſileenſibus, ni Pontifex gravaminibus nationis Germanicæ mederetur, ſubſcribere minabantur. Verum minæ fuere, effectu deſtitutæ. Namque conſilio ad aſtutas Æneæ Sylvii perſuaſiones mutato, ſpecioſas Pontificis Bullas, qualemcumque ejus in Electorum petita conſenſum exhibentes, velut nubem pro Junone amplectebantur. Enimvero mox dolus per *Salvatorium* prodebatur, quo ipſo Eugenius jura ſedis Romanæ jubebat eſſe ſalva, ſiquid forte ex Bullis modo dictis detrimenti capere
365, 371, 358. poſſent. Tandem Nicolao V ad ſedem Romanam evecto, omnia & per concilium & per Germanorum querelas turbata videbantur

tur ſubſidere, cum & illud denique finem diſcordiarum faceret, & has Pontifex per pacta cum Cæſare *Concordatorum nationis Germanicæ* nomine ſopiret. Quod ſpecioſa vero magis, quam ſolida fuerit hæc reparatio, dicere nil attinet, cum ab illo utique tempore magis indies decreſcente ſuperſtitione, magis etiam de fuco ſibi facto queſti fuerint Germani, & adhuc, ut eum abſtergant, laborioſe nitantur. Ex iſto ſpecimine de omnibus ſub Friderico actis judicare lectores audacter poterunt, cum reliqua nec eo usque quidem perducta fuerint. Tædet enim copioſam conſultationum de bello adverſus Turcas vanitatem, imminutam per Georgium Bohemum & Matthiam Hungaricum Cæſaris autoritatem, domeſtica ipſius cum fratribus diſſidia & ejusmodi plura lente aut minus glorioſe geſta referre. Faciem noſtræ Reipubl. ſi quæras, qualis illo tempore fuerit, turbulentam invenies & formæ nondum ſatis elaboratæ. Nam privatis adhuc bellis, quæ *diffidationes* vulgo vocant, cuncta replebantur, erantque Germani inquietudinis hujus adeo tenaces, ut difficulter paci publicæ conſtituendæ aſſentirent, quantumvis Imperator ad ejus commendationem identidem ſcripto dictoque laboraret. Quamvis enim ſubinde quies per aliquot annos duratura publicis Imperii ſanctionibus reſtitueretur, nunquam tamen impatientis animi Status violare illas deſiſtebant. Et hanc quidem conjectura haud vana cauſam eſſe ſuſpicamur, quæ omnem conſiliorum tanto tempore agitatorum fructum perdiderit, quod malum remiſſa nimis Friderici noſtri indoles augebat, qua tanto ſubditorum contemtui exponebatur, ut Electores cauſæ communi non melius conſuli poſſe, quam ſi imperium deponeret Fridericus, aliquando judicaverint. Is erat tum rerum Germanicarum ſtatus, prout eum ex libro recenſito, quem jucundiſſimum pariter ac utiliſſimum merito judicamus, dedimus vel obiter delineatum.

KRATKOE ISOBRASENIE PROCESSOW, &c.

h e.

BREVIS DELINEATIO PROCESSUS, SIVE judicii inſtituendi, juxta Jus Romano-Cæſareum & Saxoni-

cum, ad mandatum S. Czareæ Maj. omnium Russorum Autocratoris adornata.

Petropoli, anno 1713, 12.

PRout antiquitus Germani adhuc barbari, si *Tacito de Moribus Germanorum* fides habenda, nullis scriptis legibus vivebant, donec introductis sub Carolo M. Christianorum sacris, legibusque Romanis sub Friderico Imperatore receptis, administrationem justitiæ aliaque negotia in meliorem formam redigerunt, sic etiam Rutheni, apud quos initio Nomadum more Jus manuum seu avtonomia obtinebat, deinde Principum dicta placitaque, consuetudines & sententiæ electorum, qui per pagos, urbes & vicos jus reddebant, diu pro legibus habebantur, causæque controversæ levato velo nulla fere judicii forma adhibita arbitrarie per decreta sæpe violenta decidebantur, successu temporis ad exemplum eorundem Germanorum (quos præ aliis gentibus & olim in Russiam vocatos ac in summo semper pretio habitos fuisse constat,) cultioribus moribus paulatim inductis, barbarie exuta, rem judiciariam legibus latis & in scripto comprehensis emendare cœperunt.

Magnus Dux Alexius Michaelowizius jam anno mundi 7156 (Christi 1646) decessorum suorum, inprimis Johannis Basilidis & Michaelis Fœderowizii, Edicta, Rescripta & pragmaticas sanctiones, ac si quæ in Actis & Canonibus Apostolorum ac sanctorum Patrum, quin & Græcorum Imperatorum aliisque vetustis Judiciorum libris ad politicum regimen spectantibus inveniebantur, convocatis, velut ad synodum, Patriarcha Josepho, Metropolitis, Archiepiscopis &c. Abbatibus, & adhibitis Tribonianis quibusdam secularibus aliisque ex equestri & plebejo ordine togatis probis viris in unum volumen, quod *Sobornoie Uloſgenie* h. e. Collectic Constitutionum inscriptum corpus Juris Russici communis repræsentat, compilari & imprimi jussit. Et hic solus liber est, qui idiomate vulgari Moscovitico impressus exstat, ut ab omnibus eo melius intelligatur, neque se quis juris ignorantia excuset, cum reliqui omnes, inprimis Ecclesiastici, lingua Slavonica, quæ a vulgo vix, nec plene intelligitur & a Ruthenica vulgata, uti Saxonica a Belgica, distat, hactenus editi sint. Hinc est, quod etiam modernus

Imperator

Imperator haud ita pridem iterato Theologis & doctioribus Patribus, ut S. Biblia in linguam Ruthenam vulgarem ex fontibus verti maturarent, ſerio injunxit, ne populus, fidei curæque ſuæ a Deo concreditus, lectione integri S. Codicis, cujus exemplaria Oſtroviæ & Moſcoviæ olim impreſſa fere deficiunt, (Novum enim Teſtamentum ſingulis fere annis recuditur,) diutius careat.

Et illæ quidem Alexii Conſtitutiones ſive Statuta, ex Ruſſica lingua in Latinam verſa, cum itinere in Moſcoviam, quod Baro de Mayerberg A. 1661 deſcripſit, impreſſa extant. Quia tamen hæc verſio cum originali Rutheno, dicto *Ulorgenie*, non in omnibus convenire dicitur & plura ſunt omiſſa, nova verſio Latina, inſertis illis, quæ modernus Ruſſorum Autocrator jam per edicta & programmata immutavit & in poſterum veteri juri enucleato addere decrevit, nunc adornatur, ſuo tempore proditura. Impreſſæ quoque idiomate Rutheno exſtant Leges Militares ſupra laudati Cæſaris Alexii cum figuris æneis, in fol. Quia vero tantum obſoletum belli gerendi ordinem in caſtris, commeatu, præliis, obſidionibus, præſidiis limitaneis, populationibus, aliisque expeditionibus præſcribunt, animadverſione delictorum militarium ad prædicta *Statuta* remiſſa, nunquam hic liber fuit iterum impreſſus, etſi exemplaria admodum rara inter Ruthenos facta ſint. Quare modernus Imperator aliam, novamque milites ſcribendi, docendi, luſtrandi, alendi, erudiendi, coercendique rationem, omnemque in quavis occaſione bellum gerendi modum, quo hactenus feliciter uſus eſt, ordine præſcripſit, qui liber propediem ex typographia Petroburgiana prodibit una cum nova ſanctione pragmatica de officio, reditibus, jure & privilegiis fiſci.

Sub initium hujus ſeculi cum plures duces & magiſtri militum ab exteris nationibus Moſcuam confluerent, ac pro dirimendis litibus inter ſe ortis ad *Auditorium* ſive judicium bellicum vigore edicti Cæſariani A. 1702 promulgati anxie provocarent, modernus Imperator pro ea, qua eſt erga exteros, clementia eorum velificaturus petitis, Conſiliario ſuo bellico H. de Huyſſen etiam ſupremi Cauſarum Militarium Judicis perſonam impoſuit. Hic ita primus A. 1704 Narvæ, citatis ſuoque loco pro ratione ordinis ac ſtatus in prætorio locatis Aſſeſſoribus & jurejurando

BIBLIOTECA

ab iis exacto, formam Judicii ſive Concilii Militaris Ruthenis monſtravit, quam adeo Imperatori præſenti probavit, ut ei etiam Leges pro dirimendis ac rite dijudicandis cauſis quibuscunque militum componere benigne injunxerit, quæ & lingua Ruthenica & Germanica non ſemel impreſſa cynoſura judiciorum militarium hactenus fuere. Quoniam vero in feſtionibus illis quam ſæpiſſime obſervatum fuit, ſagatos illos Patres conſcriptos, quibus cauſæ, cognitione prævia, per ſententiam in conſiſtorio more militari definiendæ commiſſæ fuerunt, modi procedendi imo terminorum artis penitus ignaros eſſe, in eorum gratiam hæc Proceſſus judiciarii Delineatio compoſita & ad mandatum ſummi Principis in linguam Ruthenam verſa publici juris facta eſt.

Pag. 1. In Prolegomenis agitur de judicio militari in genere, quomodo illud a Judicibus Caſtrenſibus (Auditores vocant) qui vel ſupremi & Generales ſunt totius exercitus, vel legionum aut agminum Prætores (General-Ober- und Regiments-Schultheiſen) ſeptem Aſſeſſoribus ad id vocatis formari ſoleat. In cauſis ad integrum exercitum ejusque præfectos & duces belli ſpectantibus, ipſe ſupremus Imperator Præſes eſt, vel ſupremus Dux (*Feldt-Marſchal* vel *Feldt-Mareſchal-Lieutenant*) vel Generalis, cui aſſident duo Legati (*General-Lieutenants*) duo ſupremi Excubiarum præfecti, duo Agminum ductores (*Brigadiers*) vel duo Chiliarchæ; & hoc vocatur *General*-Kriegs-Recht. In judicio autem pro cauſis legionum vel earum officialium (Regiments-Kriegs-Recht) Præſidi Chiliarchæ ad latus ſedent 6 Aſſeſſores, duo Centuriones, duo Vicarii ſive Locumtenentes, duo ſigniferi.

7. Graviter deinde explicantur officium & requiſita Judicum Caſtrenſium. Hos in exercitibus Ruſſorum eo magis neceſſarios eſſe pronunciatur, ut milites, quos arma magis, quam jura, noſſe conſtat, in cauſis examinandis atque dirimendis jus & æquum doceant & factum ad Leges Bellicas A. 1706 promulgatas (tam Ruthено, quam Germanico idiomate non ſemel impreſſas) applicent, & in ſubſidium ex aliorum Principum Chriſtianorum Legibus Bellicis, vel deniq; ex analogia Juris Gentium moratiorum cauſas militum bona fide, nullo perſonarum habito reſpectu, dijudicent, idq; agant, ne nullitates in proceſſu & ſententiis formandis admittantur

tantur, ſed ſuum cuique tribuatur, ſub gravi animadverſione. Quem in finem etiam ab Aſſeſſoribus jusjurandum ſolenne ex præſcripto prædictarum Legum Caſtrenſium exigere debent. Si pars in Pag. 11. judicium vocata aliquem ex Aſſeſſoribus ob inimicitiam, conſanguinitatem, affinitatem, familiarem amicitiam, aliamque neceſſitudinem vel vinculum, quod cum altera parte intercedit, vel denique ob factum notorium, quod infamiam irrogat, tanquam ſuſpectum recuſaverit, recuſatus exeat, & ſi cauſa allegatæ & in continenti probatæ reliquis præſentibus ſufficientes videantur, alius in locum recuſati eligatur, & ſeſſio continuetur. Temere vero & frivole recuſans arbitrarie punitur, juramento perhorreſcentiæ non admiſſo. Proceſſus ſeu judicium inquiſitorium vel ad accuſationem 14.
& delationem cujuscunque, vel Fiſcalis, etiam ex officio inſtituitur.

Part. I cap. 1 agitur de præparatoriis judicii, & foro competenti, in ſpecie de citatione (ne quis inauditus luat) in qua cauſa, 16.
dies & locus judicii habendi accurate deſignari debent. *Cap. 2* ſalvi conductus ſive ſecuritatis literæ pro tuto ac libero itu 17.
& reditu, ſi fugitivus aliquis accuſatus deprehendi nequeat, etiam offerri debent, nequis metu vexæ, vel infenſi alicujus præpotentis, etiam innocens ad hoſtes tranſeat; & inviolabiliter ſervari, adeo, ut ſi quis munitum his literis offenderit, capite plectatur, niſi forſan poſtea delictum aliquod commiſerit, eoq; novam juſtæ offenſionis cauſam extra caſum in literis ſ. c. expreſſum dederit. Quod ne fiat, ſclopetis glande refertis uti non debet. *Cap. 3* de Actore & libello & *Cap. 4* de Reo agitur, eiusque defenſione, exceptione & reſponſione ad libellum. In cauſis difficilioribus 22.
& magni momenti ſcripturæ quidem admittuntur, ſed ultra libellum, exceptionem, replicam & duplicam eas extendere inhibetur. In aliis cauſis regulariter ſemel tantum & peremptorie in jure reſpondere reo licet, & ſine dilatione ſtatim ad ſententiam proceditur. Abbreviatio verò litium in omni fere pagina iniungitur. *Cap. 5* de Advocatis ſive Procuratoribus (*Polnomatschniki*) 23.
inſcribitur. In negotiis civilibus & pecuniariis, quando partes per morbum, vel alia legalia impedimenta comparere nequeunt, Advocato poſtulare, vel defenſori agere permittitur, hac tamen lege, ut tantum merita cauſæ quam breviſſime & perſpicue ſine multi-

loquen-

lequentia & ſubtilivafritie exponant, nec ſolitis rabularum artibus cauſam prolongent, vel doloſe intricatiorem reddant, & judicio moleſtiam inferant. In Proceſſu inquiſitorio reus ipſe comparere debet. *Cap.* 6 de litis conteſtatione tractat. Part. II C. 1de Probationibus cavet. Monetur actor, ne temere in jus aliquem vocet. Si enim allegata legitimis modis per confeſſionem rei, vel teſtes, ſcripturasve legitime non probaverit, etſi jurejurando ea corroborare voluerit, reus abſolvitur. Quodſi vero accuſatione ſua atrocem injuriam intulerit, reus vero innocentiam docuerit, actor ſecundum ſtatuta Moſcovitica *Biszeſtiam* pro reparatione injuriæ ſolvat, vel in corpore luat. Eſt autem *Biszeſtia* ſumma ſalarii, quam a Czarea Majeſtate, quamdiu injuriatus in officio eſt, unquam accepit. Si jurejurando controverſiam dirimi poſſe, judices cenſuerint, reo id potius, quam actori deferendum. Cap. 2 exigitur, ut confeſſio rei ſit legalis, ad rem faciens, concludens, voluntaria & judicialis. Cap. 3 de habilitate, examine & reprobatione *teſtium* & de reliquis, quæ illuc ſpectant, fuſius agitur. Inhabiles vero cenſentur 1 perjuri, 2 banniti, & quos excommunicatos vocant. Solent enim in Eccleſia Græca etiam ob crimen perduellionis vel ſimile auffugientes a ſacerdotibus lecto vibratoque publice anathemate e cœtu Chriſtianorum excludi, & paganis, quos Muſelmannos vel corrupte *Buſurmannos* Rutheni vocant, annumerari, prout perduellem Mazeppam transfugam una cum aſſeclis in templis Coſaccorum Zaporovienſium ad reliquos terrendos diris devotum & Satanæ quoad corpus & animam traditum (prout ſunt concepta verba) fuiſſe meminimus. Removentur 3, qui S. Synaxi non ſunt uſi, quod tales ad juramentum admitti nequeant; 4 relegati, quibus ob delictum naſus & aures amputati, ſtigma genæ inuſtum &c. 5 prædones, fures, adulteri, & hi quidem addita ratione, quod jusjurandum de fide conjugali ſervanda DEo præſtitum, quando benedictio ſacerdotalis in facie Eccleſiæ impertitur, ſemel violaverint, adeoque in aliis cauſis etiam perjuraturi præſumantur; 6 inimici etiam reconciliati ob præſumtum rancorem; 7 cognati, affines, domeſtici, aſt hi tamen in ſubſidium admittuntur, ſi alii teſtes non adſint, vel actui, de quo diſputatur, præſentes fuerint; 8 quos pecuniam pro teſtamento ferendo accepiſſe conſtat, (ſumtus tamen itineris & ob operas ceſſantes

Pag. 25. P. II. 27.

28.

31.

ceſſantes a parte aliunde teſtes evocante, moderamine & arbitrio judicis prævio, recte exiguntur) 9 qui 15 ætatis annum nondum impleverunt; 10 in propria cauſa vel per indirectum ad teſtes ſpectante; 11 auriti, ex relatione aliorum. Exceptiones contra teſtes ante depoſitionem eorum allegari & præfixo tempore probari debent, niſi pars juraverit, quod poſtea demum innotuerint. Etſi teſtimonii perhibitio cenſeatur quaſi officium publicum, ac proinde quilibet ad id cogi poſſit, prævio tamen juramento teſtium, quod ante depoſitionem (quæ ſemotis partibus in judicio poſt exceptionem rei fieri debet) etſi vel ipſe Archiepiſcopus (quæ eſt prima dignitas eccleſiaſtica, poſtquam Patriarchalis ſub moderno Imperatore in Ruſſia ceſſavit) teſtis fuerit, vel ſtatim poſt illam in judicio præſentibus partibus præſtandum eſt, attamen partes cum conſenſu judicis juramentum illud teſti remittere poſſunt. Ad ædes vero Virorum illuſtrium, nobiliorum matronarum, ægrotorum &c. ex prætorio deputati cum ſcriba mitti ſolent, juratam teſtimonii perhibitionem exigendi cauſa. Si teſtis ceterum habilis vel longe diſceſſurus vel admodum infirmus ſit, in perpetuam rei memoriam depoſitio ejus etiam extra judicium facta fidem invenit. Pro evocandis exteris atque abſentibus aliis teſtibus judex dilationem roganti dabit, vel judicium, ſub quo forum abſentes ſortiuntur, requiret, ut teſtimonium legale ad interrogata transmittatur, cui pars vel procurator ejus ad videndum jurare adeſſe poteſt. Teſtimonium ſcripto comprehenſum niſi religione jurisjurandi firmatum ſit, plenam fidem non habet. Teſti maſculo, nobili, docto, Eccleſiaſtico major fides habetur, quam fœminæ, plebejo, rudi, ſeculari, reliqua prudentiæ & arbitrio judicis committuntur. Perjuro, peracta pœnitentia Eccleſiaſtica, bini digiti, quibus erectis Deum teſtem invocavit, amputantur, & vel in exilium ad operas publicas vel triremes condemnatur. Qui ad falſum teſtimonium perhibendum aliquem induxerit, publicis in Eccleſia precibus Deum perjurii vindicem expiabit, & vel pœna pecuniaria vel corporali afficietur. C. IV agitur de ſcripturis vel publicis, uti judicialibus cataſtris &c. vel privatis & extra judicialibus, chirographo, apocha, deque horum agnitione & obligatione. Mercatorum libris & rationibus, quia ſemiplene tantum probant,

Pag. 37.

41.

45.

bant, juramento ſuppletorio accedente plena fides habeatur, ſi mercator cetera vir probus, nomina activa & paſſiva cum die &
Pag. 48. conſulerit conſignaverit. C.V juramentum purgatorium reo deficientibus aliis probationibus evidentibus, in duplici inprimis caſu, nempe (1) ſi uno teſte fide digno innocentiam probaverit (2) ſi fama publica & indicia, quorum 7 recenſentur, ad torturam non ſufficientia, contra eum militent, ſique omni adhibita diligentia judices veritatem indagare nequeant, in ſubſidium non temere, ſed cauto diſcrimine & arbitrio adhibito, deferri poteſt, ſi vero reus jurejurando ſe purgare noluerit, præſumtio quidem contra eum eſt, attamen pro ratione cauſæ extraordinarie punitur; ad juramentum vero ſuppletorium actor in Criminalibus non admittitur, addita quidem benigna aliqua & generali ad hanc doctrinam ſpectanti ratione, etſi publicè intereſt, delicta non manere impunita, tamen ſatius eſſe, in dubio X reos per probationes luce meridiana clariores non legitime convictos abſolvere, & DEO vindictam & manifeſtationem facti committere, quam innocentem unum, etſi indiciis quibusdam gravatum ad torturam vel ſupplicium condemnare,
53. vel perjuriis anſam dare. C. VI de inquiſitione per tormenta & torturam disquiritur. Nimirum ut denique ad quæſtiones, medium ad inveſtigandam eruendamque veritatem, etſi fallax, tamen neceſſarium, procedatur, non ſufficit, ſi inquiſitus coram Concilio ad interrogatoria titubet, palleſcat aut perturbetur, (quamvis hæc ſuſpicionem augeant, & conſiderari debeant,) ſed requiritur (1) ut exſtet corpus delicti, (ſe ipſum accuſans & perire volens non auditur,) ut (2) indicia adſint ſufficientia & ſaltem vero ſimilia v. g. ſi duo teſtes (unus non ſufficit) viderint inquiſitum cum telo vel armis clandeſtinis in loco, quo homicidium commiſſum, etſi eum in flagranti delicto non deprehenderint. Quodſi Judex non conſiderata quantitate delicti, tum ipſa indole rei, qualitate corporis & complexionis ejus, vel dolo malo ac data opera ex odio inquiſiti corpus deſtrui ſinat, ut mors inde ſubſequatur, & gradus torturæ ſolitumque vel præſcriptum moderamen exceſſerit, pro ratione culpæ ab officio removeri, vel pœna pecuniaria, etiam capitali affici poteſt. Si vero nulla culpa judicis appareat, mors inquiſiti, cui rigoroſa quæſtio cauſam dedit, Nemeſi committatur, vel

fato

fato imputetur. Si plures adſint complices, & ejusdem delicti rei, ſive participes, ſequior, debilior & timidior ſexus vel ætas, veluti juniores fœminæ ante robuſtiores & pertinaciores quæſtioni ſubmittendi, regulariter tantum ſemel, niſi (1) novis indiciis gravati fuerint, (2) niſi poſt torturam (quando poſt aliquot dies doloribus ſedatis vel ceſſantibus a fidiculis & laqueis liberi in prætorio denuo examinantur) confeſſionem ſemel factam revocaverint, cauſantes ſe impatientia & duritie tormentorum confeſſos & mentitos eſſe, tertium torturæ ſubmittantur, ſi confeſſi nihil fuerint, abſolvantur, datis fidejuſſoribus de judicio ſiſti, ubi alia indicia vel probationes contra illos emerſerint, & præſtito juramento urphedæ. Alii tanquam complices vel ſceleris participes inter tormenta delati incarcerari, examinari, non tamen ſtatim torqueri poſſunt, prout etiam illuſtres nobiles, ſenes, gravidæ ante partum, impuberes, niſi ſint criminis Majeſtatis ſeu homicidii rei, vel aperte ſuſpecti, ad explorandos cognoſcendosque inprimis ſceleris reos. Part. 3 C. 1 de ſententia ſermo inituitur, quæ per majora collectis a primo ad ultimum usque aſſeſſorem ſuffragiis ferenda eſt. Si paria fuerint, in utramque partem diſſona, apud Præſidem votum deciſivum eſt. Ante publicationem vero cuilibet Aſſeſſori votum mutare fas eſto. Sententia in ſcripturam a prætore ſecundum libellum actoris & exceptionem rei, argumentis & rationibus utriusque annexis, redacta, judicibus in auditorio ſedentibus a ſcriba partibus diſerte prælegatur, quæ ſi cauſas, quare huic ſententiæ acquieſcere non poſſint, ſupremo belli Duci vel Primati expoſuerint, aliquando benignitatis ratione ita ſuadente, ad generale concilium ſeu officium militare provocare, & vitia vel iniquitates ſententiæ breviter docere poſſunt, quibus enumerandis *Cap. ult. de Nullitatibus ſententiæ* occupatur. Appellatione frivole interpoſita ſententia inferioris Judicis executioni datur. Quia vero ſæpius damnati, ne ſupplicio afficiantur, jactant, ſe, quod Principi referant, ſalutis ipſius cauſa, habere, olim quidem dilata pœna ad eum remittebantur, nunc autem cum non raro deprehenſum ſit, eos eludendæ pœnæ cauſa ad hæc recurrentes, minoris momenti res revelaſſe, aut inſontes ſuſpectos reddidiſſe, ſupremus Judex, fiſcalis vel primicerius, adhibita ſeveriori correctione & compulſatione inquirere jubetur, quid ſit, quod allegare ſupremæ Majeſtati velint

quidque habeant, quo ſaluti ejus conſulant, id bona fide ſe ipſi relaturum ſpondens, nec propterea executio pœnæ differenda vel lenienda, quod perperam tamdiu rem magni licet momenti reticuerint, niſi pro ratione negotii forſan confrontatione vel quæſtione opus fuerit. Excerpta hæc etſi peritis Juris minime ignota putemus, tamen cum B. L. communicare voluimus, ut conſtet, juſtitiam apud Ruſſos, inprimis ſub moderno ſapientiſſimo Cæſare, minime exulare, nec jura plane inter arma aliaque negotia ſilere. Ceterum etſi *LL.* ex *ff. C. Nov.* allegatas non videamus, tamen ex analogia & ratione juris Romani & Saxonici hanc formam proceſſus compilatam eſſe, ac a legibus in *Ilfloſgenie* comprehenſis in pluribus diſcedere, ſi vel maxime frontiſpicium libelli non indicaret, Juris peritus quilibet facile videt. Jus vero Civ. Romanum integrum introductum iri, prout J. Vinc. Gravina JCtus Rom. in Oratione *ad Petrum I Cæſarem de LL. Romanis in imperium inducendis*, ſuaſit, nondum intelleximus.

C. A. H. MEDITATIO DE MODO, QUO VIſuri ſumus Deum in vita æterna.

1. CUm *viſio* cognitionis quoddam genus ſit, & in ſacris Literis perfectiſſimam deſcribat cognitionem, merito cetera quoque cognitionis genera hic perluſtramus, ne aliud cognitionis genus improvide arripiamus pro alio. Eſt autem cognitio ſubſtantiarum duplex, *intuitiva* & *abſtractiva*. Hæc dicitur, cum ex effectibus concipimus ideas de ſubſtantiæ alicuius natura & qualitatibus. Ipſius animæ noſtræ nonniſi abſtractivam habemus cognitionem, ex effectibus ejus iudicantes, eam eſſe ſubſtantiam materiæ expertem ac facultate cognoſcendi, amandi, averſandive, & membra corporis movendi præditam. Pari modo quam DEI cognitionem hac in vita habemus, abſtractiva eſt, hoc eſt, cum ex exiſtentia ſubſtantiarum, quæ originem ſuam aliunde acceperint neceſſe eſt, tum ex artificioſa earum ſtructura & maxime concinno ad humanique generis felicitatem compoſito omnium rerum ordine, convincitur animus noſter, eſſe aliquam oportere ſubſtantiam, quæ

quæ & nullam ſui cauſam agnoſcat, & omnes ceteras ſubſtantias produxerit, quæque æterna ſit, ſumma & ſapientia & potentia & benignitate prædita, eademque curam gerens rerum creatarum omnium, inprimisque hominum. *Quidenim* (utor verbis Minuciani illius Octavii *cap. XVII, 5*) *poteſt eſſe tam apertum, tam confeſſum tamque perſpicuum, cum oculos in cœlum ſuſtuleris, & quæ ſunt infra circaque luſtraveris, quam eſſe aliquod Numen præſtantiſſimæ mentis, quo omnis natura inſpiretur, moveatur, alatur, gubernetur?* Hinc *abſtractiva* illa cognitio a Jo. Lockio præclari operis *de intellectu humano Libro IV Cap. II §. 2 & Cap. III §. 21* commode vocatur *demonſtrativa*.

II. *Intuitiva* cognitio dicitur, cum ſubſtantiam aliquam cognoſcimus immediate & ipſam in individuo, ſive, cum ſubſtantiæ alicujus exiſtentiam particularem mens noſtra percipit, ut fere loquar cum Lockio *Cap. II §. 14 p. 699*. Sic Dei cognitio intuitiva, deſcribente Baiero *Comp. Theol. poſ. P. I Cap. VI §. 3* in eo conſiſtit, ut *Deum actu ſimplici & uno absque ſpecie intelligibili cognoſcamus*. Unde exiſtimo, hancce cognitionem non incommode vocari poſſe *individualem*. Lockius cognitionem hanc non ſolum *intuitivam* vocat *Lib. 4 Cap. 2 §. 14* (quanquam, cum *cognitionem intuitivam* etiam alio ſenſu adhibet *eodem §.* item. *§. 1 & Cap. 3 §. 21*, meo quidem judicio minus conſulte facit, aliam notionem ſubſiſtuens receptæ, & idearum confuſioni occaſionem præbens,) ſed etiam *ſenſitivam*. Verum accuratius fecerimus, ſi dicamus, *intuitivam* cognitionem non unius eſſe generis, ſed vel *ſenſitivam* ſive *ſenſualem*, vel *ſpiritualem* ſive *mentalem*. *Senſitiva* eſt, cum ope ſenſus oculorum corporis ſubſtantiam aliquam immediate percipimus. Hoc modo Solem corporaque in orbe reliqua *intuitive* cognoſcimus, illæque ſubſtantiæ per oculos immediate feriunt intellectum noſtrum. Hancce ſenſitivam cognitionem ſive viſionem ſenſualem in hac vita communem cum beſtiis habemus: in beatiſſimo illo futuræ vitæ ſtatu cognitio ſive viſio ſpiritualis communis nobis erit cum angelis. Dico *viſionem ſpiritualem*. Nam *cognitio ſpiritualis* latius patet & *abſtractivam* complectitur, de qua jam non eſt ſermo.

III. *Viſio* illa *ſpiritualis* eſt, qua Spiritus immediate cognoſcunt,

id eſt, ſuo modo vident ſubſtantias & ſpirituales & corporeas. Hoc modo Deus, in quo nihil eſt corporei, videt atque cognoſcit res ab ſe creatas univerſas. Hinc Autor Pſalmi XCIV, 9: *An*, inquit, *creator oculi non videat ipſe?* Enimvero quæ ſit viſionis hujus ſive perceptionis ratio, nemo noſtrum intelligit, cum mens noſtra in vitæ præſentis decurſu immediate & in individuo nullam cognoſcat ſubſtantiam, niſi corpoream, adeoque ſpiritualis illius viſionis ideam habeat nullam, æque ut homo inde a nativitate cœcus nullam viſionis ſenſitivæ ideam habet. Quare abſit, ut ſpiritualem illam viſionem negemus propterea, quod illius ideam informare in mente non poſſimus. Qui enim ita rationes ſubducit, ſimilem profecto ſe præbet homini a nativitate cœco, qui, quoniam ipſe percipere oculis nihil poteſt, nec ſibi mente repræſentare animi affectionem eorum, qui Solis vel alius corporis pulcritudinem vident, non dubitat ſenſum viſus plane negare. Omnino enim dari ſpiritualem ejusmodi viſionem, licet ea deſtituatur in hac vita mens noſtra, facile demonſtrabimus. Primo enim Deus haud dubie nos ceterasque, quas creavit, ſubſtantias æque clare, imo infinitis modis clarius cognoſcit, quam quidem nosmet ipſi corpora. Cum autem oculis corporeis Deus non utatur, inde manifeſto conficitur, eſſe in Deo tanquam ſpiritu facultatem nobis adhuc incognitam, qua intuitive & individualiter ſubſtantias cognoſcat. Sic & ſtatuendum eſt, angelos non minus ſe invicem cognoſcere & videre, quam homo videt hominem, idque, quod nos oculorum adminiculo facimus, per ſe immediate facere: niſi forte dicere quispiam auſit, angelos hominibus multo minus eſſe perfectos. At hoc nemo dixerit, qui ex Scriptura S. didicit, angelos hominibus longe eſſe nobiliores, (Hebr. I, 4, 6, 13) nosque in futura demum vita futuros ἰσαγγέλους; Matth. XXII, 30.

IV. Hinc quemadmodum hac in vita miniſtrantibus oculis corporis cernimus corpora, ſic mens noſtra olim oculis propriis utetur ad videndum Deum. Anima quippe noſtra eſt ſpiritus, æque ut angeli. Ergo etiam ut ſpiritus videbit Deum, facta ἰσάγγελος, adeoque ſpirituali viſione Deum cognoſcet. Nec enim abſtractive ſolum, ſed & intuitive Deum cognoſci ab angelis, utique aſſentiendum eſt Bechmanno *Theol. polem. p. 370 §. 8.* Intuitivam illam

Dei

Dei viſionem, qua mens noſtra nunc caret, olim gaudebit, ſummus ille, imo unus magiſter noſter modo vocat ſimpliciter ὄπτεσθαι τὸν Θεὸν, *Matth. V, 8*; modo βλέπειν τὸ πρόσωπον τῦ Θεῦ, *Matth. XVIII, 10*; modo ἑρᾶν τὸ εἶδος τῦ Θεῦ, *Ioan. V, 37*, hoc eſt, ut ex collatione *Luc. IX, 29* patet, *videri Deum in individuo*. Ipſius diſcipulus Joannes alio loco (*1 Ioan. III, 2*) vocat ὄψεσθαι τὸν Θεὸν, καθώς ἐστιν, alio (*Apoc. XXII, 4*) ὄψεσθαι τὸ πρόσωπον τῦ Θεῦ. Quæ ſane de cognitione Dei abſtractiva capi haudquaquam poſſunt. Namque cum hac utique gaudeamus in præſenti vita, illa viſione Dei, de qua locis notatis ſermo eſt, mortalium gaudet nemo quisquam, teſte ipſomet Chriſto *Ioan. VI, 46*: id quod repetitur ab Apoſtolis ipſius, Paulo *1 Tim. VI, 16*, ac Ioanne *1 Ioan. IV, 12*. Ex quo conficitur plane, innui locis ſupra recitatis cognitionem Dei intuitivam a ſola anima faciendam more angelorum. Adeoq; ſacris literis ducibus, diſtingui oportet inter γινώσκειν τὸν Θεὸν, quod nobis licet jam hac in vita, *Ioan. XVII, 3*, & inter βλέπειν, ὁρᾶν, ὄψεσθαι τὸν Θεὸν, quod demum in futura beatitudine nobis concedetur. Hanc Dei viſionem ſpiritualem jam olim agnovit Moſes, prophetarum princeps, ut colligimus ex precibus ejus *Exodi XXXIII, 18*, quibus a Deo petiit, *ut ſe ipſi conſpiciendum præberet*. Enimvero tam imperitus neutiquam fuit Moſes, ut Deum ſtatueret corporeum: quam quidem ſimplicitatem ei tribuere haud veriti ſunt *Spinoza* & *Clericus*, merito caſtigati ab Herm. Witſio *Miſc. Sacr. lib. I Cap. 5 §. 11 & 20*. Certe Moſes ipſe divino juſſu docuit ſuos *Exodi XX, 4*, nihil eſſe in toto orbe, quod quandam cum Deo viſibilem habeat ſimilitudinem, adeoque in Deo nihil eſſe corporei. Quid ergo? ſcilicet Moſes, uti oculis ſuis vidit corpora a Deo creata, ſic mente videre geſtiit ſubſtantiam Dei intuitione ſpirituali, illa ipſa, qua angeli *vident faciem Dei, Matth. XVIII, 10*. Atque hanc in ſententiam Moſis preces interpretatur ſanctiſſimus ille ac diſertiſſimus Hipponenſium Antiſtes *Epiſt. 112 Cap. 8, 11 & 13*. Imo clariſſimus ille Judæorum magiſter, Moſes Maimonides, (id quod in Judæo mirum,) hanc voti Moſaici ſummam fuiſſe, perſpexit, cujus verba recitavit Witſius in præfatione laudati operis §. 6.

V. Non alienum fuerit, producere conſentientia Theologorum, tum veterum, tum recentiorum in eandem ſententiam ſuffragia.

Ex

Ex veteribus ſufficiat Auguſtinus, eoque magis, quod maximum quemque doctorem eadem in ſententia eſſe teſtatur. *Magni quidam viri*, inquit *Epiſt. 111 p. 519* (edit. Eraſmi,) *& in ſcripturis ſanctis doctiſſimi, qui plurimum eccleſiam & ſtudia fidelium ſuis literis adiuverunt, dixerunt, inviſibilem Deum inviſibiliter videri, hoc eſt, per eam naturam, quæ in nobis quoque inviſibilis eſt, mente ſcilicet.* At ne forte putes, Auguſtinum loqui de cognitione mentis abſtractiva, paulo ante *pag. 518* ſcripſerat ita: *Menti olim conceſſum erit Deum videre, quod nunc ei conceſſum non eſt.* Atqui NUNC jam menti conceſſum eſt, videre Deum cognitione abſtractiva. Quare neceſſe eſt, Auguſtinum loqui de viſione Dei intuitiva ſpirituali. Id quod clarius apparet ex *Epiſt. 112 C. 21 p. 547 ſq.* ubi ſic ſcribit: *Procul dubio non ſunt audiendi, qui viſionem nolunt tribuere niſi corporibus.* Ceterum quinam ſint *magni illi viri*, ad quorum provocat teſtimonia, ex eadem liquet epiſtola, in qua, paucis interjectis, producit Ambroſium, Hieronymum, Athanaſium & Gregorium Nazianzenum. Idem Auguſtinus *Epiſt. 6 p. 28* ita ſcribit: *Erit tunc mens idonea, quæ illam lucem* (Deum) *videat, quod nunc videndum non eſt. Hoc autem oculus corporis videre neque nunc poteſt, neque tunc poterit.* Ibidem paulo poſt negans, *Deum oculis corporeis poſſe conſpici*, docet, *mentibus piorum* in vita æterna *non fore inviſibilem.* Huc fortaſſe pertinet dictum Antonii monachi ad Didymum Alexandrinum, inde a puero luminibus orbatum, apud Socratem *Hiſt. eccl. Lib. IV Cap. 25: Nihil te moveat, o Didyme, jactura corporalium oculorum. Ejusmodi enim oculis orbatus es, quibus & muſca & culices videre poſſunt. Gaude potius, quod illos habeas oculos, quibus angeli vident, quibus Deus cernitur & lux ejus comprehenditur.* Qua eadem hiſtoria narrata Hieronymus *T. 1 Epiſt. 23*, quæ eſt ad Caſtrutium, hæc ſubjicit: *Ex quo pervides, quod multo melius ſit ſpiritu videre, quam carne.* Ex recentioribus Lutherus noſter *Comment. in Geneſin f. 98* ita loquitur: *Mortui in fide virtute ſuperna ita in noviſſimo die illuminabuntur, ut etiam majeſtatem ipſam viſuri ſint.* Henr. Mullerus im himmliſchen Liebes-Kuß *Cap. XXV p. 791*: Wir werden Gott (im ewigen Leben) nicht ſehen mit äuſerlichen Leibes-ſondern mit innerlichen Seelen-Augen. Addo ex Reformatis Witſium, qui idem agnoſcit in ſua *Oeconomia fœderum*

Lib. III cap. 14 §. 29 & 30, nos ſcribens, *Deum viſuros eſſe ἀμέσως, immediate, in ſe ipſo, eo quidem modo, quem non aſſequamur*, ſcilicet in hac vita. Scilicet *oculus non vidit, quæ ſe amantibus Deus præparavit, 1 Cor. II, 9.* Unde Theologi rectiſſime ſentiunt, ad Deum intuitive cognoſcendum opus eſſe lumine gloriæ, id eſt, viribus ſupernaturalibus, quas Deus largiatur & quaſi infundat mentibus. Ceterum recentiores Theologi *viſionem* illam appellant communiter *beatificam*, item *cognitionem comprehenſivam*, (Baierus *Comp. Theol. poſ. P. 1 cap. 6 §. 3 not. e*) *viſionem intuitivam & abſolutam*, (Lutherus *Comm. in Geneſ. f. 3, b*) *viſionem immediatam & epopticam*. (Danhauerus in *Hodoſophia p. 985.*)

VI. Hæc, quam hactenus perſecuti ſumus, doctrina pleniſſima eſt conſolationis, & merito itentidem reputanda in animo, ut felicitatis æternæ excitato deſiderio, langueſcat amor vanarum caducarumque rerum, &, fide duce, caritate comite, a nobis & in nobis fiat voluntas Domini.

VII. Ceterum qui de illa ſpirituali Dei viſione non ſatis cogitarunt, id eſt, ab abſtractiva Dei cognitione illam non diſcreverunt, iis in mentem venit ſtatuere, fore, ut illic Deum cernamus oculis corporis. Scilicet multum defore putarunt felicitatis perfectioni, ſi abſtractiva ſolum cognitione Dei, licet perfectiori, quam ea eſt, qua nunc gaudemus, contentos eſſe nos oporteret. Id quod ipſis ambabus, quod ajunt, manibus largior. Sed hinc non ſequitur, fore viſionem Dei per oculos, ſed poteſt fieri & fiet per mentem immediate, ut abunde demonſtratum puto. Quemadmodum igitur, qui *aurium* ſenſu præditi ſunt, nullo tenentur deſiderio *videndi* vocem canentis vel dulciſſimam campanarum muſicarum modulationem: & qui ſatis acute *videt*, non geſtit *odorari* variegatos florum colores; ſic, qui perſuaſum mecum habet, fore, ut olim mente immediate intueatur Deum, ſpiritus ſpiritum, is facile ex animo ſuo dimittet deſiderium oculis eum corporeis uſurpandi. Ceterum non facile ſolum, admoniti a Jo. Gerhardo, ferimus eos, qui hactenus a judicio diſident noſtro, verum etiam ſuademus, ut vulgus, quod, quæ non capit, non credit, in illa de oculari Dei viſione ſententia ne temere turbetur. Non enim omnium ſtomachi cibum ferunt ſolidiorem, ſed plerisque lacte paſci convenit. Deus

ipſemet, cui nihil in hoc orbe ſimile fingi poteſt, (*Exodi XX, 4*) tamen paterna συγκαταβάσει ſeſe repræſentavit Danieli ſub perſona hominis ſumma ſenectute, & Joanni Apoſtolo ſub aliis ſuæ majeſtatis ſymbolis.

VIII. Nos, quibus jam cum eruditis & emunctioris naris hominibus ſermo eſt, paucis memorabimus ceteras eorum rationes, qui ocularem Dei viſionem negant. Sunt autem ii non poſtremæ caveæ aut ſuſpectæ doctrinæ viri, ſed inter doctores eccleſiæ principes. Suffragia Chryſoſtomi, Tertulliani, Gregorii Nazianzeni, Hilarii, Baſilii, Irenæi, Auguſtini, Ambroſii, Hieronymi adducit Baierus *loc. cit. §. 18 p. 393.* Videantur maxime tres Auguſtini epiſtolæ, (*T. II Operum Epiſt. VI, CXI & CXII,*) hoc argumentum copioſe perſequentes. Ex recentioribus idem Baierus producit Gerhardum, Balduinum, Hunnium, Chytræum §. 2 & §. 18 iterum Balduinum, Muſæum & Cundiſium. Addo ex vetuſtioribus Lupum Ferrarienſem *Epiſt. 30 p. 58 ſqq.* & quos in annotatione ad iſtum *p. 380* nominat Baluzius: ex recentioribus Albertum Grauerum, (*Quæſt. illuſtr. Theol. Diſp. I quæſt. VI §. 8 p. 31.*) Joach. Hildebrandum, (in *corollario ultimo, Diſputationi* de Donatione Conſtantini *adjecto*,) Fridem. Bechmannum. (*Theol. polem. P. I Loc. VII quæſt. III p. 416 ſqq.*) Rem in medio reliquit, neutrumque definit Danhauerus in *Hodoſophia* ſua *p. 986*, itemque in *Lacte catechetico P. VI p. 604 ſq.* Idem Gerhardus fecit, deciſionem hujus quæſtionis reſervandam ratus vitæ æternæ. Omnium optime Cundiſius ſcribit *not. ad* Hutteri Com. Theol. *Loc. XXIV quæſt. 3 p. 1386: Utraque ſententia magnos habet autores & ſuis nititur fundamentis. Eligat judicioſus lector illam aſſertionem, quæ* (ipſius judicio) *ad oracula ſacra quam proxime accedit.*

IX. Audiamus igitur Lectorisque judicio permittamus illorum rationes. Primo, inquiunt, in ſacro Codice nusquam dicitur, nos corporis oculis Deum viſuros eſſe. Merito igitur ſe putant repudiare opinionem ἀγραφον. Deinde homines in vita illa beata erunt ἰσάγγελοι *Matth. XXII, 30.* Atqui angeli, *faciem Dei videntes* (*Matth. XVIII, 10*) non utuntur oculis corporeis. Ergo & beati Deum videbunt aliis, quam corporis, oculis. Tandem Deus, inquiunt, eſt ſpiritus, adeoque per naturam oculis corporis inviſibilis.

Res

Res incorporalis corporalibus oculis non videtur, uti Hieron. *breviter & veraciter definivit*, judice Auguſtino *Ep. 112 C. 23 p. 550*. Deum igitur videre oculis eſt ex illorum ſententia nihil aliud, quam *videre ſubſtantiam inviſibilem*: id quod ἄτοπον, ſive ut Hildebrandus *loc. cit.* loquitur, ἐκ τῶν ἀδυνάτων. Quod ſi quis dicat, Deum facultatem videndi in oculis evehere ad eum gradum poſſe, ut & ſpiritui cognoſcendo ſufficiant, ei jam olim reſpondit Auguſtinus *Epiſt. VI, 29, 30*. Cujus verborum, ut brevitati ſtudeamus, ſententia ſic eſt in his Actis Eruditorum *Supplem. T. IV, p. 117* expreſſa: *Non poteſt Deus materiæ ſuperaddere, quod proprietatibus ipſius eſſentialibus repugnat, cum id contradictionem involvat.*

X. Nihil jam moror quæſtionem illam jam olim agitatam: *an Chriſtus inter homines degens ſuis carneis oculis Patrem viderit?* qua de vide ſis Auguſtinum *Epiſt. 6 p. 29* & *Epiſt. 112 Cap. 22 p. 548* utrobique id negantem. Neutro quidem loco is nominat, quem oppugnat. At poſteaquam Gennadium Maſſilienſem (*lib. de ſcript. eccl. Cap. 87*) contuli cum Auguſtini Epiſtola CXI, didici, contrariam ſententiam libro edito defendiſſe & hinc ab Auguſtino refutatum fuiſſe Epiſcopum quendam Africanum, cui nomen *Servusdei*. Hujus tamen *Servidei* ſententiam non obſcure probat Gennadius, Auguſtino alias quoque (*Lib. cit. Cap. 38*) iniquior: contra Eraſmus in ἐπιγραφῇ memoratæ epiſtolæ, epiſcopum illum cum Anthropomorphitis ſenſiſſe, judicat.

DISSERTATIONES PHILOLOGICAE DE die mundi & rerum omnium natali, complectentes hiſtoriam creationis a Moſe deſcriptam Geneſ. I & II.

Trajecti ad Rhenum, apud Gul. van de Water, 4. Alph. 4 plag. 12.

NAtales mundi deſcripturus Conſultiſſimus & Nobiliſſimus Autor *Guilielmus van der Muylen* primo omnium probat, creationem rerum non ex præexiſtente materia, neque ab æterno, ſed in principio illo, quo omne tempus fluere cœpit, factam eſſe, quod non ſolum ſaniorum Philoſophorum ſuffragiis, ſed idoneis etiam argumentis, & artium inprimis origine probat. Pag. 2. 4. 10. 12.

Pag. 27. Moſen exiſtimat per nomen *Elohim* ſimpliciter voluiſſe ſignificare Deum, adeo ut pluralitas ex hoc loquendi modo nequeat concludi. Mundi vocabulo univerſum hoc σύστημα, cœlo & terra conſtans, contineri putat, confutatque veterum Philoſophorum opinionem, plures ac innumerabiles mundos ſtatuentium. Lunam terræ noſtræ perſimilem eſſe fatetur. Utrum vero animalia dentur in ea, aliisque corporibus cœleſtibus, vix certo affirmari nec negari poſſe cenſet. De Saturno equidem id negari ſatis poſſe propter incredibile frigus, quod ibi ſæviat. Jovem tamen recte conſtitutum eſſe. Apoſtolum Actor. XVII, 13, *genus humanum ex uno ſanguine creatum eſſe*, docentem, loqui putat de talibus hominibus, ut nos ſumus, ejusdem naturæ ac genii, ortum ex Adamo ducentibus, & indigentibus Chriſto Redemptore. Univerſam mundi compagem non per animam, ſed per naturæ leges teneri docet. Niſi animam dicere velimus materiam illam ſubtilem, quæ verſatur in quavis mundi parte, eamque agitat, ciet & movet. Inveſtiganti anni tempus, quo mundus fuerit conditus, credibile videtur, conditum fuiſſe circa æquinoctium vernum, Sole verſante in Ariete, menſe Niſan ſive Martio, quo etiam renovatus redemptusque ſit per Chriſtum mundus, immolato pro nobis vero agno paſchali, ut aditus nobis iterum pateret ad paradiſum cœleſtem. *Spiritum Dei* Gen. I aquis incubantem de Spiritu S. interpretatur. Quemadmodum enim Chriſtus, a quo regeneratum ſit genus humanum, in utero virginis fuerit conceptus obumbratione Spiritus S. ita ex terræ, quaſi virginis incorruptæ, adhuc humida materia totum creatum eſſe orbem, eodem incubante Spiritu. Ante Solem conditum dierum noctiumque diſcrimen factum eſſe ſuſpicatur per motum circularem luminoſi corporis, ſeu maſſæ lucis primigenitæ, immediate ex nihilo a Deo productæ, quod ita circa rudem molem motum, ut acceſſu ſuo diem, receſſu vero noctem induxerit, & 24 horarum ſpatio ad eundem terminum redierit. Unde primus dies naturalis factus tenebris per 24 horas durantibus ante lucem conditam, quæ prima nox fuerit. *Expanſi* nomine in ſua latitudine intelligit totum illud ſpatium, quod a terreſtris globi ſuperficie ad extremum usque cœli adſpectabilis terminum extenſum eſt, & cœlum appellari ſolet, aereum videlicet, non æthereum, quod primo

die

die creatum, & a terra diſtinctum, ac quarto demum die ſideribus
eſt exornatum. Fruſtra de centro totius univerſi, cujus termini Pag. 75.
ignorentur, quæri putat, nec Solem moveri niſi motu optico, qui
in variatione uſus atque adſpectus conſiſtat. Cœli & aſtrorum 76.
cultum antiquiſſimum, & primum idololatriæ objectum eſſe putat. Neque ethnicos ſolum, ſed etiam hæreticos nonnullos, ſigillatim Baſilidianos, Solem tanquam ſupremum Numen coluiſſe. Unde commentitius eorum Deus, cui nomen *Abraxas*, in quo latere 93.
cenſeturPerſarum *Mithras*. Res omnes ex nihilo productas ſano ſenſu æternas dici poſſe opinatur, quatenus nempe quoad materiam 96.
perpetuo manebunt, nec unquam in nihilum ſunt reverſuræ. Mundum enim non penitus interiturum, vel in nihilum abiturum, ſed 98.
renovandum duntaxat, & inſtaurandum eſſe, dictis Scripturæ, & 116.
Patrum ſententiis probat. Lunam magnum luminare dici cenſet 119.
ſermone populari, & ex vulgi præjudiciis orto, nec non ob maxi- 129.
mum quem nobis præſtet uſum, ac operationem ſingularem in hæc
inferiora. Fata hominum rerumque eventus ex aſtris deducen- 159.
dos eſſe negat, deploratque, hodienum inter Chriſtianos inveniri
augures, & ejusmodi cœli conſultos, qui inſpecto themate, ac po- 163.
ſitione Planetarum, vel animadverſo cujusque hominis horoſco-
po, prædicere ſe poſſe fingant Rerum publicarum incrementa, mu-
tationes & interitus, vel ſingulorum hominum fata. Omnem e-
nim Aſtrologiam judiciariam ad decipiendos homines, & lucri fa- 164.
ciendi cauſſa, excogitatam eſſe. Huc refert apparitionem come- 165.
tarum, quos nihil futuri portendere, ſed cœli ornamenta, & ſtellas
eſſe ait perpetuas, ac mundo coævas & ſtato ſuo tempore conſpicuas. 169.
Leviathanem Jobi XL non de balæna, ſed crocodilo exponit cum 188.
Bocharto. Phœnicem dari negat. Idem de Gryphibus, Pegaſo, Ba- 192.
ſiliſco, Draconibus alatis, & ignivomis, Unicornu, Salamandra, 195.
aliisque id genus animantibus prodigioſis ſentit, dubiæ nempe fi-
dei & perincerta eſſe, quæ de iis traduntur, nec ex Scripturis decidi
poſſe. Ita etiam mera figmenta eſſe, quæ de gente pygmea narren- 212.
tur, cum nunquam tales gentes exſtiterint, ſed tantum homines
quidam particulares ita fuerint nuncupati. Verba Geneſ. II, 24.
Vir adhærebit uxori ſuæ, non Moſis, ſed Adami eſſe putat, vel po- 319.
tius Dei, cui Chriſtus illa tribuit Matth. XIX, 5. Et quamvis hoc ef-

fatum Adami nunc habeat vim legis, quod per Adamum dixerit Jehova ſummus legislator, & confirmarit, ſuſpicatur tamen, eo animo ab Adamo non fuiſſe prolatum, ut vim legis haberet. Ut
Pag. 332. matrimonium ſubſiſteret tantum inter duos, marem & fœminam, eſſe juris divini poſitivi, adeoque plures fœminas eodem matrimonii vinculo uni viro conglutinari, & quaſi in unum corpus coaleſcere cum viro potuiſſe, ſi ita placuiſſet ſummo rerum opifici. Uti plura membra uni corpori conglutinata unum tamen totum conſtituunt. Nam fini matrimonii regulari neutiquam repugnare
333. hanc polygamiæ ſpeciem, & proinde egregie falli, qui jure naturali eandem vetitam ſtatuant. Legem enim connubialem Adamo la-
362. tam, mere poſitivam eſſe. Nullam in Scripturis exſtare legem, quæ divortium præcipiat ob adulterium commiſſum. Nam diſceſſionem ab adultera adulterove non tam præcipi, quam permitti, idque dictante ratione naturali.

Diſſertatione *Secunda* multa, quæ in prima obiter attigerat Au-
402. tor, repetuntur, illuſtrantur, & confirmantur. Inprimis autem creationem hominis, & mulieris e coſta viri exſtructionem copioſius deſcribit, depingitque Paradiſum, ſive hortum Eden, in quo tanquam domicilio ſuo vetuſtiſſimos mortalium Deus collocavit. Examinatis doctiſſimorum Virorum de ſitu Paradiſi ſententiis, *Sam.*
501. *Bocharto* ſuffragatur, exiſtimans, poſitum fuiſſe paradiſum ad alveum Tigridi & Euphrati communem ſupra Babylonem, ita ut tamen a ſuperiori horum fluviorum diviſione vel concurſu ad inferiorem, ſed utriusque divergium extenderetur. Unde factum, ut
568. Moſes dicat, ex Hedene quatuor fluviorum capita exiiſſe. Præceptum
579. de non comedendo ex arbore ſcientiæ boni & mali, Protoplaſtis datum, mere poſitivum: pœnam autem & comminationem neceſ-
580. ſitatis moralis fuiſſe docet, inculcatque, *vetuſtiſſimos mortalium, vitæ integros, ſcelerisque puros, nullas leges naturales habuiſſe.* Quod aſſertum in Diſſertatione inaugurali quondam propoſitum, & poſtea peculiari Diſſertatione, quæ ſub finem hujus voluminis comparet, defenſum, ſed a Viro Cl. *Simone Henr. Muſao* impugnatum, prolixe defendit.

HENR.

HENR. BENEDICTI STARKII NOTAE Selectæ Criticæ, Philologicæ, Exegeticæ in loca dubia ac difficiliora Pentateuchi, Joſuæ, Judicum, Samuelis, Regum, Chronicorum, Eſræ & Nehemiæ, ex conſilio fontium imprimis interpunctionis authenticæ.

Lipſiæ, ſumptibus Jo. Frid. Braunii, 1714, 4.
Alph. 1.

UT fidem ſuam publice datam liberaret Clariſſimus Autor, notarum ſelectarum in V. T. dudum promiſſarum nunc primam Partem in libros legales & hiſtoricos luce publica donare voluit. De quo erudito ſcripto ut B. Lectori aliqua ex parte conſtare queat, obſervationes nonnullas, easdemque primum ſaltim Pentateuchi librum illuſtrantes, ex illo adducemus. Poſtquam p. 5. circa locum *Gen. II*, 2 contra clariſſimos Viros, Altingium, Picherellum & Kuhnium oſtendit laudatus Autor, quod infinitivus לעשות non conſtruendus ſit cum remotiori verbo שׁבת, ſed cum propiori ברא, idque etiam ex diſpoſitione accentuum demonſtravit; notat pariter eos, qui verba illa equidem recte conſtruunt, ſed minus commode vertunt: *quod creaverat* Deus *ad perficiendum*; nixi receptiſſima verborum ברא & עשה differentia, qua illud, creare aliquid rude ex nihilo; hoc, rude creatum elaborare, perpolire, perficere & ad certum uſum præparare denotet. Quam vero non eſſe perpetuam, ſed indifferentem & promiſcuum earundem vocum uſum cum Grotio & Druſio aſſerit, adductis eam in rem locis *Gen. I, 26, 27, V, 1, VI, 7, Exod. XXXII, 10, Joſ. XLI, 20, XLV, 13*, inprimis autem *Gen. II, 4*, ubi ἀναντιῤῥήτως עשׂות idem ſignificet, quod ברא in geminatione ſententiæ, permutatis eleganter verbis, verborumque poſitu ex more Scripturæ ſacræ; notionem namque elaborandi, exornandi, perficiendi cœlum & terram plane hinc exulare, quum illud non factum ſit ביום in die, ſed בימים in diebus diſtinctis, adeoque iſtud ביום reſpicere primum diem creationis, cui competat ex hypotheſi τὸ ברא. Proinde verba illa ברא לעשות ita reddit: *quod* Deus *affabre fecerat*, recht meiſterlich gemacht hätte/ ex conſueto Hebraiſmo, juxta quem e duobus verbis ſynonymis inter ſe conjunctis alterum eleganter adverbiaſcit.

Qualis

Qualis conſtructio occurrit in *Kobeleth II, 11* לעשות שעמלתי quem (laborem) *laboravi faciendo*, id eſt, laborioſe ſeu moleſte feci. Ad Capitis ejusdem *verſ. 18* vocis dubiæ כנגדו naturam curatius ſignificantiusque expreſſiſſe judicat Ludovicum de Dieu ad h. l. & Albertum Schultens in animadv. Phil. & Crit. p. 1 ſqq. reddentes illam, *ſecundum anteriora ejus*, id eſt, quod anterioribus ejus reſpondeat, ut uſus matrimonii reſpiciatur, ſignificatu iſto ex Targum Jonathanis & Arabiſmo inſuper confirmato; atque notat huc quoque reſpexiſſe Adamum, ſequentibus uſum verbis: mulier, *quam poſuiſti mecum*, die du mir beygelegt haſt / dedit mihi &c. *Cap. III, 12.* In *Cap. III, 14* pœnam dictari non ſerpenti naturali, ſed uni & ſoli ἐνεργεμένῳ vel potius & convenientius perſonato & larvato, ſeu, diabolo, vere omni beſtia agri callidiori, adeoque non demum verſu 15 quippe cum illo per unum אמר & copulam ו arcte connexo, cum viris quibusdam doctiſſimis omnino ſtatuendum arbitratur. Hinc verba על-גחנך תלך ita transfert: *ſuper depreſſum ſeu incurvatum tuum* (vi radicis Chaldaicæ גחן) *incedes*: ſcilicet (α) *quoad ſtatum*, & (β) *quoad intellectum atque voluntatem*; & notat phraſin *pulverem edere*, nec non *pulverem lingere*, plus dicere, intenſioremque afflictionum gradum importare, quam illas, *ponere os ſuum in pulvere, inclinari ad pulverem, deſcendere in pulverem, jacere in pulvere*; ſpeciatim impiorum eccleſiæ hoſtium totalem cladem, ruinam, extremamque ignominiam: itaque & ipſius Diaboli ad triumphatoris Chriſti pedes proſtrati, *Col. II, 15* pœnam infernalem graphice depingi. Quod ulterius deducit, ut ita prior phraſis pœnam damni, hæc pœnam ſenſus deſignet. Verba *Verſ. 22: Ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis*, non exponit diſtributive, ut communiter fieri ſolet, quoniam ſic dictum fuiſſet כאיש ממנו ſicut quilibet ex nobis, vel ſimplicius כמונו ſicut nos, ſed partitive, hac quidem cum verſu præcedente, quem etiam illuſtravit, inſtituta connexione: Adamo ita victimæ cæſæ pelle veſtito, ac typice circumferente mortem Chriſti ſuo corpore & corde, ſimulque in ipſa ejus morte omnem vitam, (coll. v, 15) juſtitiam & ſanctitatem, hinc Deus Pater ad reliquas Deitatis perſonas cum ſingulari quadam Εὐδοκίᾳ dicebat: *ecce Adam factus eſt ſicut* UNUS EX NOBIS, ſicut Filius meus unigenitus, Meſſias, Adamus ſecundus,

et

ut in plenitudine temporis moriturus, & ut princeps vitæ triumphaturus, *sciendo* (*ita ut sciat*) *omnia*, omne consilium Dei de sua salute, usque dum plena imaginis nostræ in altera vita restauratione ad cognitionem a facie ad faciem eveniatur. Hac expositione admissa dicit exspirare omnem ironiam & sarcasmum, vel συμπάθειαν atque simpliciorem versionem Schmidianam verbi היה per *fuit* insimul repudiat. Præterea observat, non intellexisse Interpretes Hebraismum *scire bonum & malum*, quod idem sit ac *scire omnia*, in suo tamen genere; ut manifesto constet ex *II Sam. XIV, 17* coll. cum *v. 20*, ubi audire bonum & malum exponatur per scire omne quod in terra (est) quantum scilicet Regis est scire: tum ex phrasi opposita negativa, & simili; conf. Cl. Autoris Hebraismum Etymolog. p. 25 sq. Hinc etiam arborem scientiæ boni & mali interpretatur per arborem omniscientiæ, judicans ipsam Evam illius Hebraismi probe gnaram exposuisse, quod foret להשכיל ad intelligere faciendum. Deinde monstrat elegantem horum verborum cum sequentibus connexionem verbis præclaris & pulchris Altingii, & cur Deus ab arbore vitæ Adamum, fidem in Messiam profes-sum, arceat. *Cap. IV, 1* in verbis Evæ קָנִי֙ תִּ֣אִישׁ אֶת־יְהוָ֔ה *possideo virum, ipsum Jehovam*, valde improbat illorum sententiam, qui Evæ errorem impingunt, ac si ipsum Kainum credidisset Messiam. Unde verbum emphaticum קניתי cum Seb. Schmidio explicat de possessione per fidem, ejusque sensum deinde plene exponit hoc modo, quasi dixisset: quam vere possideo filium meum naturaliter conceptum, genitum, tam vere supernaturali virtute fidei concepi ac possideo Filium Dei ut suo tempore incarnandum, hunc Θεάνθρωπον, Redemtorem meum, tanquam peculium meum inter ipsos dolores partus corde possideo teneoque, præ cujus possessione possessio divitiarum, gloriæ, voluptatis omnium bonorum temporalium est nil nisi הבל vanitas. Hac mente filium secundum nomine הבל vanitatis insignivit. *Versum 7* difficillimum *p. 19* ita interpretatur: *Nonne si benefeceris* (sacrificium tuum) *acceptatio erit? Si autem non benefeceris* (sacrificium tuum) *ad ostium pœna* (in dat.) *cubas. Ceterum erga te* erit *obsequium ejus*, (fratris tui,) *& tu dominaberis in eum.* Quam versionem pro natura literæ, constructionis & ipsiusmet rei quinque argumentis erudite deducit. De loco

vexatiſſimo verborum Lamechi *v. 23* judicat, ſi connexio aliqua heic attendenda ſit, vix aliam fieri poſſe commodiorem, quam quod Lamech uxoribus ſuis ſcrupulum, qui eas urgebat, ac ſi inſtitutione artis fabrilis homines iſtius generationis ſint abuſuri, & arma in ipſum maritum ſuum, pluribus exoſum, vibraturi, hac pathologia ſua velit eximere, easque erigere, quod nihil tale metuendum ſit, hoc quidem argumento: *Numquid virum occidi in vulnus meum? & puerum ſive juvenem in cicatricem meam?* id eſt, ut viciſſim jure talionis vulnerandus aut occidendus ſim? & hæc duo orationis membra idem dicere mutatis eleganter verbis more Scripturæ, eſſe tam certum quam quod certiſſimum, haut ſecus ac prævia alloeutionis: *Ada & Zilla audite vocem meam, uxores Lamechi* (i. e. meæ) *auribus percipite ſermonem meum.* Hinc jam Lamechum pronam nectere conſequentiam commate ſeq. *ſi ſepties vindicabitur Kain* (qui tamen fuit fratricida etiam ſine armis) *tum Lamech ſeptuageſies ſeptiesː* (id eſt, longe majori vindicta vindicandus erit, quippe qui neminem occidit.) Locum *cap. XIX, 26* controverſum, quem jam doctiſſimus Autor *Hebraiſm. Etymol.* p. 80 ſqq. tractaverat, heic denuo ſub incudem revocat, ac pluribus rationibus confirmat hanc interpretationem: *Et reſpexerat uxor ejus a tergis ejus* (id eſt, vi Hebraiſmi, relicto eo redierat in viam) *& facta eſt cumulus ſeu tumulus bituminis*, inſtituta præſertim accuratiori harmonia inter mandatum angelicum *v. 17*, ejusdemque exſecutionem *v. 26*, accedente argumento Salvatoris *Luc. XVII, 31*, itemque arctiſſime connectente Moſe interitum uxoris Lothi cum interitu Sodomæ & Gomorrhæ. Pauca illa verba *Cap. XX, 16* ואת כל ונכחת valde conciſa & obſcura, examinatis variis interpretationibus, ita reddit p. 45: *Quin etiam omnia* ſcilicet dedi (ut oves, boves item ſervos & ancillas ex v. 14) *ut documentis convincentibus demonſtretur illud*, nempe, quod Abrahamus tibi ſit velamen oculorum. Cujus translationis argumenta quoque docta ſubjicit. Atque hæc ſpeciminis loco recenſuiſſe ſufficiat, ex quibus, quid de aliis Cl. Autoris ingeniosis explicationibus, itemque de partibus adhuc duabus inſecuturis ſibi promittere queat B. L. colligere ſatis poterit.

INSTI-

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ ANTIquorum Patrum.

Tom. III.

Romæ, ex typographia S. Congreg. d propag. fide, 1712, 8. Alph. 1 pl. 15.

POsteaquam operis hujus Tomum primum A. 1710 p. 336, ſecundum A. 1711 p. 536 recenſuimus, merito tertium jam adjungimus, quo comprehenduntur ſequentes Epiphanii libri, (1) Ancoratus, quo univerſa ferme fidei doctrina exponitur: (2) Brevis expoſitio fidei catholicæ & apoſtolicæ Eccleſiæ, (3) Anacephalæoſis, ſive eorum, quæ in Panario adverſus hæreſes dicta ſunt, epitome. Præferimus autem hunc Tomum duobus præcedentibus propterea, quod in margine exhibet plurimas partim emendationes firmas, partim conjecturas criticas, ut incorruptum legere liceat librum, quantum quidem emendari potuit. In margine quoque diligenter adſcripta legitur ſynopſis paragraphorum, adeoque expeditior redditur libri lectio. Pari modo notatur in ora libri, cum ſingulare quid in Epiphanio occurrit, maxime ſi e re ſit eccleſiæ Romanæ: id quod in prioribus quoque tomis antehac obſervavimus. Ex his annotationibus duas duntaxat proferemus, iisque reſponſi non nihil opponemus. Nimirum *p. 40* ad verba Epiphanii χείρων ἡ κακοπιςία τῆς ἀπιςίας, hæc allita legimus: *Aureum Epiphanii dictum: unde conſtat, hæreticos quibusvis infidelibus eſſe deteriores.* Scilicet Epiphanius ἔφα. Nos opponimus huic alium Eccleſiæ Patrem, eumque longe mitiorem, Salvianum, *lib. V de gub. Dei p. 142 ſq.* ita ſcribentem: *Errant* (hæretici) *ſed bono animo errant, non odio, ſed affectu Dei, honorare ſe Dominum atque amare credentes. Qualiter pro hoc ipſo falſæ opinionis errore in die judicii puniendi ſint, nullus poteſt ſcire, niſi judex.* Ceterum cum autor hujus notæ tam miſeram agnoſcat hæreticorum conditionem, caveat, ne ipſe a vera Chriſti doctrina alienus ſit. *P. 42*, ubi Epiphanius Petrum eſſe dicit petram illam, ſupra quam fundata eccleſia, margo hanc habet notam: *Petrus Apoſtolorum princeps: ſupra quem fundata eſt Eccleſia.* Ad quam notam duo annotamus, (1) illam explicationem admitti poſſe, quod ſcilicet per *petram Matth. XVI*

intelligatur Petrus, nec tamen inde effici, quod volunt Pontificii. Certe inter noſtros quoque Theologos non deſunt, qui per *petram* l. c. Petrum innui credunt, ex quibus unum Hulſemannum noſtrum jam nominamus, in *Vindiciis §. 98 n. 4.* (2) Fuiſſe Pontifices maximos, qui per *petram* non Petrum, ſed Chriſtum ipſum, intellexerint. Sufficient, opinor, duo, Gregorius VII & Joannes XXI. Prioris enim verſus notus eſt: *Petra* (id eſt, Chriſtus) *dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.* Poſterioris epiſtolam ad Jacobum, Regem Maioricarum, exhibet Baluzius in Appendice ad Opera Lupi Ferrarienſis *num. XIII p. 535*, in qua hæc leguntur: *Hanc* (eccleſiam) *etiam PETRA CHRISTVS admirabili & ineffabili diſpoſitione ſtabiliens ſuper ſe ipſum ædificavit eandem.* Unum adjiciemus ad Epiphanii hæreſiologiam, eum nempe nonnulla hæreticorum nomina ipſum finxiſſe, e. g. nomen Antidicomarianitarum *p. 570.* Nam ſtatim *pag. cit.* fatetur, ſe nomen Collyridianorum fabricaſſe: & *p. 554*, ſe Alogis hoc nomen impoſuiſſe: immo *p. 509* diſerte ſcribit, ſe iis, qui Joſephum cum Maria poſt natum Chriſtum conſueviſſe ſtatuant, nomen Antidicomarianitarum impoſuiſſe. Quanquam appellatio hæc non injuria rejicitur pro ridicula, partim propter vocem ἀντίδικος, deſumtam ex *Luc. XVIII, 3*, quæ huc male quadrat: partim propter terminationem, quæ analogiæ fuiſſet conformior, ſi eos appellaſſet Antidicomaritas.

INSTITUTIONES JURIS CANONICI, SEU, ſumma totius Legis Pontificiæ in tres Libros diſtributa, Autore BENEDICTO CHIAVETTA, Panormitano, S. J. Scholaſticæ olim in Meſſanenſi & in Panormitana Academia ejusdem Societatis, tum Scholaſticæ, tum Moralis Theologiæ, nec non Scripturæ ſacræ, nunc ſacrorum Canonum iterum Profeſſore. Liber Primus de PERSONIS ECCLESIASTICIS.

Panormi, ex Typographia Regia Antonini Epiro, 1711, 4. Alph. 1 plag. 8.

INter illos, qui Juris Pontificii Inſtitutiones nobis dederunt, omnium calculo princeps ſemper habitus eſt *Joh. Paulus Lancellottus*, Perſinus. Is tamen cum fœtum ſuum, dubium an impatientia

tientia magis an ambitione commotus, ante promulgata Concilii Tridentini Decreta, quibus disciplinæ illius habitus haud leviter immutatus fuit, in publicum protruderet, aliis eundem laborem renovandi ansam suppeditavit. Prodierunt autem ex eo tempore plures ejusdem generis libelli, ut vere supervacuum videri possit, Autorem, quem producimus, in eadem palæstra desudare voluisse. Merebitur tamen & is veniam, si pensitemus, quod dum novæ quotidie a Præsulibus Romanis constitutiones procuduntur, quibus ab Antecessoribus statuta aut tollunt, aut supplent, & declarationes quotidie novæ ex sacra', ut vocant, Cardinalium Congregatione prodeunt, quas & ipsas, si annuente Pontifice publicantur, vim legis habere ajunt, necesse omnino esse, ut isthæc quoque tradantur his, quorum interest, illa magis quæ in rerum argumentis obtinent, quam quæ obsoleta & antiquata sunt, addidicisse. Accedit quod multum a communi jure abludant cujusvis Ecclesiæ fundationes & leges particulares, quas illi derogare, constans interpretum est opinio, & præterea Nostro proposito sit sua Panormitanæ potissimum Ecclesiæ usui adaptare. Secutus vero vulgarem, (quam recte, alii viderint) methodum primo hoc libro, quem solum nunc in manibus habemus, Jura Personarum Ecclesiasticarum explicare instituit. Rem totam XIV capitibus absolvit, in quorum prioribus duobus cum de Clericis in minoribus Ordinibus, & in sacris constitutis egisset; C. III de his, qui Dignitatem annexam habent, cum in genere, tum C. IV in specie de Archi-Diaconi, Archi-Presbyteri, Decani, Thesaurarii Primicerii, Præpositi, Magistri Scholæ, Capellani Majoris, Prioris, Canonicorum, Referendariorum, & Protonotariorum Apost. muniis disserit. *Dignitatem*, quatenus hic pro administratione rerum Ecclesiasticarum cum jurisdictione conjuncta accipitur, a *Personatu*, per quem prærogativam in Ecclesia absque jurisdictione, v. c. Stallum, ut loquuntur, in choro præ aliis habere; & *officio*, quo nomine administratio rerum Ecclesiasticarum absque jurisdictione venit, differre, apud Canonici Juris Doctores traliticium est; cujus diversitatis ea ratio est & utilitas, quod ii soli, qui Dignitate pollent, Sedis Romanæ delegati, soli possint esse Judices Synodales, & Judices Conservatores Regularium. Conf. p. 37 & 43. Notandæ tamen circa Dignitates hasce

ſequentes cautiones, quas qui negligunt, non levibus difficultatibus premuntur. *Prima* eſt, quam ipſe Autor ſuggerit: ordinem & gradum Dignitatum ex cujusvis Eccleſiæ conſuetudine dependere. Sic jure communi Archi-Diaconus præcedit Archi-Presbyterum, hic reliquos. Secundum morem vero nonnullarum Eccleſiarum principem locum tenet Archi-Presbyter, vel Præpoſitus vel Decanus. In Panormitana Cathedrali, ut & alibi prima Dignitas eſt Cantoris. *Secunda* eſt: non easdem, nec omnes huc usque recenſitas Dignitates omnibus in Eccleſiis occurrere. Sic non in omnibus Capellanus Major reperitur. *Tertia* eſt: non in omnibus Eccleſiis easdem Dignitates iisdem muniis fungi. Sic in quibusdum Præpoſitus eſt vice Archi-Diaconi. In Panormitana primicerius ſive Cantor ea peragit, quæ jure communi Archi-Diacono incumbunt. *Quarta* eſt: officia jure communi fieri poſſe Dignitates ex fundationibus ſingularum Eccleſiarum. Exemplum præbent Præpoſitura & Theſauri Eccleſiæ cuſtodia, quæ cum jure communi ad nuda officia referantur, poſtea ex conſvetudine & ſtatutis Eccleſiarum Cathedralium fere omnium Dignitatibus accenſeri cœperunt. Ceterum conſideratione digna ſunt, quæ Noſter eodem capite de ſignaturis Gratiæ & Juſtitiæ Aulæ Romanæ, itemque de Proto-Notariorum Apoſtolicorum prærogativis commemorat, non ubivis obvia. Caput V de Parochis late tractat, quemadmodum VI de Abbatibus & Abbatiſſis. Ex hoc id ſaltem notamus, ad Abbatias etiam penetraſſe abuſum Commendararum Ecce enim dum Clerici ſeculares Rectores Monachorum eſſe nequeunt, id ingenioſe excogitarunt Pontifices, ut in perpetuum Abbatiæ ipſis commendarentur. Caput VII de Epiſcopis disquirit, & Reſidentiam Juris Divini eſſe, adeo ut Pontifici ne quidem diſpenſandi poteſtas competat, adſtruit. Recitantur hac occaſione verba Bullæ ab Urbano VIII d. 12 Dec. 1634 emiſſæ: *Injungimus, ne ab eisdem Eccleſiis diſcedant, niſi prius obtenta noſtra & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis per Breve ſeu literas miſſivas licentia.* Pallium, Archi-Epiſcoporum inſigne, deſcribit, quod ſit *quoddam Ornamentum de corpore ſancti Petri ſumtum* (ſatis obſcure, ſubinnuit autem, e lana contextum ad D. Petri & Pauli corpora deferri) *plenitudinem officii cum Archi-Epiſcopalis nominis appellatione conferens.*

p. 26. 32. 34. 77. 80. ſeq. 120. 354. 185.

Caput

UNIVERSIDAD DE EL SALVADOR
BIBLIOTECA
DERECHO



Sohn sc. lips.

Caput IX Legatorum Pontificiorum a Latere, Miſſorum & natorum differentias & jura expendit. C. X Cardinalium, quos minores olim Epiſcopis fuiſſe fatetur, hodie Primatibus & Patriarchis majores contendit, imo Regibus comparat, Privilegia recenſet, ubi inter alia commemoratur, Innocentium X A. 1645 mandaſſe, ut ſolo nomine Cardinalis contenti, non aliis titulis uterentur, quam Eminentiæ Reverendiſſimæ, utque in armis & ſigillis coronas & notas ſeculares amoverent, ſolumque pileum rubenti ſanguine Chriſti coloratum adhiberent. p. 199. Hæc excipit Cap. XI de ſummo Pontifice tractatio, quem Papam ab interjectione Papæ, quæ vox admirantis eſt, ſi diis placet, dici vero ſimile videtur Autori noſtro, in etymologiis reliquorum nominum Eccleſiaſticorum eruendis haud multum feliciori. Docet Noſter, Pontificem conſideratum ut Epiſcopum Romanum Vicarium habere Generalem, ſeu vices-gerentem ex Cardinalium cœtu allectum, ut Archi-Epiſcopum ſeptem olim ſuffraganeis, qui ſimul e Cardinalium numero ſint, Epiſcopis Romæ vicinis, nunc ſex ſaltem ob unionem duorum Epiſcopatuum, imperare, Oſtienſi nimirum, Portuenſi, Sabino, Præneſtino, Albano & Tuſculano. Septimus enim Sylvæ candidæ ſeu ſanctæ Rufinæ unitus eſt Portuenſi. Ut Patriarchæ denique ſubeſſe Archi-Epiſcopos & Primates Italiæ, Germaniæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Poloniæ, Ungariæ, Galliæ, Sueciæ & Norvegiæ: quæ conſulto hic referre voluimus, quod his cum dictis reliquorum Canoniſtarum non ſatis bene convenire videatur, qui Pontificem ſuum diverſi plane ordinis eſſe, & Patriarcharum numero eximere contendunt. Caput XII Clericorum immunitates & exemtiones late perſequitur. Caput XIII de vita & honeſtate, & XIV de Regularibus & Monachis colophonem libro huic primo imponunt.

TABULA ÆGYPTIACA HIEROGLYPHICIS exornata.

TAbulæ huic, ad nos nuper transmiſſæ, quam depictam hoc loco dedimus, pauca hæc ſubjecta ſunt verba: *Tabulam hanc ex marmore Ægyptiaco Ægyptiacis inſculptam hieroglyphicis, latampalmis quatuor circiter, totidemque longam, exruinis monitis Aventini Anno 1709 effoſſam, illuſtriſſimo & nobili Viro* D. Caro- TAB. I.

lo

lo Franciſco de Perſon, *Præfecto vigilantiſſimo Regiæ Academiæ in Urbe bonarum artium matre a LUDOVICO Magno erectæ*, Franciſcus de Ficoronis *dedicat, vovet ac conſecrat.* Nos eam hic nudam repræſentamus, ut eorum provocemus ſtudia, qui in his Oedipum agere geſtiant.

URBANI HIERNE S. R. M. SUECICÆ Archiatri & Conſiliarii Metall. Acta & Tentamina Chymica in Regio Laboratorio Stockholmienſi elaborata & demonſtrata, in Decades redacta atque diviſa; una cum præmiſſa Paraſceve ſeu prævia Manuductione ad experimenta rite perficienda.

Holmiæ, typis Joh. H. Werneri, 1712, 4.
Alph. 1 plag. 5.

JAm A. 1679, referente Cl. Autore, *Carolus* XI Rex Suecorum Theſaurario ſuo, Illuſtriſſ. Comiti *Steroni Bielkio*, Laboratorii chymici inſtituendi ſumtibusque neceſſariis fulciendi curam commiſerat. Enimvero quod ipſe ob ſenectutem ingraveſcentem & valetudinem non ſatis firmam perficere non potuerat, perfecit tandem A. 1683 Illuſtr. Comes *Claudius Fleming*, Theſaurarius Regius ac Cameræ Regiæ Præſes, & ſub auſpiciis Regiis Laboratorii chymici fundamenta jecit. Hujus director conſtitutus eſt experientiſſimus Autor, ſumtus annuos ad inſtantiam ipſius A. 1685 ordinante Illuſtr. Comite *Fabiano Wrede*, Cameræ Regiæ & Collegii metallici Præſide. Ab eo tempore labores chymici ſuſcepti, qui etiamnum hodie ſub auſpiciis Regis nunc ſceptra tenentis *Caroli XII* aſſidue continuantur. Inſtitutum vero fuit Laboratorium chymicum propter rationes ac fines ſequentes: 1 ut interiora naturæ recluderentur firmaque reperirentur principia, quibus reliqua tuto ſuperſtrui poſſent; 2 ut omnes rerum naturalium partes analyſi ſubjicerentur, quo tandem conſtaret, quid in ſe continerent; 3 ut in naturam metallorum inquireretur, quatenus meliorationis capacia; 4 ut conficerentur medicamenta majoris efficaciæ, quam quæ vulgo in officinis proſtant; ut omnia excuterentur, quæ rei œconomicæ inſervire poſſint, e. gr. temperatura terræ in horti agrique cultura, materia conficiendis ædium tectis commo-

da,

da, ferri contra rubiginem munitiones, lignorum a putredine præſervatio &c. Quicquid vero laboris per tot annorum intervalla ſecundum tam egregias intentiones ſedulo peractum, in Diariis cum cura annotatum. Nullum itaque dubium ſupereſſe videtur, quin in iis multa præclara & cum ad Chymiæ, tum ad Phyſicæ atque praxis Medicæ perfectionem profutura contineantur. Unde non immerito dolemus, quod, quæ titulus promittit, Acta Regii illius Laboratorii nondum comparuerint, ſed ſola exhibeatur Introductio ad opus ipſum facilius intelligendum adornata. Et quia Autor conqueritur, quod infelici hoc tempore Camœnæ Marti cedant, quod in Suecia ipſimet Autores ſumtus in editionem impendere teneantur, quod ibi charta & opera typographica duplo prope carius quam alibi conſtet & potior tamen exemplarium pars blattas plerumque tineasque paſcat, aut piper zingiberque apud aromatarios veſtiat, ac ideo exigua ſpes ſuperſit fore, ut Cl. Autori, qui ſeptuageſimum ſecundum ætatis annum jam ſuperavit, opus ipſum publico impertiri liceat; gratiorem ſane Orbi erudito operam præſtitiſſet, ſi introductionem, hypotheſes quasdam magna ex parte complexam, in aliud commodius tempus rejeciſſet, ac experimenta ipſa, prout annotata ſunt, primum in lucem protuliſſet. Sed dum opus ipſum expectamus, introductionem paucis perluſtremus.

Partitur eandem Autor in duas ſectiones. Priore de quatuor vulgo ſic dictis elementis, terra, aqua, aere, igne tractat & principiorum chymicorum, ſalis, ſulphuris & mercurii generationem ex iis explicare conatur. Elementorum numerum quaternarium admittit, quia antiquiſſimos Philoſophos eundem ab Ægyptiis accepiſſe credit, a quibus Philoſophia ad ſummum perfectionis faſtigium deducta ipſi videtur; quia *Hippocrates*, *Plato*, *Ariſtoteles*, eorumque aſſeclæ in eo acquieverunt; quia denique *Moſes* in creatione univerſi mentionem injicit terræ, aquæ, ſpiritus & lucis. Ignis elementaris ſedem ſtatuit Solem; inde eum emanare per lumen in Planetas & ex iis combinari cum vaporibus aquarum ſupra cœleſtium aliisque particulis. Sic immutatum ex Planeta uno in alium tandemque in Lunam migrare & inde vires ſpecificas omnium Planetarum ad terram deferre. Hinc tandem prodire ſal aſtrale, ſulphur

phur univerſi & mercurium univerſi. Sal aſtrale ex planetarum influentiis maximam partem componi, quarum principium ſit aqua ſupracœleſtis ex multa terra elementari, pauciore aere & igne ſolari: ſulphur univerſi conſtare ex multa materia ſolari, pauciori ſale aſtrali, terra inviſibili ac portione aliqua aquæ: mercurium denique univerſi ex connubio ſalis aſtralis & ſulphuris univerſi prognatum continere aerem ſubtilem, ignem pauciorem, aquam multam & ſubtiliſſimam. Differit quoque in ſpecie de ſalibus acidis & alcalibus cum urinoſis ſeu volatilibus, tum lixivioſis ſeu fixis, itemque de compoſitis, ſale nimirum communi, nitroſo, Armeniaco, atque decompoſitis ſeu eſſentialibus: nec non de ſulphure atque mercurio.

In Sectione poſteriore explicare conatur modos inveſtigandi, quale principium in dato quolibet corpore præpolleat, & quantum uniuscujusque in eo reperiatur. Commendat autem ſolutionem & præcipitationem, de qua utraque prolixe differit. Conſiderat menſtruas, quibus corpora ſolvuntur, cum ſalina, tum ſulphurea, tum mercurialia ſive aquoſa. Conſiderat ſigna in præcipitatione attendenda, nempe conſiſtentiam præcipitati, æqualitatem, motum, tempus, colorem, odorem, ſonum, quantitatem, ſignorum ſyndromen. Conſiderat ſpecies præcipitationum atque materias, ſpiritum vitrioli, ſpiritum ſulphuris, ſpiritum nitri, ſpiritum ſalis, acetum deſtillatum, alumen, mercurium ſublimatum, ſolutionem Lunæ, ſacharum Saturni, vitriolum Veneris, vitriolum Martis, ſolutiones Veneris & Martis, ſal tartari, ſal Dresdenſe, cineres clavellatos, nitrum fixum, ſyrupum violarum, ſuccum heliotropii, gallas Turcicas. Hinc oſtendit, ex quibus ſignis dignoſcantur 1. omne genus acidi, 2. acidum purum vel ſulphureum, 3. acidum eſſentiale, 4. alcali in genere, 5. alcali fixum, 6. alcali volatile ſeu urinoſum, 7. alcali utriusque tam urinoſi, quam fixi particeps, 8. ſal commune, 9. nitrum, 10. ſal Armoniacum, 11. ſal calcarium, 12. ſal tartareum, 13. alcalia fixa acidis refracta, 14. ſpiritus hermaphroditicus, qualis ſpiritus tartari, liquor ligni juniperi, 15. ſal adſtringens vel terreum pauco acido mixtum, 16. ſulphur ejusque varia genera, 17. alumen. Tandem objectiones diluit, quæ contra ſtudium chymicum a nonnullis fieri ſolent.

Sequitur

Sequitur gemina appendix: altera brevior; altera prolixior. Brevior explicat colores in præcipitatione rite obſervandos. Prolixior vero agit de calore, de igne ardente ſeu culinari, de igne centrali globi terreſtris & de ignibus ſubterraneis montibusque ignivomis: quam poſteriorem ad inſtantiam amicorum ipſius de iis rebus mentem noſſe cupientium adjecit.

PHILOSOPHIÆ NATURALIS PRINCIPIA Mathematica, Autore ISAACO NEVVTONO, Equite aurato. Editio ſecunda auctior & emendatior.

Cantabrigiæ, ſumptibus Autoris, 1713, 4.
Alph. 2. plag. 20.

CUm A 1687 primum lucem publicam adſpexiſſet opus incomparabile Viri ſummi, de eo abunde diximus in Actis Anni 1688 p. 304 & ſeqq. Nunc igitur nobis ſuffecerit expoſuiſſe, in quibus nova editio a priore differat. De his ipſe *Newtonus* paucis ita præfatur: *In hac ſecunda editione multa ſparſim emendantur & nonnulla adjiciuntur. In libri primi ſectione ſecunda inventio virium, quibus corpora in orbibus datis revolvi poſſint, facilior redditur & amplior. In libri ſecundi ſectione ſeptima theoria reſiſtentiæ fluidorum accuratius inveſtigatur & novis experimentis confirmatur. In libro tertio theoria Lunæ & præceſſio æquinoctiorum ex principiis ſuis plenius deducuntur & theoria Cometarum pluribus & accuratius computatis orbium exemplis confirmatur.* Noſtrum eſt, ut hæc expreſſius doceamus. Monemus tamen, nos non ad quasvis minutias deſcenſuros, præſertim ſi levioris viſæ fuerint momenti, quales eſſe cenſemus, ſi hinc inde in dictione quædam immutantur, veluti ſi ſtatim p. 1 dicitur, *aerem denſitate duplicata in ſpatio etiam duplicato eſſe quadruplum*, pro quo in priore editione legitur, *aerem in duplo ſpatio quadruplum eſſe*, aut cum nunc *ſubduplicata ratio* vocatur, quæ ante *dimidiata* dicebatur, aut quando nunc legitur: *corporibus reſiſtitur*, ubi antea extabat, *corpora reſiſtuntur*. Alia enim majoris momenti nobis commemoranda ſuperſunt, ex quibus de utriusque editionis differentia judicium ferre liceat Lectori.

Deprehendimus itaque propoſitioni primæ ſect. 2 lib. 1. qua areæ a corporibus in gyrum actis radiis ad immobile centrum viriuna

ductis descriptæ in planis immobilibus consistere & temporibus proportionales esse demonstrantur, adjecta esse sex corollaria, quæ in editione priore non comparent, itidemque duo alia ad propositionem secundam, qua corpora in hypothesi præcedentis dicuntur urgeri a vi centripeta ad immobile centrum tendente. Et ope quorundam ex corollariis istis prop. 4 ratio virium centripetarum in circulo facilius demonstratur, quam in priore editione factum fuerat. Eidem propositioni denuo duo corollaria de novo adduntur, quæ inter hoc est: Si tempus periodicum sit ut radii r potestas quælibet r^n & propterea velocitas reciproce ut radii potestas r^{n-1} fore vim centripetam reciproce ut radii potestatem r^{2n-1} & contra. Propositio sexta nova est, hujus tenoris: si corpus in spatio non resistente circa centrum immobile in orbe quocunq; revolvatur & arcum quemvis infinite parvum tempore infinite parvo describat & sagitta arcus duci intelligatur, quæ chordam bisecet & producta transeat per centrum virium: fore vim centripetam in medio arcus ut sagittam directe & tempus bis inverse. Inde corollarii instar deducitur, quod in priore editione vicem propositionis sextæ tuebatur: deducuntur & corollaria alia, quæ ante erant omissa. Propositionem septimam generaliorem reddit Autor: cum enim in priore editione determinasset vim centripetam corporis in peripheria circuli gyratis ad punctum aliquod in peripheria tendentem, nunc vim centripetam quærit ad punctum quodcunq; tendentem. Propositione nona additur nova eaque perbrevis demonstratio de vi centripeta ad centrum spiralis tendente: & idem tenendum de vi centripeta ad centrum & umbilicum ellipseos tendente prop. 10 & 11, illius etiam scholio verba quædam adjiciuntur, & prop. 17 scholion generale additur, de vi centrifuga, quæ ad punctum quodcunque intra sectionem conicam situm fertur. Ad lemma 27, quo descriptio trapezii specie dati, & cujus anguli ad rectas quatuor positione datas, singuli ad singulos consistunt, docetur, monet alias ejusdem solutiones olim excogitasse *Wrennum* & *Wallisium*. In scholio prop. 31 omittuntur, quæ sub initium ejus tradiderat de modo per constructionem mechanicam determinandi locum corporis in ellipsi moti ad datum tempus. Sub prop. 33 corollarii instar subsumitur, corpus ad datam a centro distantiam in circulo quovis revolvens motu suo sursum verso

verſo aſcendere ad duplam ſuam a centro diſtantiam: ad prop. 49 vero omittitur corollarium 3 aliudque prop. 51 ſubnectitur, quod ſcilicet vis, qua corpus in loco quovis Cycloidis acceleratur vel retardatur, ſit ad totum ejus pondus in loco altiſſimo in ratione arcuum Inter locum infimum & loca reliqua data interceptorum. Cum ſect. 11 lib. 1 ad explicandum motum corporum ſe mutuo attrahentium progreditur Autor, notanter monet, ſe conſiderare vires centripetas tanquam attractiones, quamvis fortaſſe, ſi phyſice loquamur, verius dicantur impulſus. Se enim in Mathematicis jam verſari & propterea miſſis diſputationibus phyſicis familiari uti ſermone. Prop. 73 novum quoddam adjicit corollarium, nempe ſi ad ſolidorum ſimilium & æqualiter denſorum puncta ſingula tendant vires æquales centripetæ decreſcentes in duplicata ratione diſtantiarum a punctis, vires, quibus corpuſcula ad ſolida illa ſimiliter ſita attrahentur ab iisdem, fore ad invicem ut diametros ſolidorum. Inprimis autem notatu dignum eſt, quod, cum lemmate 2 lib. 2 p. 224 & ſeqq. rudimenta calculi differentialis ſimpliciora ſuo modo expoſuiſſet, etiam in nova hac editione non diffiteatur, Illuſtrem *Leibnitium* ejus fundamenta ſibi communicaſſe, cum ſuum quoddam inventum ſtudioſe celaret. Ita nimirum p. 226. *In litteris*, inquit, *quæ mihi cum Geometra peritiſſimo* G. G. Leibnitio *annis abhinc* (ab anno primæ editionis, qui erat 1697) *decem intercedebant, cum ſignificarem me compotem eſſe methodi determinandi maximas & minimas, ducendi tangentes & ſimilia peragendi, quæ in terminis ſurdis aque ac in rationalibus procederet, & literis transpoſitis hanc ſententiam involventibus* (data æquatione quocunque fluentes quantitates involvente, fluxiones invenire & vice verſa) *eandem celarem: reſcripſit Vir Clariſſimus, ſe quoque in ejusmodi methodum incidiſſe & methodum ſuam communicavit a mea vix abludentem præterquam in verborum & notarum formulis.* P. 256 delentur corollaria quartum & quintum prop. 8, quibus definiverat tempus deſcenſus per ſpatium infinite parvum. Monuit celeberrimus *Bernoullius* in Actis A. 1713 p. 121, *Newtonum* ante abſolutam novæ editionis impreſſionem opportune a ſe per agnatum ſuum *Nicolaum Bernoullium* admonitum, quæ de ratione reſiſtentiæ ad gravitatem per errorem in priore editione ſtatuerat,

correxiſſe & ſingulari ſcheda libro ſuo inſeruiſſe. Id factum eſſe, collatio novæ editionis cum anteriore & animadverſionibus *Bernoullianis* in eam oſtendit & folia diſſecta novaque in ipſorum locum ſubſtituta utique loquuntur, errores prioris editionis etiam in ſecundam jam irrepſiſſe. Quamvis autem *Newtonus* correctionem *Bernoullianam* adhibuerit; non tamen diffitebitur, ſuam problematis ſolutionem a ſimplicitate *Bernoulliana* in Actis Anni ſuperioris traditæ adhuc abeſſe. Mirum vero videbitur nonnullis, quod illam ipſam regulam, per quam obſervante *Bernoullio* in Actis anni ſuperioris p. 95 in errores incidit, utpote veris calculi differentialis legibus ab illuſtri *Leibnitio* ſtabilitis adverſam, adhuc p. 236 commendet. Propoſitioni 15 eam amplitudinem in nova editione non dedit, quam ei dari poſſe obſervavit cel. *Bernoullius* loc. cit. p. 125: ſubſequentis tamen 16 demonſtrationem, quam ei revidendam commendat *Bernoullius*, ita emendavit, quemadmodum corrigendam eſſe docuit Celeb. *Hermannus* in Diario Veneto Tom. VII anno 1711 edito p. 217. Adjicit etiam tria corollaria, quæ in editione priore non comparent, & lemma, quod in gratiam iſtarum propoſitionum præmittitur, emendat: unde neceſſario in prop. 75 demonſtratione nonnulla immutanda fuere. Quæ vero de corollariis ejusdem propoſitionis monuit *Bernoullius*, ad ea non attendit, ipſi nempe ante editionem non viſa. Prop. 31 prolixum annectitur ſcholium generale de reſiſtentia aeris per pendulorum oſcillationes inveſtigata, quod idem eſſe deprehenditur cum ſcholio prop. 40 editionis prioris, quamvis hinc inde nonnulla immutentur, alia omittantur. Similiter omitti deprehendes prop. 33 corollaria 6, 7 & 8, quibus aſſeruerat, projectile in fluido elaſtico eo difficilius moveri, quo vires centrifugæ ſunt majores; reſiſtentiam tardeſcentium in fluido diminui in ratione minore quam duplicata velocitatis; quo corpora ſint majora, eo magis accurate reſiſtentiam tardeſcentium decreſcere in duplicata ratione velocitatis; rationem deniq; duplicatam magis accurate obtinere in fluidis, quæ pari denſitate & vi elaſtica ex particulis minoribus conſtant. Exterminatur quoque prop. 24 prioris editionis cum ſuis corollariis & demonſtratio vigeſimæ quintæ, quæ nunc eſt vigeſima quarta, parumper mutatur. Nova e contrario eſt propoſitio 25

cum

cum ſuis corollariis. Illa nempe invenire docet reſiſtentiam globi uniformiter progredientis in medio raro ex particulis quam minimis quieſcentibus æqualibus & ad æquales ab invicem diſtantias libere diſpoſitis conſtante: his vero aſſeritur, ſi globus & particulæ ſint infinite dura, reſiſtentiam globi eſſe ad vim, qua totus ejus motus vel auferri poſſit, vel generari, quo tempore globus quatuor partes tertias diametri ſuæ deſcribit, ut denſitatem medii ad denſitatem globi; eandem eſſe ceteris paribus in duplicata ratione velocitatis, vel diametri, ſeu ut medii denſitatem &c. Propoſitiones 36, 37, 38, 39 & 40 ejusdem quidem argumenti ſunt cum propoſitionibus ejusdem ordinis in editione priore; totæ tamen immutatæ. Tractatus autem in hiſce de motu aquæ per foramen in fundo factum effluentis; de cylindri in fluido compreſſo infinito & non elaſtico ſecundum longitudinem ſuam uniformiter progredientis reſiſtentia orta a magnitudine ſectionis transverſæ; de globi in fluido compreſſo infinito & non elaſtico uniformiter progredientis reſiſtentia; de globi in medio fluidiſſimo compreſſo progredientis reſiſtentia. Reſiſtentiæ quoque fluidorum per experimenta nova ratione inveſtigantur. Eum in finem Autor vas ligneum quadratum paravit longitudine & latitudine interna digitorum novem pedis Londinenſis, profunditate pedum novem cum ſemiſſe, idque aqua pluviali implevit, & globis ex cera & plumbo incluſo formatis notavit tempus deſcenſus per altitudinem 112 digitorum. Sic nempe inveſtigavit reſiſtentiam in aqua: ut autem eandem quoque in aere experiretur, a culmine Eccleſiæ *S. Pauli* Londini globos duos vitreos ſimul demiſit, unum argento vivo, alterum aere plenum, utroque per altitudinem pedum 220 deſcendente. Inde quam proxime definit partem motus, quam globus in fluido quocunque projectus amittit. Sit ſcilicet diameter globi d, velocitas ab initio motus v, & F tempus, quo globus velocitate v in vacuo ſpatium deſcribet, quod ſit ad ſpatium $\frac{2}{3} d$ ut denſitas globi ad denſitatem fluidi, globus in fluido illo projectus tempore quovis alio t juxta Noſtrum, amittet velocitatis partem $tv : (T + t)$, manente parte $Tv : (T + t)$, & deſcribet ſpatium, quod ſit ad ſpatium uniformi velocitate v eodem tempore deſcriptum in vacuo ut logarithmus

mus numeri $(T+t)$: T multiplicatus per numerum 2302585093 ad numerum t: T. Qvæ in priore editione erat propoſitio 47, in nova eſt 48, & quæ olim erat 48, nunc locum 47 tuetur. Propoſitioni 49 corollaria duo adjiciuntur, quorum priore aſſeritur, velocitatem pulſuum eam eſſe quam gravia acquirunt, æqualiter accelerato motu cadendo & caſu ſuo deſcribendo dimidium altitudinis a (eſt autem a altitudo medii homogenei, cujus pondus adæquet pondus incumbens & cujus denſitas eadem ſit cum denſitate medii compreſſi, in quo pulſus propagantur;) ac inde in poſteriore infertur, eandem eſſe in ratione compoſita ex ſubduplicata ratione denſitatis inverſe & ſubduplicata ratione vis elaſticæ directe. In ſcholio prop. 50 non modo ratio aeris ad argentum vivum aſſumitur ut 1 ad 11890, quam in priore editione ſtatuerat ut 1 ad 11617, atque ideo ſpatium, quod ſonus tempore unius minuti ſecundi conficit, eſt pedum 979, quod olim aſſignaverat 968; verum etiam omittitur collatio computi cum obſervationibus *Merſenni* atque *Robervallii*. Monet autem, in hoc computo nullam haberi rationem craſſitudinis ſolidarum particularum aeris, per quam ſonus utique propagetur in inſtanti: ejus vero ſi habeatur ratio, ſpatium illud fore 1088. Immo ſi porro attendatur ad vapores in aere latentes, idem evadere 1142. Addit, hæc ita ſe habere tempore verno & autumnali: at hiberno motum ſonorum fieri tardiorem, æſtivo velociorem in ſubduplicata ratione denſitatis; per experimenta autem conſtare, quod ſoni tempore minuti unius ſecundi eundo conficiant pedes Londinenſes plus minus 1142, Pariſienſes vero 1070.

Libro tertio regulas philoſophandi appellat, quas olim hypotheſes dixerat, e quarum numero nunc etiam nonnullas inter phænomena refert. Iſtarum regularum tertia in priore editione non comparet, quod ſcilicet qualitates corporum, quæ intendi & remitti nequeunt, quæque corporibus omnibus competunt, in quibus experimenta inſtituere licet, pro qualitatibus corporum univerſorum habendæ ſint. Ea utitur ad corporum omnium gravitationem in ſe mutuo adſtruendam, quam fortiori argumento probari arbitratur, quam eorundem impenetrabilitatem, cum de hac in corporibus cœleſtibus experimentum nullum capi poſſit.

In

In priore etiam editione non extat phænomenon ſecundum, quod fide obſervationum *Caſſini* Planetæ circumſaturnii radiis ad Saturnum ductis areas deſcribant temporibus proportionales & eorum tempora periodica in ratione ſesquiplicata diſtantiarum ab ipſius centro exiſtant, quod nempe de Planetis primariis primus invenit *Keplerus*. Propoſ. 3 ſubjungitur corollarium, quo infertur, vim centripetam lunarem ad ſuperficiem terræ haberi, ſi vis centripeta mediocris, qua Luna in orbe retinetur, augeatur primo in ratione 177 $\frac{29}{40}$ ad 178 $\frac{29}{40}$, deinde etiam in ratione duplicata ſemidiametri terræ ad mediocrem diſtantiam centri Lunæ a centro terræ. De novo quoque adjicitur cor. 3 prop. 5, qua ex gravitatione Planetarum in ſe invicem concluditur, quod ♄ & ♃ prope conjunctionem ſe invicem attrahendo ſenſibiliter perturbent motus mutuos, Sol perturbet motus lunares, Sol & Luna perturbent mare noſtrum. Cum in priore editione cor. 2 prop. 6 aſſeruiſſet, ætherem, aut aliud corpus, quod gravitate ſit deſtitutum, poſito quod detur, non differre a corporibus aliis niſi in forma materiæ; nunc quidem addit, ex mente *Ariſtotelis*, *Carteſii* & aliorum. Et cum in cor. 3. ante aſſeruiſſet, vacuum neceſſario dari, nunc quidem pronunciat, ſpatia omnia non eſſe æqualiter plena, & ſub finem verba ſequentia addit: quod ſi quantitas materiæ in ſpatio dato per rarefactionem quamcunque diminui poſſit, quidni diminui poſſit in infinitum? Quod olim erat corollarium quartum, nunc quinti locum occupat, & in eo fide craſſarum (quas Autor vocat) obſervationum affirmat, vim magneticam decreſcere in ratione diſtantiæ fere triplicata, cum in priore editione tantum poſuiſſet decrementum in ratione plusquam duplicata. Quod nunc in ordine quartum exiſtit, ita habet: ſi omnes omnium corporum particulæ ſolidæ ſint ejusdem denſitatis, neque absque poris rarefieri poſſint, vacuum datur. Dicit autem ejusdem denſitatis eſſe, quarum vires inertiæ ſunt ut magnitudines. In Cor. 1 prop. 8 in numeris aliquid immutatur, quibus pondera corporum in diverſos planetas definiuntur, nec *Flamſtedii* amplius ſed *Halleji* obſervationibus circa ſatellites Jovis utitur. Nimirum corporum æqualium & a Sole, Jove, Saturno & Terra æqualiter diſtantium pondera in Solem, Jovem, Saturnum ac Terram ex novo computo ſunt ad invicem ut 1, $\frac{1}{1033}$,

$\frac{1}{2411}$, $\frac{1}{2275\frac{1}{2}}$ respective, cum ex priore essent ut $1, 1\frac{1}{100}, 2\frac{7}{800}$ & 28700; in superficie autem Solis, Jovis, Saturni ac Terræ ut 10000, 835, 525 & 410 respective, cum ex priore editione essent ut 10000, $804\frac{1}{2}$, 536 & $805\frac{1}{2}$. Utitur nunc parallaxi Solis 10″ fere, quam olim assumserat quasi 20″. Hinc etiam densitates Solis, Jovis, Saturni ac Terræ in nova editione aliæ assignantur, nempe ut 100, 78, 59 & 396, ita, ut e. gr. terra quadruplo densior sit quam Sol, quia hic per ingentem suum calorem rarescit. In demonstratione prop. 10 globus aquæ congelatæ in aere motus ex resistentia aeris nunc statuitur amittere motus sui partem $\frac{1}{458}$ & aer 850 partibus levior censetur quam aqua. In demonstratione prop. 12 numeri mutantur, quia pendet ab iis, quæ de gravitate corporum in diversas planetas paulo ante dicta sunt: quod idem circa demonstrationem prop. 13 tenendum. In cor. 2. prop. 14. addit; stellas fixas in omnes cœli partes æqualiter dispersas contrariis attractionibus vires mutuas destruere. Adjicit quoque scholium deducens motum apheliorum in consequentia respectu fixarum in proportione sesquiplicata distantiarum in Sole, sed parvitatis fere contemnendæ: conficiunt enim ex computo Nostri aphelia Martis, Terræ, Veneris & Mercurii in annis centum 35′, 18.36″, 1′.27″ & 4.29″ respective. Propos. 19 numeri in resolutione problematis de invenienda ratione axis Planetæ ad diametros eidem perpendiculares mutantur, ob observationes recentiores *Cassini*, qui semidiametrum Telluris reperit 19695539 pedum Parisiensium. Producit autem calculus terram ad æquatorem quam ad polos altiorem excessu pedum 85820 seu milliarium $17\frac{1}{8}$, cum in priore editione eundem assignasset milliarium 17. Monet sub finem, *Cassinum* dudum observasse, Jovis diametrum, quæ polos ejus interjacet, minorem esse diametro altera. Prop. 20, qua pondera corporum in terræ hujus regionibus diversis invenire ac inter se comparare docet, numeros correxit & novam tabulam condidit, in qua longitudo penduli singulis minutis secundis oscillantis in pedibus Parisinis & mensura gradus unius in meridiano in hexapedis Gallicis ad diversas locorum latitutidines definitur. E. gr. Sub æquatore longitudo penduli 3 ped. 7, 468 lin. mensura unius gradus 56909 hexap. Sub elevatione poli 50° illa 3. 8, 594 ped. hæc 57348 hexap.

ipso

ipſo polo illa 3. 9, 387 ped. hæc 57657 hexap. Et vi hujus tabulæ infert, graduum inæqualitatem tam parvam eſſe, ut in rebus Geographicis figura terræ pro ſphærica haberi poſſit, & inæqualitatem diametrorum terræ facilius & certius per experimenta pendulorum deprehendi poſſe vel etiam per eclipſes Lunæ, quam per arcus Geographice menſuratos in meridiano. Prolixe autem in nova hac editione recenſet, quomodo ab anno 1672 usque ad annum 1704 *Richerus*, *Hallejus*, *Varinius*, *Des Hayes*, *Coupletus* filius, & *Feuelleus* diverſam penduli in diverſis locis longitudinem obſervaverint, atque *Philippum de la Hire* refellit, qui illam diverſitatem extenſioni fili ferrei per colorem adſcribit, quia differentia major obſervatur, quam ab actione caloris proficiſci poteſt. Inde arguit, umbram terræ in eclipſibus lunaribus non eſſe circularem, ſed diametrum ejus ab oriente in occidentem ductam majorem eſſe quam diametrum ejus ab auſtro in boream ductam exceſſu $55'$ circiter, & parallaxin maximam Lunæ in longitudinem paulo majorem eſſe quam ejus parallaxin maximam in latitudinem. Ceterum notatu dignum eſt, quod *Caſſinus* A. 1700 menſuram terræ per majora locorum intervalla aggreſſus, eam, quæ eſt unius gradus, eandem fere repererit, quam circa annum 1635 apud Anglos collegerat *Norwoodus*. Eſt enim juxta *Caſſinum* 57292, juxta *Norwoodum* 57300 hexapedarum Gallicarum: qui ſane conſenſus probat, menſuram *Caſſinianam* præferendam eſſe ei, quam aſſignaverat *Picartus*, hexapedarum nonnihil 57060, quamvis *Newtonus* differentias inter obſervationes *Norwoodi*, *Picarti* & *Caſſini* prope inſenſibiles pronunciet. Prop. 25 motum medium nodorum ſatellitis extimi Jovialis in annis centum definit $8^{\circ}\,2'\,4$ in antecedentia, quem olim poſuerat $9^{\circ}\,3'\,4$. Sub finem omittit, quæ in priore editione aſſeruerat, Aſtronomos recentiores aut motum omnem nodorum ſatellitum $2^{\prime\prime}$ negare, aut tardiſſime retrogradum aſſerere, & *Flamſtedium* collatis ſuis cum *Caſſini* obſervationibus deprehendiſſe, eos tarde regredi. Prop. 29, quæ de variatione Lunæ agit, numeri rurſus mutantur & hinc tota problematis reſolutio aliam fere induit faciem. Determinat autem variationem maximam Lunæ in Apogæo Solis, $3'\,3\,14''$, in mediocri diſtantia $3'\,5''\,10$, in Perigæo $3'\,7''\,1$. Similiter prop. 32, 35 & 36, quæ de motu medio nodorum

Lunæ, de inclinatione orbis lunaris ad planum ecliptiæ & de vi Solis ad mare movendum tractant, numeri emendantur. Divinam vero ingenii vim & ſagacitatem ſummam in inventore arguit computatio motuum Lunarium per theoriam gravitatis a cauſis ſuis facta, phænomenis non invitis. Equidem in ſcholio prop. 35 olim ingenue profitebatur, ſe computationem ſuam non ſatis accuratam putare; ſed cum in nova editione tantum non omnia quoad numeros mutaverit, illud quoque de ea judicium nunc omiſit. In prop. 37 de vi Lunæ ad mare movendum multa adduntur & ejus ad vim gravitatis ratio nunc certius ſtatuitur ut 1 ad 2871400. Augetur quoq; corollariorum numerus, aſſeriturque in iis diſtantia centri Lunæ a centro Terræ ad diſtantiam centri Lunæ a communi gravitatis centro Terræ ac Lunæ ut 40371 ad 39371; mediocris diſtantia centri Lunæ a centro Terræ ſemidiametrorum maximarum Terræ $60\frac{1}{4}$ quam proxime; ſemidiametrorum vero mediocrium $60\frac{1}{2}$ quam proxime. In demonſtratione lemmatis primi non pauca mutantur: quodque nunc ſecundi locum tenet, novum eſt; quod olim erat ſecundum, in locum tertii rejicitur; quod vero olim fuerat tertium, in hypotheſium numero nunc habetur. Ad prop. 14 acceſſit corollarium 4; ad lemma 8 corollarium aliquod cum ſcholio. In cor. 4 prop. 40 ſtatuitur, ſi latus rectum parabolæ, in qua Cometa movetur, quadruplo majus ſit radio orbis magni & quadratum radii illius ponatur eſſe partium 100000000; aream a Cometa radio ad Solem ducto ſingulis diebus deſcriptam eſſe partium $12163\frac{73}{100}$, aream diurnam partium $50682\frac{1}{4}$. Sin latus rectum majus ſit vel minus in ratione quavis, aream diurnam & horariam majorem eſſe vel minorem in eadem ratione ſubduplicata. Cum prop. 41 Cometæ in parabola moti trajectoriam ex datis tribus obſervationibus determinat, & prop. 42 graphice inventam corrigere docet; *Halleji* potiſſimum calculis theoriæ cum obſervationibus conſenſum probat & quæ de lite quadam circa trajectoriam Cometæ A. 1680 cum *Flamſtedio* ipſi intercedente indicaverat, omittit. De *Halleji* calculis dictum eſt in his Actis A. 1707 p. 218 & ſeqq. Multa quoque de cauda cometarum adduntur. Rerum opticarum ignaros cenſet, qui eam jubar Solis eſſe contendunt per caput pellucidum propagatum, cum

ſine

ſine materia reflectente nullum eſſe poſſit. Opinionem eorum, qui caudam ex refractione lucis in ejus a capite Cometæ ad Terram progreſſu oriri ſtatuunt, multis difficultatibus premi oſtendit, neque enim caudas Cometarum unquam coloribus variegari, lucem vero fixarum & planetarum ad nos transmiſſam demonſtrare, quod medio cœleſti nulla inſit vis refractiva; lumine fixarum per teleſcopia plus centum vicibus aucto, nullas earum cerni caudas. Ipſe igitur defendit, caudas a capitibus oriri & in regiones a Sole averſas aſcendere, ex vaporibus nempe in atmoſphæram Cometæ ſublatis, quemadmodum primus docuit *Keplerus*. Diſtinctius tamen Noſter, quam *Keplerus*, vaporum illorum aſcenſum explicat.

Coronidem operi eruditionis profundæ imponit ſcholion generale, in quo difficultates enarrantur, quibus vorticum hypotheſis premi videtur celeberrimo Autori; nonnulla de Deo proferuntur; de cauſa gravitatis quædam indicantur & novæ cujusdam hypotheſeos de ſpiritu quodam ſubtiliſſimo corpora craſſa pervadente (eodem forte cum principio hylarchico *Henrici Mori*) mentio injicitur. Difficultates contra vortices his verbis enunciat: „ut Planeta unusquisque radio ad Solem ducto areas deſcribat „tempori proportionales, tempora periodica partium vorticis de„berent eſſe in duplicata ratione diſtantiarum a Sole. Ut perio„dica Planetarum tempora ſint in proportione ſesquiplicata di„ſtantiarum a Sole, tempora periodica partium vorticis deberent „eſſe in eadem diſtantiarum proportione. Ut vortices minores „circum Saturnum, Jovem & alios Planetas gyrati conſerventur „& tranquille natent in vortice Solis, tempora periodica partium „vorticis Solaris deberent eſſe æqualia. Revolutiones Solis & „Planetarum circum axes ſuos ab omnibus hiſce proportionibus „diſcrepant. Motus Cometarum ſunt ſumme regulares & eas„dem leges cum Planetarum motibus obſervant, & per vortices „explicari nequeunt. Feruntur Cometæ motibus valde eccentri„cis in omnes cœlorum partes, quod fieri non poteſt niſi vortices tollantur.„ Noſter itaque motus regulares Planetarum a cauſis mechanicis originem habere negat, etſi per leges gravitatis ſemel conſtitutos conſervari demonſtraverit. Nonniſi conſilio & dominio entis intelligentis ac potentis ortos eſſe pronunciat. Et ita

ad Deum delabitur vocemque Dei dominium ſummum connotare probat, quia dicere ſolemus, *Deus noſter*, non tamen, *æternus noſter*, *perfectus noſter* &c. Ex dominatione vera ſequi, Deum eſſe vivum, intelligentem & potentem; ex reliquis perfectionibus, ſumme perfectum eſſe. Deum exiſtendo ſemper & ubique durationem & ſpatium conſtituere ait. Totum eſſe ſui ſimilem, totum oculum, totum aurem, totum cerebrum, totum brachium, totum vim ſentiendi, intelligendi & agendi; ſed more minime humano, minime corporeo, nobis prorſus incognito. Nos non habere ideam ſubſtantiæ Dei, ſed ipſum ſolummodo cognoſcere per proprietates & attributa, per ſapientiſſimas & optimas rerum ſtructuras & cauſas finales; coli autem ob dominium. Vim gravitatis a cauſa aliqua oriri ultro concedit, aſt eam mechanicam eſſe negat, quia non agit pro quantitate ſuperficierum, ſed materiæ ſolidæ. Rationem proprietatum gravitatis ſe ex phænomenis non poſſe deducere, hypotheſes vero non fingere profitetur, quibus in Philoſophia experimentali locum non concedit. Verendum tamen, ne minus pretii quam hypotheſibus plerique ſtatuant ſpiritui Autoris ſubtiliſſimo corpora craſſa pervadenti & in iisdem latenti, cujus vi & actionibus particulæ corporum ad minimas diſtantias ſe mutuo attrahant, & contiguæ factæ cohæreant; corpora electrica ad diſtantias majores agant tam repellendo, quam attrahendo corpuſcula vicina; lux emittatur, reflectatur, refringatur, inflectatur, corpora calefaciat, ſenſatio omnis excitetur, membra animalium ad voluntatem moveantur; niſi eundem cum æthere aut materia ſubtili *Carteſianorum* dixeris.

CURIOSITATES PHILOSOPHICÆ, SIVE de Principiis rerum naturalium Diſſertatio ſelecta, in qua nova methodo de generatione hominum, animalium, arborum, plantarum, itemque de cauſis amoris, ventorum, tonitru, fulminis &c. tractatur; Autore T. S. J. F.

Londini, ſumptibus Societatis, 1713, 4.
Alph. 1 plag. 20 Tab. æn. 7.

IDem eſt liber, qui ante decennium ſub titulo Diſſertationis Philoſophicæ de cauſa motus & principiis corporum ſolidorum, expreſſo

preſſo Autoris *Theodori Santvoortii* J. Fil. nomine Ultrajecti prodiit, in Actis A. 1704 p. 508 prolixiſſime recenſitus, non denuo recuſus, ſed ſplendidiore tantum titulo ornatus: id quod hic monendum eſſe duximus, ne novus titulus imponat iis, qui librum hanc dudum poſſident.

HISTORIA CHIRURGIÆ RECENTIOR; Autore ANDREA OTTOMARO GOELICKE, M. D. ejusdemque antehac in Fridericiana P. P. extraordinario, nunc vero in Academia Regia, quæ eſt Duisburgi Clivorum, Medicinæ Profeſſore ordinario.

Halæ Magdeburgicæ, in officina Rengeriana, 1713, 8. Plag. 14.

QUanquam Autor Clariſſ partim negotiis, tam domeſticis, quam publicis hactenus diſtractus, partim itinere in Ducatum Cliviæ, quo ad ſuſcipiendam Artis Medicæ Profeſſionem in Academia Duisburgenſi a Sereniſſ. & Potentiſſ. Boruſſiæ Rege ire juſſus eſt, ſuſcepto, in laboribus ſuis admodum fuerit præpeditus, promiſſo tamen ſuo ſtetit, atque nunc alteram Hiſtoriæ Chirurgicæ partem, recentiorem nempe, qua Scriptores præcipui, qui ſeculo proxime elapſo, & circa initium hujus, in quo per Dei gratiam verſamur, vixerunt, vel adhuc vivunt, ordine naturali recenſentur, publici juris fecit. Majore in hac libertate prôpterea uſus eſt, ut in proœmio fatetur, quia plerique ſcriptorum noviſſimorum noſtri temporis adhuc in vivis ſunt, & hinc, ſi quas conquerendi cauſas juſtas habeant, ipſum, ut actorum ſuorum rationes reddat, tanto melius compellere poſſunt, quo abſurdius plerumque eſt mortuorum famam vel ſcripta acerbiori ſtylo perſtringere, qui ſe defendere nequeunt. Antequam autem ſingulorum Chirurgorum ſcripta vel inventa recenſeat, merito conqueritur, in plurimis Germaniæ provinciis Chirurgos, Anatomiam profundiſſime ignorantes, ultra barbarum tonſuram vix ſapere, ejusque rei cauſam eſſe putat, quod Profeſſores ob ædificiorum publicorum defectum exercitiorum Anatomico-Chirurgicorum demonſtrationibus vacare nequeant, quibus tamen Belgium fœderatum, Anglia, Gallia, Italia, aliaque cultiora Europæ regna & regiones ſuperbiunt. Rem ipſam

ipſam dum aggreditur, a ſcriptoribus Gallicis dicendi initium faciens, ad Italos, Hiſpanos, aliosque conterminos, & tandem ad Germanos progreditur; ita tamen, ut etiam Anglis, Belgis, Suecis, & Danis ſuum, quem merentur, locum relinquat.

CONTROVERSIARUM SACRARUM RECENtiorum & nobiliorum nucleus & illuſtramenta, edita a MICHAELE FOERTSCHIO, S.S. Theol. D. & Prof. Primario Jen.

Jenæ, apud Chriſtianum Polium, 1713, 4.
Alph. 1 plag. 3.

QUamvis præter alios de eccleſia Chriſti præclare meritos Theologos inſigne olim Academiæ Roſtochienſis decus B. Grapius Controverſias recentiores vel etiam recentius repetitas & novo apparatu inſtructas haud illaudabili opera exhibuerit, ſumme Rev. Autorem tamen plurimum adhuc lucis iſtis controverſiis in hoc eruditiſſimo ſcripto fœneratum eſſe, non poſſumus non profiteri. Cum enim laudatus B. Grapius in recenſu variorum Autorum ipſaque hiſtoria adeo errorum præcipue occupatus fuerit, & theſin breviter cum fundamentis quibusdam ſubjecerit, atque per objectiones quasdam vindicias veritatis inſtituerit; Celeb. Autor noſter reſtantes non modo vel de novo exortas difficultates indagavit, ſed, ubi operæ pretium viſum fuit, præcipuos in materia iſta ſcriptores tanquam advocatos ſententiarum ſelegit, ex profeſſo rationes graviores contulit, & e cubilibus ſuis evolvit. Adjecit inſuper in ſupplementum Theologiæ polemicæ quæſtiones de Comparativa Theologia nuſpiam & nunquam tractatas, cum ſumme neceſſarium, hoc præſertim tempore, ipſi videretur doctrinam de fundamentalibus in formam diſciplinæ redigere, & alumnum doctrinæ ſacræ contra Indifferentiſtas ſollicitius informare. In frontiſpicio accurati hujus tractatus Programma *de correctione & correptione morum Donati partium revivifcentium*, quo publica harum controverſiarum ventilatio intimata fuit, Lectoris obtutui ſe ſiſtit; ſub finem autem index Scriptorum, qui in hoc Tractatu vel allegantur, vel explicantur, vel refutantur, comparet.

* * *

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipſiæ
Calendis Aprilis Anno M DCC XIV.

REFLEXIONS SUR LES REGLES ET SUR l' uſage de la Critique, &c.

h. e.

MEDITATIONES DE REGULIS ET USU Critices. Autore R. P. HONORIO DE SANCTA MARIA, Carmelita.

Pariſiis, apud Claudium Lombertum, 1713, 4. Alph. 3 pl. 15.

HYpercriticum hic ſiſtimus, qui obſervato Criticorum diſſenſu, quorum alius librum aliquem pro genuino admittit, alius pro ſuppoſititio habet, itemque alius hiſtoriam quampiam pro vera habet, alius pro falſa, hic oſtendere, conatur, Artem Criticam nondum ſatis firmis niti fundamentis, ſed multis laborare defectibus. Nec vero ſolum defectus indicat, ſed etiam fontes eorum & cauſas inveſtigat, additis conſiliis, Artem illam firmiorem reddendi certioremque. Ante vero, quam hoc aggreditur, *Diſſertatione prima*, quæ quaſi præliminaris eſt, Critices ideam informare conatur ejusque naturam deſcribere. En definitionem Critices a Noſtro *Artic. I* factam: *Eſt ars judicandi de factis hiſtoricis, de ſcriptis doctorum virorum, de variis eorum ſcriptorum lectionibus, de eorundem ſenſu, ſtylo & autoribus.* p. 1. Quæ definitio an ſatis accurata ſit, dubitabunt illi, qui reputaverint, artem de hiſtoriarum veritate vel falſitate judicandi pertinere ad illam diſciplinam, cujus finis eſt verum a falſo diſcernere, hoc eſt, ad Logicam. Sed moris eſt Gallis, omnem cenſuram vocare criticam. Hinc fit, ut artis Criticæ fimbrias tam late

extendant, & Criticam vocent *quemvis usum judicii circa scriptores, tum ratione rerum, tum ratione verborum.* Imo in sequentibus deprehendemus, Autorem Critices vocabulo complecti omnes literas humaniores, adeoque Philologiam & Criticam ei esse συνώνυμα. Quare nec mirabitur Lector, cum in prima Dissertatione plura occurrent ad historiam literariam, quam ad Criticam pertinentia. Sed redimus ad librum nostrum, in cujus *Diff. I Artic. II* regulæ Criticæ doctissimorum celeberrimorumque autorum proponuntur. Nam primo exhibet 10 Clerici regulas in emendatione autorum sequendas: deinde Martianæi regulas ad intelligendam S. Scripturam observandas: tum Sixti V & Clementis IIX, pontificum, regulas ad corrigendum interpretem vulgatum præscriptas: hinc Mabillonii regulas ei observandas, qui rite tractare cupit Conciliorum scriptores: post ejusdem Mabillonii regulas eis præscriptas, qui cum fructu legere cupiunt Patres Ecclesiæ: porro Cavei regulas supposititia a genuinis Patrum scriptis discernendi: Anonymi regulas ad distinguendas optimas Patrum editiones a malis & mediocribus: ejusdem regulas dijudicandi scriptorum ecclesiasticorum dogmata: Melch. Cani regulas dignoscendi bonos historicos a sequioribus: Launoii regulas vera Martyrum & Sanctorum acta discernendi a fabulosis traditionibus. *Artic. III* necessitatem Critices edisserit, eamque demonstrat ex misero statu, in quo superioribus seculis, quibus Ars Critica ignorabatur, fuerit S. Scriptura, Acta Martyrum & ceterorum Sanctorum, Historia ecclesiastica, scripta Patrum, Theologia, disciplinæque reliquæ. Inter
p. 33. hæc judicat, Criticam artem simpliciter necessariam esse ei, qui velit ad solidam Theologiæ cognitionem pervenire. *Artic. IV & V* fructus Critices enarrat. En eos! Critici (1) ex codicibus MSS. eruerunt verum textum cum S. Scripturæ, tum aliorum cujusvis generis librorum. (2) Optimas adornarunt editiones Script. S. & versionum ejus, item optimos in eam commentarios, Introductiones in ejus lectionem, Claves Scripturæ, Thesauros Philologicos, Grammaticas sacras, Concordantias, &c. (3) Ediderunt Tomos Conciliorum cum annotationibus. (Hac occasione Noster recenset omnes Conciliorum editiones: cujus generis digressiones ex historia literaria facit quotis data occasione.) (4) Scriptores ecclesiasti-

cleſiaſticos accuratiſſime ediderunt. (Hic editiones Patrum Græcorum & Latinorum recenſet.) Quædam Patrum ſcripta in Gallicam linguam traduxerunt: Bibliothecas Patrum congeſſerunt: Catalogos ſcriptorum eccleſiaſticorum ediderunt. (5) Emiſerunt recenſiones menſtruas librorum recens editorum. (Hic de Diariis eruditorum diſſerit eorumque autoribus.) (6) Ad illuſtrandam hiſtoriam eccleſiaſticam chronologiæ navarunt operam & geographiæ: compoſuerunt quoque ſumma induſtria corpus hiſtoriæ eccleſiaſticæ. (7) Emaculârunt hiſtoriam Sanctorum. (8) Theologiam poſitivam, ſcholaſticam & myſticam emendarunt. (Hac occaſione multa inſerta ſunt de hiſtoria Quietiſmi.) (9) Varias ſuſtulerunt ſuperſtitiones eccleſiaſticas. (10) Optimas adornarunt editiones autorum profanorum. (11) Societates eruditas inſtituerunt. (12) Ad ſummum faſtigium evexerunt eloquentiam ſacram & profanam. (13) Compoſuerunt ipſi libros præſtantiſſimos. (Hic proponit regulas conſcribendi bonum librum.) (14) Optimas concinnarunt verſiones. (Hic ex Leſtangio novem proponit regulas interpreti obſervandas.) (15) Illuſtrarunt vetera diplomata, numiſmata & inſcriptiones. (16) Philoſophiæ atque philologiæ magnam lucem intulerunt. (17) Artes reliquas ad ſummum provexerunt perfectionis gradum. (18) Multos errores inveteratos in hiſtoria ſuſtulerunt. *Artic. VI* hiſtoriam Critices perſtringit. Primo notat, veterum Criticam conſtitiſſe in meris diſcuſſionibus grammaticis, adeoque Criticum tum nihil aliud fuiſſe, quam perfectum & ſolide eruditum Grammaticum. Deinde potiores antiquos Criticos, facto ab Ariſtotele initio, recenſet, in eorumque numero illos Patrum eccleſiæ ponit, qui vel de autoritate, ſtylo, interpretatione S. Scripturæ egerunt, vel alia ſecretioris Critices argumenta tractarunt. Maxime Origenem, Euſebium & Hieronymum inter Criticos referri oportere cenſet. Summum tamen Critices faſtigium tribuit ſeculo XVII, quanquam, arte typographica obſtetricante præbente manus, etiam ſuperioribus ſeculis, maxime ſexto decimo, multi fuerint ac magni artis Criticæ cultores. Ceterum Criticorum recentiorum nomina præterit ſilentio, nimiam cauſatus eorum multitudinem. *Artic. VII* commemorat, ſe in ſequentibus diſſertationibus ſub examen eſſe revocaturum horum

ſex potiſſimum Criticorum ſententias, Simonii, Tillemontii, Dupinii, Nat. Alexandri, Bailleti & Ruinarti: quorum & vltam paucis recenſet, elogia adjungens præclariſſima. Finita ſic Diſſertatione præliminari, ſuſceptum aggreditur negotium, ac *Diſſertationis ſecundæ parte priore* regulas Criticorum præcipuas circa veterum ſcriptorum eccleſiaſticorum teſtimonia examinat, oſtenſurus, eas non ſemper obſervatas fuiſſe a laudatis illis ſex Criticis. Quanquam an regulæ illæ ſemper ſint veræ, jam non diſpiciemus. Certe Autor noſter ſectæ ſuæ præjudiciis involutus multas noſtratibus Criticis regulas præſcripſiſſe videbitur, quæ calculum haud mereantur. Sic ſtatim *Artic. I* pro axiomate ponit, ſummam habendam eſſe reverentiam antiquis ſcriptoribus eccleſiaſticis. Hoc quidem agnoviſſe oſtendit Tillemontium, Dupinium, & Nat. Alexandrum, qui tamen ſinguli allatæ regulæ ſe immemores ſæpius præbuerint. Hinc *Tillemontium* notat, epiſtolas Abgari & Chriſti mutuas propter teſtimonia veterum pro genuinis habentem, alias tamen hiſtoricas non paucioribus Patrum teſtimoniis nixas in fabularum cenſum rejicientem: *Dupinium*, teſtimoniis veterum inductum, Barnabæ epiſtolam pro genuina agnoſcentem, item Clementis epiſtolas duas ad Corinthios, ſeptem epiſtolas Ignatii, rejicientem tamen, ſpreta Patrum omnium autoritate, libros Sibyllinos: *Nat. Alexandrum*, ſcribentem, ſe autoritate veterum ſcriptorum & Patrum eccleſiæ permotum verſus Sibyllinos, ſeptem Ignatii epiſtolas, libros Dionyſii Areopagitæ, epiſtolas Pauli & Senecæ habere pro genuinis; eundem tamen, regulæ ſuæ oblitum, pro ſuppoſititiis habere epiſtolas Jeſu & Abgari, epiſtolam Barnabæ, Pimandrum Mercurii Triſmegiſti. Contra cum R. Simonius autoritatem Patrum valde extenuet, eum tamen non aliud ſuæ opinionis de verſione τῶν ὁ fundamentum habere obſervat, quam autoritatem Patrum. *Artic. II* hanc ponit regulam: Non debent rejici teſtimonia veterum, niſi firmis rationibus abducamur in alteram partem. Rurſus oſtendit, ſibimet ipſis regulam hanc præſcripſiſſe, ſed & eam violaſſe ſæpius, Tillemontium, Dupinium & Nat. Alexandrum. Namque infirmis uſum rationibus contra tot Patrum teſtimonia Tillemontium negaſſe iter Pauli Apoſtoli in Hiſpaniam: Dupinium negaſſe, quod Pantænus in India repererit Hebraicum

Mat-

Matthæi evangelium, item, quod Petrus priorem ſuam epiſtolam Romæ ſcripſerit, porro, quod Canones Apoſtolici ſint genuini: N. Alexandrum vero non vereri hiſce formulis uti: *Epiphanius deceptus eſt: Severo Sulpitio non eſt fides adhibenda: Gregorius Turonenſis facile errat.* *Artic. III* prohibet, ne quis Criticus teſtimonia veterum labefactet reſponſionibus parum ſolidis. Hinc N. Alexandrum reprehendit, quod Irenæi verba de Nicolaitis, Hieronymi de epiſtola Barnabæ, in alienum detorſerit ſenſum. Idem argumentum *Artic. IV* & *V* proſequitur, notatque Criticos, quod, cum veterum teſtimoniis urgeantur, modo dictitent, illorum opera fabulis ſcatere, modo, eos fuiſſe credulos, modo, eos rem magis panegyrice & poetice proferre, quam hiſtorice: idque exemplis probat ex Tillemontio, Dupinio, Bailleto, Sirmondo petitis. *Art. VI* hunc ponit canonem: Non debet rejici autoritas Patrum eccleſiæ, ſi diverſum tradant hæretici. Indignatur itaque, Tillemontium, Dupinium & N. Alexandrum, item Mabillonium, Valeſium & Launojum, ſcribere, multos errores in hiſtoria eccleſiaſtica detectos eſſe ab hæreticis. *Artic. VII* præcipit, non debere tribui ſcriptoribus eccleſiaſticis opiniones, quas non habuerint. Hoc autem factum eſſe a Morino, Bailleto & Tillemontio, exemplis docet. *Artic. IIX* hanc perſequitur regulam: Non debent diſſimulari veræ veterum ſcriptorum ſententiæ. Hic caſtigat Dupinium, quod refellens traditionem de itinere Pauli Hiſpanico, ad multa Patrum teſtimonia ſibi contraria reſpondit, eos rem retuliſſe non ut factum certum, ſed tanquam conjecturam: cum tamen contrarium ſatis conſtet ex diſertis ipſorum verbis. *Artic. IX* docet, æquitati adverſari, autori veteri, cujus teſtimonium noſtræ ſententiæ faveat, inſignes tribuere laudes: e contrario eum contemtim tractare, qui ſententiæ noſtræ repugnet. Hinc Nat. Alexandrum notat, quod Joſephum nimis exagitet tanquam fabuloſum & minime accuratum ſcriptorem: & Tillemontium, qui idem faciat in Epiphanio. *Artic. X* hanc proponit regulam: Perperam fit, cum idem teſtimonium veteris cujuspiam ſcriptoris uno loco approbatur, alio rejicitur. Id a N. Alexandro, Dupinio, Bailleto & Tillemontio factum eſſe, exemplis oſtendit. Denique *Artic. XI* recentiores notat Criticos propterea, quod ſibi videantur plus ſapere ſcriptoribus anti-

quis & acutiusvidere, adeoque eos præ ſe contemnant. Obſervat, id non a Proteſtantibus ſolum Criticis fieri, ex quibus nominatim producit Clericum, verum etiam a pontificiis, Dupinio, Simonio, Tillemontio, N. Alexandro, quorum verba hanc in rem adducit. Sequitur *Pars* hujus Diſſertationis *poſterior*, qua notat Criticorum vituperabilem morem, libros, quos ſuppoſitos eſſe agnoſcunt, pro teſtibus citandi ex iisque ſuas probandi ſententias. Id quod probat de Conſtitutionibus Apoſtolicis, Clementis Recognitionibus, Pſeudo-Abdia, & aliis vel nullius vel obſcuræ autoritatis libris. Ceterum hac oblata occaſione *Artic. IV* Metaphraſtæ cauſam tuendam ſuſcipit, ejusque autoritatem a Criticis plus juſto elevari contendit. Atque ut appareat, Metaphraſtæ additamenta non vitiare hiſtoriam, ſed tantum interjecta eſſe ad parandam attentionem aptiusque connectendas periodos, exhibet ex Codice MS. Bibliop. 225 ſeqq. thecæ regiæ Vitam S. Nicephori, inſtituitque collationem cum ejusdem Vita a Metaphraſte edita.

Differt. III proponit regulas Criticas, quatenus adhibentur in hiſtoria eccleſiaſtica & ſcriptis veterum, fundatas in conjecturis. In ſingulis oſtendit, contra eas peccari a Criticis præſtantiſſimis. *Artic. I* ex Criticis recenſet Criticas regulas, cum generales, tum ſpeciales, quæ obſervandæ ſunt ad veros libros dignoſcendos a ſuppoſititiis, & ad veram hiſtoriam diſcernendam a fabula. Ubi ex poſterioribus demonſtratum it, in bello M. Aurelii Imp. contra Quados & Marcomannos omnino pluviam miraculoſam a militibus 254. Chriſtianis impetratam eſſe. *Art. II* diſſerit de argumento negativo, ſive de eo, quod ducitur a ſilentio veterum. Ubi §. *1* ex Dupinio hoc argumentum proponit certis circumſcriptum limitibus: ſimul tamen oſtendens, ſi hæ Dupinii regulæ ſint firmæ, multos veterum libros ſuppoſititiis fore adſcribendos, qui ab ipſo Dupinio & ab aliis agnoſcantur pro genuinis. §. *2* Monſtrat, Criticos, cum ſæpius argumento illo negativo utantur, eosdem tamen illud labefactare, cum id ipſis opponatur: adeoque hoc ipſo ſibi contradicere. Et §. *3* plura Criticorum affert exempla hoc argumentum rejicientium. *Art. III* examinat argumentum a convenientia, poſſibilitate & veroſimilitudine ductum, quod ſæpe Critici opponant luculentiſſimis veterum teſtimoniis. *Art. IV* de conjecturis

agit,

agit, quæ nituntur ſcriptis fabularum plenis, item impoſſibilitate rei ipſius. *Art. V* conjecturas expendit, quæ ducuntur ex titulis, inſcriptionibus & ſubſcriptionibus temporis, quæ cum factis vel monumentis, quorum veritas probanda ſuſcipitur, non concordant. *Art. VI* diſſerit de conjecturis, quæ ducuntur a tempore, quo libri ſunt ſcripti, & quo factum contigit: item ab additamentis, quæ veterum libris inſerta creduntur. *Art. VII* agit de conjectura, quæ a ſtylo autorum ducitur. Quod argumentum poſtquam oſtendit ſemper maximi ponderis habitum fuiſſe, id tamen omni exceptione majus eſſe negat. Affert exemplum Boilavii Deſpreaux, qui, cum alias ſtylo utatur diverſo a Balſacii & Vetturii dicendi genere, duas tamen epiſtolas ſcripſerit, quarum altera omnibus viſa fuerit a Balſacio, altera a Vetturio ſcripta. *Art. IIX* diſſerit de conjectura ducta a dogmatibus, quæ poſt mortem autoris demum in uſu fuerint: *Art. IX* de conjectura, quæ nititur citationibus veterum, ex aliquo libro factis, in quo ea adhuc reperiuntur: *Art. X* de primariis regulis Criticis conjuncte ſumtis ad libri alicujus *vo-θεσιαν* demonſtrandam. *Art. XI* eam ponderat quæſtionem, an plures conjecturæ conjunctim ſumtæ demonſtrent alicujus hiſtoriæ falſitatem. Hinc probari poſſe credit, hiſtoriam de certamine Petri p. 301.
cum Simone mago eſſe fabulam, quæ tamen a Nat. Alexandro, Tillemontio & Bailleto defendatur pro vera. Denique *Art. XII* excutit generalem & præcipuam regulam Criticam, a Dupinio propoſitam, quod ſcilicet judicio adhibito rationes in utramque partem allatas ponderari oporteat. Quam regulam eſſe infirmam, inde manifeſtum eſſe putat, quod unusquisque Criticorum ſibi videatur rem optime expendiſſe.

Diſſert. IV Criticas regulas applicat ad Acta Martyrum, cumque Acta ſincera & ſelecta primorum martyrum, a Ruinarto edita, Criticis quaſi pro norma habeantur, ad quam alia id genus ſcripta exigi par ſit, primo ipſa illa Acta pauliſper examinat, & *Art. I* docet, Acta illa non omnia parem mereri autoritatem, ſed ea quinque eſſe generum. Alia eſſe Acta judiciaria proconſolum & præſidum: alia a Chriſtianis, quibus cognitioni intereſſe licuit, ſcripta: alia a Chriſtianis deſcripta ex originalibus judicum actis: alia denique excerpta eſſe ex libris ſcriptorum eccleſiaſticorum. *Art. II* oſtendit.

dit, plura esse Acta Martyrum a Ruinarto omissa, quæ tamen in ejus Syntagmate merebantur locum. Imo putat, tot Acta Martyrum ibi omissa esse, ut facile volumini non mediocri complendo sufficiant: eaque recenset. Contra *Artic. III* docet, apud Ruinartum Acta quædam reperiri, quæ Criticis suspecta sint. Sic, observante Nostro, Historiam S. Jacobi, quæ primum in Ruinarti opere occupat locum, Dupinius & Arnaldus plane rejecerunt ut fabulosam: Acta S. Justini pro supposititiis declaravit Papebrochius: Acta S. Saturnini rejecit Nat. Alexander. Imo *Art. IV* & *V* docet, secundum regulas Criticas Bailleti & Tillemontii pleraque Ruinarti Acta repudianda esse. Hinc *Parte posteriore* hujus Dissertationis regulas Tillemontii & Bailleti criticas proponit ad discernenda vera Martyrum Acta a suppositiis, easque illustrat copiosius.

Dissert. V sub censuram vocat Simonii regulas Criticas, quas ille præscripsit ad vertendam S. Scripturam accuratius, quam adhuc factum est. Adductis illis regulis sententiam Simonii, contendentis, textum Hebræum esse pro originali habendum, adeoque versionem ad eum institui oportere, *Artic. III* refutat ex eo, quod ita Versionis vulgatæ autoritas infringatur, quæ tamen approbata & pro norma fuerit proposita Tridenti in Concilio generali. *Art. IV* ex ipsius Simonii principiis deducit, textum Hebraicum non posse poni pro fundamento versionis novæ, cum & ante & post captivitatem Babylonicam multa menda in eum irrepserint: quod tamen factum esse Noster negat. Porro cum Simonius statuat, etiam primis a nato Christo seculis Scripturam S. a Judæis neglectam variisque corruptionibus locum datum fuisse, Noster eum refellit ex eo, quod ipse olim contrariam tuitus sit sententiam adversus Vossium. Denique ex Simonii principiis sequi docet, ne Masoretica quidem Biblia esse satis magna autoritate prædita & ab omni nævo libera. Ceterum cum Simonius jubeat Hebræum prius textum, quam versionem quispiam aggrediatur, restitui in integrum, idque ductu antiquarum versionum; Noster *Art. V* hocce consilium secundum ipsius Simonii principia rejicit, quippe qui omnes versiones habeat pro mendosissimis. *Art. VI* allatis rationibus rejicit regulas a Simonio datas ad emendationem faciendam versionis

nis LXX virialis. *Art. VII* rejicit libertatem a Simonio datam interpreti mutandi accentus & puncta vocalia in textu Hebræo. Pari modo reliqua Simonii præcepta, novo Scripturæ S. Interpreti observanda, expositis rationibus rejicit: & tandem *Artic. XIII* ad Simonianam N. T. versionem progreditur, scribens, contra eam præclara multa notata esse a R. P. Cherubino de S. Josepho, Carmelita, in *Bibl. Crit. Sacr. Tom. IV Diss. XIV Artic. X.* Addit quoque Censuras Cardinalis de Noailles & Bossueti in versionem illam.

Dissert. VI agit de usu Critices in historia ecclesiastica & scriptoribus ecclesiasticis. Ubi *Art. I* notat abusum Critices ad labefactandam religionem, commendatque Jesuitæ Laubrusselii *Traité des abus de la Critique en matiere de religion*, edit. Paris. 1711 tomis duobus in 12. *Art. II* ostendit, haberi quosdam libros pro supposititiis, qui tamen sint genuini: & quosdam, qui sint genuini, referendos esse inter supposititios, si standum sit regulis Criticorum. Speciatim §. 1 docet, easdem regulas, quibus Dupinius usus sit ad monstrandam veritatem epistolarum Ignatii, valere ad probandum, quod nec Sibyllina carmina, nec Abgari & Christi epistolæ mutuæ sint suppositiæ: & §. 2, si regulæ Criticæ, quibus usus N. Alexander carmina approbavit Sibyllina, firmæ sint, etiam Pimandrum Mercurii Trismegisti admittendum esse pro genuino. Idem argumentum per plura exempla deducit, ac fusissime exponit controversiam Gallorum de tempore & autoribus introducti in Galliam Christianismi, ita tamen, ut *Artic. VI* in eam propendeat sententiam, omnino Dionysium Areopagitam sec. 1 in Galliam venisse & evangelium docuisse.

Dissert. VII agit de defectibus artis Criticæ, inter quos primo loco (*Artic. I*) eum ponit, quod multæ sint voces, quarum veram claramque notionem nemo Criticorum exposuerit. Sic vocabulum *apocryphum* maxime ambiguum esse, ex Dupinio, N. Alexandro, Simonio & Tillemontio ostendit: hincque fieri, ut non semper sciamus, quid sibi velit unus ex quatuor citatis autoribus, cum librum quempiam vocet *apocryphum*. Idem probat de vocabulo *canonicum*. Alter defectus (*Art. II*) est, quod nemo notavit gradus autoritatis, quos habeant testimonia veterum. Pluribus deinde notatis Criticæ artis defectibus *Artic. IIX* circumspi-

cit rationes principia artis Criticæ reddendi firmiora, & veterum teſtimoniis conjecturisque Criticis duo alia adjungit principia, Traditionem & Uſum ſive conſenſum Eccleſiæ. Ceterum ne Traditio rationalis & Critica confundatur cum traditionibus ineptis & falſis, certas proponit regulas, quæ ſequuntur : (1) Res ipſa nil debet continere vani aut ſuperſtitioſi. (2) Præſumi debet, Eccleſiam & Epiſcopos, qui primi aliquam hiſtoriam receperunt, ſatis fundamenti habuiſſe, cur eam pro vera haberent. (3) Si locus ſit dubitationi de veritate uſus vel facti, adeſſe debent illius demonſtrationes claræ certæque. (4) Uſus & facta nil debent habere indecens, ridiculum, improbabile vel manifeſto fabuloſum. (5) Traditiones nihil debent habere contrarium tempori illi, quo eæ res contigiſſe dicuntur, nec perſonarum, de quibus aliquid traditur, conditioni. (6) Illæ traditiones non debent eſſe impugnatæ vel rejectæ ab autoribus συγχρόνοις aut aliis autoritate valentibus. (7) Diſpici debet, utrum hiſtoriæ ipſi inſint manifeſtæ contradictiones, an tantum aliquæ circumſtantiæ non bene quadrent ad factum primarium. (8) Debet ſatisfieri poſſe difficultatibus oppoſitis. Ceterum in cenſum rationalium traditionum refert hiſtoriam de nominibus parentum Mariæ virginis : de Chriſto d. 25 Decembris nato : quod aſinus & bos fuerint in ſtabulo, ubi natus eſt Chriſtus : quod Magi fuerint tres, itemque reges, &c.

LETTRES DU ROI LOUIS XII.

i. e.

LITERÆ LUDOVICI XII, GALLIARUM Regis, & Cardinalis GEORGII AMBOSII; acceſſere & Literæ aliorum quamplurimæ, Documenta item & Mandata Legatorum, ab Anno 1504 usque ad annum 1514.

Tomi IV.

Bruxellis, apud Franciſcum Foppens, 1712, 8. Alph. 4.

CUm dubiam hiſtoriarum ſeriem, de qua plurimi conqueruntur, ex documentis authenticis firmari maxime conveniat, bene utique hiſtoriarum cupidis conſuluit, quisquis has Literas Ludo-

dovici XII, vel ut verius dicamus, Acta publica res geſtas Ludovici XII. illuſtrantia collegit. Etenim Regis ejusdem literæ partem minimam efficiunt, majorem occupant epiſtolæ Maximiliani I Imperatoris, filiæ ejusdem Margarethæ Auſtriacæ, Ferdinandi Arragonum Regis, Summorum Pontificum Julii II & Leonis X, Henrici VII, Regis Angliæ, Legatorum & Ducum Militarium, ut & ipſorum mandata, & documenta publica, quæ vario idiomate, utplurimum Gallico, interdum Latino, Italico atque Hiſpanico, conſignata reperias. Continent vero res præſertim a fœderis Cameracenſis ſociis contra Venetos geſtas, controverſias a Carolo Geldriæ Duce agitatas, & alia, quæ enumerare ſingula ſupervacaneum foret. Præfationis loco præmittuntur characteres Principum & Illuſtrium Virorum, quorum geſta hæc monumenta concernunt, iique paucis quidem verbis comprehenſi, quæ vivam tamen velut imaginem ob oculos ponunt. Nec ingratum forte fuerit, ex his quoque pauca delibare. Ludovicus XII, optimus ſine dubio, qui Galliam imperio rexit, nomen Patris Populi meruit, quod paterno fere amore cives ſuos complecteretur. Candoris & integerrimi animi teſtes ſunt literæ, a quibus omnis adulatio longiſſime abeſt. Præterea in eo fuit imprimis fortunatus, quod ſummo Status Miniſtro Georgio Amboſio uſus eſt, Viro quem unica boni publici cura urgebat, quippe nec timor eum nec privati commodi ſpes unquam ſollicitavit, adeo, ut illius conſiliorum fructum hodienum Gallia experiatur. Julius II Pontifex, armis magis gerendis, quam ſacris peragendis natus, eoque *Julii ſecundi* nomen merito adoptans, cum Venetos toti Italiæ tremendos, & univerſæ Europæ exoſos, coercere vellet, fœdus adverſus illos iniit, a quo tamen mox iterum reſiliit. Eadem fraude Gallos in Italiam pellexit, ut gentem ſibi inviſam bello adeo remoto perderet, eoque & Arragonum Regem fœdere ſibi junxit, ac regnum alienum, quo firmius ipſum ſibi obſtringeret, in illum non ſine ſumma injuria transtulit. Sed jam ex ipſo quoque Opere nonnulla, adjiciamus. Franciſcum I, tum Comitem Engoliſmenſem, a Philippo Caſtellæ Rege ipſiusque Conſiliariis Delphinum nominari deprehendimus, quamvis ex Tabulis Donationis Humberri, quas Leibnitius Cod. Jur. Gent. Dipl. T. I p. 158 inſeruit, ſatis conſtet, Filium ſolummodo Regis Galliæ

Præf. p. 44.

T. I p. 54, 57.

primogenitum, non vero quemlibet ex latere hæredem Regni, no-
p. 109. mine iſto eſſe compellandum. Ferdinandus Arragoniæ Rex, quem titulo *Catholici* ob Mauros tota Hiſpania depulſos & pietatem in ſedem Romanam Pontifex Maximus ornaverat, nihilominus ſusque deque habuit illius autoritatem, adeo, ut allato quodam in Regnum Neapolitanum Pontificis decreto, quod ipſi videbatur eſſe præjudicio, latorem, ſi deprehendi poſſet, ſuſpendi & ſingulos, qui opem illi tuliſſent, deterrimis carceribus includi juſſerit. Hen-
114. ricum VII Angliæ Regem animo agitaſſe, ut Ferdinandum hunc ab adminiſtratione Regni Caſtellani arceret, ſurrogato in locum ipſius Imperatore Maximiliano I, ex Legati Winckenfeldi literis
205. patet. Notari etiam meretur, Legatos Arragonicos Cæſareis ad Gallos miſſis litem de præcedentia moviſſe, ita quidem ut primo Legato Cæſareo ceſſuros ſe pollicerentur, alteri vero primarium ex ſuis præferri peterent, attamen repulſam ipſo Gallorum judicio tulerunt.

91. T. II traditur, Venetos, bello fere ad incitas redactos, Legatos cum ampliſſimis donis ad Turcarum Imperatorem (ſi vera eſt
236. fabula) miſiſſe, & auxilia ab ipſo enixe petiiſſe. Occurrunt ibidem literæ Cardinalium ad convocandum memorabile illud Concilium Piſanum, conſenſu Maximiliani I Imperatoris & Ludovici XII Galliarum Regis maxime munitum, ut Pontifici fœdifrago ægre
251. facerent. Mors Cardinalis Ticinenſis, a Duce Urbinatium ſub oculis fere Pontificis, ejusdemque ſatellitibus opitulantibus, pugione confoſſi, indignationi Pontificis imputatur, quam Cardinalis Bononia, nullo ejus mandato, ſimulato habitu diſcedens, & Ravennam ad Pontificem tendens, incurrerit.

188. T. III furor Julii II Pontificis in Gallos deſcribitur, qui eo usque proceſſit, ut allato nuncio, Brixiam a Gallis recuperatam, multosque ex Venetis cæſos, præ iracundia barbam ſibi vellicaret, tantoque ſimul timore corriperetur, ut Romæ ſe tutum non putans,
217. mari ſe credere animum induxerit. Invictiſſimi titulo, quem ſoli pæne Imperatori noſtro inter Chriſtianos vindicat Feltmannus de Tit. Hon. l. 1 c. 53 §. 12, Seldenus vero de Tit. Hon. P. I, p. 138. omnibus Regibus, imo minoribus nonnunquam Principibus tributum aſſerit, Ferdinandum Arragoniæ Regem in tabulis induciarum,

rum, quæ inter Maximilianum I & Venetos factæ sunt d. 6. April. 1512, insignitum invenimus. Culpam cladis Ravennatensis Raimundo de Cardona Pro-Regi Neapolitano tribuunt, qui conspecta strage a tormentis Gallorum inter Hispanos edita mox trepidans aufugerit. Maximilianum I Imperatorem serio id sibi proposuisse, ut dignitatem Pontificiam cum Imperatoria conjungeret, plures tradunt Scriptores, idemque confirmant literæ ab eodem Imperatore ad Legatum Paulum L. B. a Lichtenstein, & Filiam Margaritam Austriacam datæ, quæ hic exhibentur. p. 229. 324.

Tom. IV sistitur primo loco Diarium Electionis Pontificiæ Leonis X, ex quo de occultis seniores inter junioresque Cardinales litigiis, & improbis seniorum moribus, quorum aliqui tum temporis morbo quodam infami laborare crediti, facilis est conjectura. Exponitur & dissidium inter Maximilianum I Imperatorem, & Henricum VIII Anglorum Regem coortum, hujusque imprimis acerba verba notatu haud indigna videntur, quippe acriter conqueritur, quod quæ in illius gratiam fecerit, insuper habeantur omnia & cum ipso veluti puero, nulliusque consilii, virium aut fortunarum Principe ludatur; rationes etiam afferuntur, cur matrimonium inter Carolum tunc Castellæ Principem, & Mariam Henrici VIII sororem successu caruerit, quod id nimirum statuto tempore per curatorem contractum non fuerit, nec Imperator fœderis leges servaverit, & multa insuper in fraudem Anglorum fuerint peracta. 1. 331. 339.

NOTÆ AD SINGULOS INSTITUTIONUM & Pandectarum titulos, varias Juris Romani antiquitates, imprimis usum eorum hodiernum in Foris Germaniæ ostendentes. In usum Auditorii THOMASIANI.

Halæ Magdeburgicæ, ex officina Rengeriana, 1713, 4. Alph. 3 plag. 8.

CUm nostra & Patrum nostrorum memoria Viri egregie cordati & salutis publicæ amantes de incertitudine Juris, quo utimur, & ambagibus judiciarii ordinis graviter sæpius conquesti sint, factum quidem est, ut haud pauci vario conatu medelam rebus desperatis afferre laborarint, plerique tamen omnes, dum tol-

lendis effectibus magis, quam causæ morbi intenti, scopo suo exciderint. Illustris igitur Autor, quem a longo inde tempore tangendis corruptæ Jurisprudentiæ ulceribus invigilasse novimus, quod Ministros Regios ex Potentissimi Borussorum Regis mandato in novo Legum Codice perficiendo emendandoque Judiciorum Ordine occupari intellexisset, in hoc etiam boni Civis officium implere se posse credidit, si ad fontem contagii digitum intenderet, & quam ægrotanti Jurisprudentiæ Germanicæ medicinam omnium maxime conducere existimaret, in Præfatione, quam Operi huic præmisit, exponeret. Nimirum, uti protelationes litium, ni leges conniverent, glisscere haud possent, ita nec Causidicos, nec illos, qui juri dicundo præsunt, unice odio gravandos esse statuit. Magis videri, ut his, qui legibus scribendis adhibentur, res imputari debeat; qui tamen ipsi cum ea, quæ in Academiis hauserunt, bona fide ad usum transferant, culpam omnem in Academiarum nostrarum habitum hodiernum redundare. Has initio Pontifices Romanos eum in finem excitasse, ut per mancipia sua Professores Theologos, Canonistas & Philosophos, quos beneficii accepti memores decebat esse, imperio suo res omnes divinas & humanas submitterent. Huic intentioni promovendæ strenue inserviisse Jus Canonicum, quod jam Seculo XIII penetraverit ad Germanos, penes quos institutis Seculo sequenti Academiis ad instar Italicarum cum iisque introductis utriusque juris Professionibus, commixtionem legum peregrinarum & domesticarum, atque adeo incertitudinem earundem immane quantum adauctam fuisse. Quo igitur grassanti malo tandem occurratur, reducenda in Academias genuina Rectricis Prudentiæ principia hactenus neglecta, per leges certas circumscribendas negotiorum civilium formas, brevioremque litigandi viam definiendam, sola æquitate, non illa imaginaria quidem, sed evidenti & statui publico convenienti subnixam. A Professoribus interim præparandam ad ea sedulo Juventutem, Juris Justinianei nævos ingenue ostendendos, & quam illud minime anteferendum sit patriis Constitutionibus moribusque, inculcandum; detegendos fucos Juris Canonici, larvamque ei sanctitatis & utilitatis falso creditæ detrahendam. Sic demum spem superfore, Germaniam a tot tricis & incommodis, quibus hactenus premitur, libera-

liberatum iri. Ipſe equidem illuſtris Autor, ut inſtitutum hoc juvet, ad ſingulos Pandectarum titulos id breviter & quaſi per indicem agit, ut primo ea, quæ ad Jurisprudentiam Romanam, qua talem, referri nequeunt, ab iis, quæ propria eidem ſunt, ſegreget; deinde quam horum etiam exiguus in foris noſtris uſus deprehendatur, oſtendat. Quanquam vero Juris illius ſubſidiarium uſum, deficientibus ſcilicet conſuetudinibus & Imperii Legibus agnoſcat ad Tit. de O. J. §. 3, mox tamen in eam propendet ſententiam, Jus Juſtinianeum eatenus tantum valere, quatenus receptum ſit, receptionem autem, cum facti ſit, probandam eſſe ab allegante: quæ ſi de caſu, ubi in contrarium militat lex vel conſuetudo patria, intelliguntur, prioribus conſona ſunt & admitti facile queunt, ita ſi eo extenduntur, ut valeant, etiamſi Germanica Jurisprudentia non repugnet, a principio ante admiſſo aliena videntur.

Subjuncta eſt ad calcem ob argumenti ſimilitudinem *Conradi Sinceri* (quo ſub nomine latere voluit eximius JCtus *Joh. Georgius a Kulpis*) *de Germanicarum Legum Veterum ac Romani Juris in Republica noſtra Origine autoritateque præſenti Diſſertatio Epiſtolica*, quæ cum ſeparatim Lipſiæ 1682, 12 prodiiſſet, poſtea Kulpiſianarum Diſſertationum collectioni a doctiſſimo *Schiltero* inſerta eſt. Præſens editio id præcipui habet, quod in §§. diſtincta & ſummariis, quibus hactenus carebat, inſtructa, Notas quoque illuſtris Viri, in quibus oppoſita ſententiæ Kulpiſianæ a Schiltero in his Actis A. 1682 pag. 367 ſeq. diluuntur, exhibeat. Ex his nobis commemoraſſe ſufficiat, quæ de contentionibus inter Scabinos Lipſienſes Doctores & non-Doctores, quorum illorum *Jacobus Thomingius* arctiſſima Georgii Cracovii, Miniſtri Electoris, amicitia fretus, horum caput erat Hieronymus Rauſcherus Conſul Lipſienſis, de ejectis item e Senatu & Scabinatu Doctoribus, interque eos *Badehornio*, *Thomingio*, *Schelhammero*, *Hartmanno Piſtore* aliisque, ſed brevi poſt reſtitutis, in medium adducuntur; eo notabiliora, quo obſcurius & ſuppreſſis etiam nominibus hac de re tractant Annales Heidenreichiani & Schneideriani impreſſi. p. 49.

JO. MARCKII IN PRÆCIPUAS QUASDAM partes Pentateuchi Commentarius.

Lugduni

Lugdoni Batav. apud Samuelem Luchtmanns, 1713, 4. Alph. 6.

AUtor hujus Commentarii Celeberr. qui multis voluminibus tum hiſtorias quasdam præcipuas Pentateucho Moſaico comprehenſas, tum mandata quædam divina, aliaque dicta notabilia illic lecta, tum etiam vaticinia nonnulla breviora in illo reperta, hactenus explicavit, nunc illuſtranda ſibi ſumſit vaticinia illa longiora, quæ vatum maximus, & ſcriptorum ſacrorum primus, Moſes, Eccleſiæ Judaicæ ſimul & Chriſtianæ optimo Dei impulſu reliquit. Sunt illa ultima Jacobi Gen. XLVII - XLIX, reliqua Bilhami, Num. XXII - XXIV, & noviſſima Moſis Deut. XXIX - XXXIII, in quibus interpretandis ita ſe geſſit, ut, Hebræo textu cum verſionibus veteribus collato, vocum phraſiumque vim indagarit, monſtratoque rerum nexu, in ſenſum genuinum inquiſiverit, aliorumque expoſitiones examinarit. Tractationis initium fecit ab ultimis Jacobi verbis, quæ cum ob perſonæ loquentis, tum ob argumenti dignitatem præ multis aliis commendari merentur. *Dies* Geneſ. XLIX, p. 3. 29 notare putat ex familiariſſimo Scripturæ uſu tempus vitæ in his terris, quod non tantum per annos numerari ſoleat, ſed etiam ob eorum incertitudinem per dies & minora ſpatia debeat numerari. Pſalm. XXXIX, 5, XC, 12. Niſi quis malit per hos dies Iſraelis, cum ſequenti voce למות arctius connexos, deſignari tempus mortis ejus, quod tamen in eundem ſenſum generalem redeat. *Manum ponere ſub femore* olim fuiſſe ritum docet, in jurejurando adhiberi 5. ſolitum, qualis & ab ævo fuerit *ſublatio manus in cœlum*, Geneſ. XIV, 22. Cujus originem Autor noſter ſimpliciſſime repeti putat ſeu a robore præcipuo femoris prementis, pedibusque calcantis ſibi ſubjecta, ſeu a gladio illic geſtari ſolito, cui uni vel alteri ad necem ſubeundam ſe manum ſub femore ponentes ſubjecerint juran- 7. tes. Rationes, ob quas Jacob non in Ægypto, ſed in patrum ſuorum ſepulchro ſepeliri voluerit, quærendas cenſet in teſtanda ſeria averſione ab Ægyptiorum idololatria, & futura ſævitia, cui utrique cadavera illic relicta etiam exponi poterant, nec non in monſtran- 8. da certa fide, & immota ſpe futuri ex Ægypto exitus poſterorum, atque poſſeſſionis terræ Cananææ, denique & in oſtendendo ſic plenius amore ſuo tum in Deum, qui in terra Cananæa præ Ægyptiaca

ptiaca per ſecula multa eſſet colendus. אל שדי interpretatur *Deum ſufficientem*, ſupplentem ex inexhauſto ſuæ plenitudinis fonte omnes creaturarum populique ſui defectus. p. 17.

Myſterium crucis absque fundamento quæri putat in geſtu manuum Jacobi benedicentis, Gen. XLIIX, 14, ubi alia ejus ratio ſit in propatulo. 38.

Pro certo habet, quod Angelus v. 16 non ſit creatus, ſed increatus, Filius Dei, deſignatus populi ſui mediator. אחרים הימים Geneſ. XLIX, 1 notare poſſe opinatur *dies Meſſiæ*, & Nov. Teſt. propter Jacobi vaticinantis progreſſum manifeſtum ad dies Meſſiæ v. 10, dummodo præcedentium temporum fata non excludantur. Mavult tamen exponere de diebus ſequentibus, ſeu poſterioribus, cum oppoſitione ad præſentes, & priores elapſos vel omnes, vel etiam maxime ſerius futuros, ita ut eventus filiorum ſuorum a Jacobo vaticinante ſpectentur, qui contingerent illis poſthac, tum ante, tum poſt Meſſiam præſentem. 42. 65.

De reliquo cum dubitaverit *Joh. Clericus*, an hæc vaticinia ἀνυπολήξει a Jacobo, an vero a Moſe, aut alio quopiam Iſraelita dicta fuerint, Autor noſter opinatur, nullam juſtam eſſe rationem dubitandi, quin ipſiſſima hæc verba æque Jacobo moribundo, quam alii Iſraelitæ inſpirari potuerint, dum omnino pro inſpiratis debeant haberi. 69.

Nomine *Jehuda* Geneſ. XLIX, 10 notari putat tribum ex hoc Patriarcha oriundam, illis tamen non excluſis, qui ex aliis tribubus, varie disjectis, inde a ſchiſmate Jeroboami tum ante, tum maxime poſt captivitatem Babylonicam, huic aliquando adjungendi erant, ut in ejus quoque nomen tranſiret. 119. 120.

שבט exponit de virga regente & protegente, ſeu ſceptro, quod poteſtatis politicæ, inprimis ſupremæ, ſit ab ævo ſymbolum aptiſſimum, unde & Reges σκηπτέχοι & σκηπτροφόροι fuerint dicti. 126.

Hoc autem ſceptrum non præciſe de monarchico interpretatur, ſed de regimine politico cujuscunque formæ, eoque non prorſus independente, quale apud Jehudam fere ceſſavit cum captivitate Babylonica, ſed & qualitercunque dependente, cum ſuperiore, tum inferiore. 128.

Per *ſceptrum* putat nos directe duci ad exercitam ipſam regiminis poteſtatem, ſed per *legislatorem* ad perſonas has vel illas, quæ poteſtatem illam exercerent. 131. 132.

Pedes Jehudæ dici ſuſpicatur homines ejus tribus, qui pedibus uterentur ſuis, ſtando, eundo, &c. & ab illis membris ſuis ſynecdochice deſigna- 138.

tos. Unde *inter pedes ejus* ſit nihil aliud, quam in hominum illorum, non ſingulorum, duos pedes habentium, ſed plurimorum
p. 156. conjunctorum medio. *Schilo* exponit de Meſſia, futuræ tranquil-
176. litatis autore. Nullum pro præterito adventu Meſſiæ eſſe cenſet potentius argumentum, quam quod ex gentium vocatione ab ido-
370. lolatria ſua ad cultum veri Dei in Chriſto petatur. *Bilhamum* pro Syro Meſopotamico omnino habendum eſſe, contra *Andr. Maſium* evincit. Magum fuiſſe, ſatis prodere patriam, idololatriæ &
371. magiæ ab ævo deditam, ejusque dicta ac facta, nec non nomen הקסם *arioli*, nec non נחשים *incantationes*, quæ illi adſcribuntur
372. Num. XXIV, 1. Miraturque, quod multi interpretes Chriſtiani eum pro mago, idololatra, & Diabolico vate, qui malis artibus ad divinandum polleret, non habeant, ſed potius pro vero Prophetæ Dei veri, ab hoc revelationes accipere ſolito. Maximam fuiſſe
376. vim benedictionum & maledictionum *Bilhami*, Autor noſter credit, ſtulteque negari omnem divinationis, magiæ, incantationis, & maledictionis, quæ ab hominibus per colluſionem cum malis Spiritibus fiat, efficaciam, a ſacris non minus, quam profanis ſcriptoribus toties celebratam. Refellitque *Beckerum* operationes dæ-
377. monum inter homines negantem. Verba divina Num. XXII, 20,
391. *ſurge, & vade cum legatis*, pro vera habet conceſſione, non *phyſicæ* tantum, ſed & *morali*, imo pro juſſione directa ad majus opprobrium Balacki, & majorem ſalutem populi Iſrael. Ita, ut peccatum *Bilhami*, ſecundum hoc verbum itineri ſe committentis, conſtiterit in animi lætitia, cum qua iter hoc aggrediebatur, & ſpe vel propoſito maledicendi. Quo ipſo reliqua verba, prioribus a Deo adjecta, ſpreverit, ſperans, Deum, qui aliquid de priori verbo mutaverat, in reliquis etiam tandem flectendum fore. Aſinæ lo-
404. quelam veram & articulatam fuiſſe docet, nec phantaſticam aliquam viſionem, aut parabolicum ænigma locum habere poſſe in
448. ejusmodi narratione hiſtorica & continuata. *Bilhamum* mori optantem morte juſtorum XXIII, 10, potius prædixiſſe cenſet futuram ſuam cum perverſis ſortem miſerrimam, quam ut ſibi ſpem certam fecerit tantorum bonorum. Eleganti autem rhetoricatione demonſtraſſe, quanta eſſet populi Iſraelitici felicitas, minime
501. intra anguſtos hujus vitæ limites concluſa. Caſtra & tentoria Iſrae-

elita-

elitarum a Bilhamo conſpecta, & laudata, Num. XXIV, 6, futuræ eorum manſionis in terra Cananæa figuram fuiſſe opinatur. Negat, nomen ſtellæ Num. XXIV, 17, de aliquo luminari cœleſti, aut ſtella tempore nati Servatoris viſa a Magis, accipi poſſe. Et quamvis Davidem, ejusque regnum ab hoc vaticinio prorſus excludere nolit, Meſſiæ tamen præcipuas partes eſſe contendit. Nomen שֵׁת *Sethi* non pro appellativo habet, ſed proprio, quia nomina, quæ præcedunt & ſequuntur, ejusdem generis ſunt. Nec tamen Adami filium ſic appellatum locum hic aptum invenire, ſed vel urbis vel regionis alicujus, aut hominis genitoris, aut Regis apud ipſos Moabitas, aut in eorum vicinia fuiſſe. p. 502. 530. 534. 536. 541. 545. 546.

LAMBERTI BOS, GR. LING. PROFESSORIS Ordinarii, Exercitationes Philologicæ, in quibus nonnulla loca Novi Fœderis ex Autoribus Græcis illuſtrantur. Editio ſecunda multis partibus aucta. Accedit Diſſertatio de Etymologia Græca.

Franequeræ, apud Wibium Bleck, 1713, 8.
Alph. I.

PRodiit iſtud opus jam An. 1700 ſub διαλειμμάτων ſive Exercitationum Philologicarum nomine, jam vero Autori Celeberrimo placuit Græcum titulum rejicere, ac ſolum quidem Latinum ſervare. Dimidia vero parte fere auctæ ſunt iſtæ Exercitationes, quas inter continuam Græcorum autorum lectionem & interpretationem hinc inde locupletare ipſi fuit facillimum. Nos ergo ex recens additis pro more noſtro hinc inde quædam delibabimus. Ad Matth. V, 17 obſervatur τὸ καταλύειν, uſu Græcorum ſcriptorum & ſenſu etiam Sacri Scriptoris ita poſtulante, idem eſſe ac *abrogare*, *tollere*, *diſſolvere legem:* quum contra Cl. Autor Parerg. ſacrorum hoc verbum reddiderit, *explicare & ſolvere difficultates legis.* Ad locum Joann. I, 15 varia nec proletaria monentur. Κέκραγε ipſi eſt, *libere*, *aperte*, *& alta voce teſtimonium de Chriſto dedit*, & cum voce μαρτυρεῖν conjungitur, perinde ac apud Ariſtiden cum τῷ συνομολογεῖν. Ὀνείπου idem eſt ac περὶ ἐ εἴπου, quod exemplis in medium prolatis oſtenditur. Ἔμπροσθεν & πρῶτόν τινος εἶναι eſt *dignitate & præſtantia aliquem antecellere.* Adeoque Joan- p. 6. 57.

nes rationem reddit, quare de Chriſto prædicare ſoleat, quia
p. 73. eſt multum, quam ipſe Joannes, excellentior. Phraſin ἀπ' αἰῶνος Actor. III, 20 occurrentem illuſtrat, atque ex profanis autoribus oſtendit idem eſſe quod *ab antiquis temporibus*. Nos quidem iſtud ultro ipſi concedimus, ita tamen, ut addamus, eam ſignificationem N. T. Scriptoribus non tam ex Græcorum aliorum uſu, quam Helleniſtarum potius Judæorum conſuetudine fuiſſe familiarem, quippe qui vocem עולם in hac ipſa ſignificatione occur-
80. rentem nunquam non per αἰῶνα reddiderunt. Τὸ μεθεξῆς σάββατον Actor. XIII, 42 Grotius explicat *inter duo Sabbata*, Hombergius vero trajectionem aliquam ſatis audacem hic locum habere ſtatuit. Noſter vero Autor, Græcæ linguæ conſuetudinem reſpiciens, in qua adverbium inter articulum & nomen poſitum adjective explicandum eſt, ut ὁ ἔξω ἄνθρωπος, *homo exterior*, &c. reddit εἰς τὸ μεθεξῆς σάββατον, *ſequente Sabbato*. Particulam μεθεξῆς pro *poſtea* adhiberi ex Joſepho jam docuerunt alii: Evangeliſta vero v. 44 hujus capitis expreſſe addit: Τῷ δὲ ἐρχομένῳ σαββάτῳ, *veniente autem* (h. e. *ſequente*) *Sabbato*, noſtrique adeo Au-
135. toris explicationem confirmat. Locum 1 Corinth. IIX, 1, qui interpretes aliquantum vexavit, Celeberrimus Autor noſter, non ſine aliorum autoritate, quorum loca in medium prolata ſunt, parentheſin eſſe ſtatuit, eumque ita legendum putat: περὶ δὲ τῶν εἰδωλοθύτων οἴδαμεν (ὅτι πάντες γνῶσιν ἔχομεν. ἡ γνῶσις φυσιοῖ, ἡ δὲ ἀγάπη οἰκοδομεῖ. εἰ δέ τις δοκεῖ εἰδέναι τι, οὐδέπω οὐδὲν ἔγνωκε καθὼς δεῖ γνῶναι. Εἰ δέ τις ἀγαπᾷ τὸν θεὸν, ἔτος ἔγνωσται ὑπ' αὐτοῦ) περὶ τῆς βρώσεως ἐν τῶν εἰδωλοθύτων, οἴδαμεν &c. Poſt clauſam vero parentheſin in Latina interpretatione ſupplenda eſt vox *inquam*, hoc modo: *De eſu itaque immolatitiorum*, inquam, *novimus, nihil eſſe idolum in mundo*. Ad Epheſ. V,
185. 26, 27 oſtenditur, olim ſponſas nuptiarum die λετρῷ νυμφικῷ ablutas fuiſſe, & probatorum autorum loca huc facientia produ-
220. cuntur. Presbyteri a Paulo Apoſtolo 1 Timoth. V, 17 διπλῆς τιμῆς ἄξιοι judicantur, qua ipſa re Noſter ad Romanam militiam reſpectum habuiſſe judicat. In ea enim occurrebant *Duplares*, & *Duplarii*, quibus ob virtutem duplicia porrigebantur ſtipendia.
247. Vexatus eſt locus ad Hebræos XI, 19, ubi de fide Abrahami dicitur, quod

quod ille firmiter fuerit perſuaſus, poſſe Deum etiam ex mortuis filium reſuſcitare, ὅθεν αὐτὸν καὶ ἐν παραβολῇ ἐκομίσατο, *unde eum etiam in parabola accepit.* Autor Pareg. ſacrorum παραβολὴν explicat *projectam audaciam*, qualis in Abrahamo fuit, cum ex mandato divino filium immolare vellet. Noſter notiſſimam ejus vocis ſignificationem retinet, ſecundum quam ἐν παραβολῇ notat *per ſimilitudinem, quaſi, tanquam.* Τὸ ὅθεν autem reſpicit ad vocem νενεκρῶν, qua ipſa Sara indigitatur, cujus corpus, cum Iſaacum pareret, erat νενενεκρωμένον, Rom. IV, 19, Hebr. XI, 11. Hinc ſenſus Apoſtoli fere talis erit: *Reputans Deum vel ex mortuis poſſe ſuſcitare & reddere filium ſuum Iſaacum, ſi eum obtuliſſet, quemadmodum eum etiam primo, quum ipſi naſceretur, quaſi ex mortuis acceperat.* Apoc. XIV, 13 noſter Autor pro ἀπάρτι mutato accentu legit ἄπαρλι, & jungit non cum ἀποθνήσκοντες, ſed cum ſequenti ναί. Hic quidem oſtendit τὸ ἄπαρλι idem eſſe ac *abſolute, plane, omnino.* Deinde ex uſu aliorum demonſtrat, non incommode jungi cum τῷ ναὶ, habemus enim Jobi XIX, 4 ואף אמנם quod LXX verterunt: Ναὶ δὴ ἐπ' ἀληθείας, & Pherecrates apud Scholiaſten Ariſtophanis conjungit ἀπαρτὶ δή πω. Senſus itaque eſt: *Abſolute, plane profecto beati ſunt illi mortui, inquit Spiritus.* p. 299.

Addita vero eſt novæ huic Exercitationum editioni diſſertatio nec inelegans, nec inerudita de Etymologia Græca. In ea primo quidem removentur abuſus circa eam regnantes, dum a multis, Avenario imprimis, voces quædam compoſitæ, quarum in Græca exſtant ſimplices, ab Hebræis radicibus derivantur: alii vero, præcipue magni Etymologici Autor, alluſiones mirum in modum adfectant. Operæ ergo pretium ſe facere putavit Autor Celeberrimus, ſi in ea re aliquam operam poneret, Etymologiæque, quæ a quam plurimis negligitur, clariorem lucem afferret. Præſtitit quædam in vocabulis aliquibus N. T. quorum ſpecimen adjecit, ex quo nos paucula proferemus. Sic τὸ αὐθένλης, quod Avenarius male ab Hebraico אדון *dominus* derivat, oſtenditur rectiſſime deduci ab αὐτὸς & ἕνω, pro quo deinde eſt φένω, *occido*, ſignificatque adeo ratione originis, *eum qui ſe ipſe interfecit*, in quo ſignificatu adhibet Autor libri Sapientiæ c. XII, & alii, quos Lexicographi an- 18.

p. 26. notarunt. Vox θησαυρὸς vulgo ἀπὸ τῦ εἰς ἄυριον θεῖναι derivatur: commodius autem ab Hebræo אוצר, addito θ, quemadmodum ab
34. אפר *cinis* addito τ eſt τέφρα. Ναὸς non eſt a νέομαι *venio*, ſed a נוה vel νάω. *inhabito*. Plura Lector harum rerum curioſus apud ipſum Autorem noſtrum evolvere poterit.

Nachricht von der berühmten Stadt Erfurt in Thüringen.

h. e.

HISTORIA SUCCINCTA CIVITATIS ERfurtenſis, in qua ſimul jura Sereniſſimæ Domus Saxonicæ in eam ex monumentis fide dignis deducuntur.

Francof. & Lipſiæ, apud Joh. Chriſt. Martini, 1713, 8. Alph. 1.

AUtor nobis non cognitus, poſtquam aliquamdiu Erfurti hæſerat, optimorum monumentorum ſibi videndi copia facta animum ad ſcribendum appulit, tum ex ſcriptis, tum numismatibus ea quæ huc pertinent illuſtrans. Nec tamen primus is eſt, qui hac
c. 1. in re aliquid præſtare voluerit. Habemus enim Joh. Hundorphii Encomium Erfurtinum, Jo. Volprechti Halcyonium Evangelico-Erphordiacum, Jo. Mauritii Gudeni Hiſtoriam Erfurtenſem, ut alios plures, qui Thuringiam nobis delinearunt, jam taceamus. Hoc vero Noſter præcipuum habet, quod omne ſtudium adhibuerit in demonſtrando jure Dominii, quibus nempe illud priſcis &
2. recentioribus temporibus fuerit proprium. Primis autem & antiquiſſimis temporibus Thuringia inculta plane fuit, paludibus præcipue quamplurimis repleta, quas tamen ſequenti tempore terra opplevit hominum ſolertia, ſolumque frugibus ferendis multo
3. fecit aptius. Quum vero Hunni, Attila duce, majorem Germaniæ partem pervaderent, eo locorum, ubi Erfurtum poſtea condi cœptum, magna populi multitudo confugit, quæ ſe ibidem in paluſtribus ab Hunnorum incurſionibus liberam fore putavit. Tunc quidam, cui nomen *Erpes*, quem alii paſtorem, alii molitorem fuiſſe tradunt, ad Hieræ ſive Geræ profluentem, quæ propter adjacentes paludes tum erat multo prolixior, reliquos trajecit, unde

loco

loco iſti *Erpisfurtum* nomen adhæſit, quod etiam in priſcorum ſcriptorum monumentis ita ſcriptum offendimus. Acceſſit poſtea bellum inter Francos & Saxones, quo *Burgſcheidungæ*, celebre tunc ad Unſtrutum munimentum, deſtructa, plerique illius incolæ Erfurtum habitatum conceſſerunt. Francorum quoque Reges Merovæus & Dagobertus in vicinia, ille quidem Meroviciburgum, hic vero Dabertſtadium exædificarunt, qua re magnus huic viciniæ cumulus hominum acceſſit. Crevit ergo Erfurtum mercimonio c. 4. plurimum debens, ſed ante ſeculum nonum vel decimum muris deſtituta. Primis autem temporibus ab Imperatore per Comitem, pro iſtius ſeculi more, recta fuit, atque adeo Germanorum Imperatoribus ſubjecta. Demum Otto Magnus, quum bellis in Italia multum diſtineretur, quo Thuringiam & regiones adjacentes eo melius in fide contineret, filio Wilhelmo, qui Moguntinus erat Archi-Epiſcopus, ejus adminiſtrationem conceſſit. Is ergo palatium, quod Moguntinum dicitur, ibidem exſtruxit, eique pro ea, qua tunc pollebat, poteſtate bona quædam ſubjecit, in quæ jurisdictionem aliquam exercere jure ſuo potuit. An vero hac ipſa re Moguntino jus aliquod in ipſius civitatis libertatem acquiſitum fuerit, alii diſpiciant. Hoc certe conſtat, non Moguntinum ſolum Archiepiſcopum, ſed & Comites Glichenſes & Beichlingenſes, Nobiles item Pflugios & Vicedominos (Vizthumios jam vocamus) æque bona & jurisdictionem in hac ipſa civitate habuiſſe, nec tamen exinde jus aliquod in ipſam civitatem demonſtrare potuiſſe. Ceterum ea bona ſecutis temporibus jure vel emtionis vel aliorum pactorum ad Senatum Erfurtenſem devenerunt. Interea tem- 8. poris Erfurtenſes aliquoties bello preſſi cum Archiepiſcopo Societatem belli inierunt, quam tamen & cum Thuringiæ Landgraviis iniire multo commodius poterant & debebant. Imo Erfurtenſes fraude Dietherri Archi-Epiſcopi circumventi militare ipſi ſervitium (quod *ſequelam* vocamus) præſtare nulli dubitarunt, quod vi compulſi alio tempore repetere neceſſe habebant. Interim ta- 9. men urbs libertate ſua uſa eſt perpetuo, & licet inter Imperiales liberas locum non haberet, municipalis tamen titulo gaviſa eſt, cujus Senatus regalia quoque jura, ab Autore noſtro prolixe ſatis memorata, exercebat. Nec nullam poſtea Imperatores ejus curam habue- 10.

re,

re, qui, quum ipſi totam Germaniam regere non poſſent, Thuringiam Landgraviis ſubdiderunt, quorum hiſtoriæ prolixe recenſentur, e quibus conſtat, plurimam eo tempore jurisdictionis partem Imperatorio nomine Landgravios exercuiſſe, Archiepiſcoporum vero Moguntinenſium autoritatem non admodum Erfurti viguiſſe. Etenim iisdem temporibus Archiepiſcopi Moguntini Vicedominos ſuos Erfurti habuerunt, unde Gudenus, & qui a Moguntinorum partibus ſunt, perhibent, Vicedominatum Landgraviis ablatum nobili cuidam familiæ fuiſſe traditum, quæ hodienum ſupereſt. Sed ſtatus eorum temporum longe aliud ſuadet. Nam Ludovicus, qui a ſaltu animoſo Deſultoris nomen commeruit, cum filio cognomine Vicedominatum perpetuo exercuit. Imprimis autem Ludovicus IV acerbe admodum in Thuringia dominatus eſt, Imperatore tum temporis de jurisdictione eccleſiaſtica cum Pontifice Romano contendente. Nec minus Ludovicus V coram Imperatore cum Archiepiſc. Moguntino egit, qui ipſi objecerat, Landgravios primis temporibus miſeros fuiſſe & exules, usque dum Archiepiſcopi beneficio inclaruerint. At illo majores ſuos quidem ex aliorum potentia exulaſſe quaſi reſpondebat, ſtirpe tamen Regia oriundos fuiſſe: qui licet aliud jus in Thuringiam non haberent, hanc tamen in urbem poteſtatem jure poſtliminii tueri, eamq; Imperatorum literis & ſigillis comprobare poſſint. Addebat quoque, majoribus ſuis Vicedominatum in Thuringiam ab Imperatore fuiſſe commiſſum: contra vero novum illum Moguntinum Vicedominatum eſſe ſpurium, & Archi-Epiſcopo non poteſtatem aliquam, ſed curam duntaxat ſacrorum in Thuringiam & Erfurtum competere. Accedit quod frater ejus & ſucceſſor Hermannus exacto bello pacis conditionibus eo Moguntinum adegerit, ut juri in Thuringiam & Haſſiam renunciarit, nec urbis Erfurtenſis libertatem violaverit. Idem quoque Hermannus Palatini Saxoniæ dignitatem nactus eſt, quæ ab eo in Sereniſſimos Saxoniæ Electores hæreditario jure devoluta fuit, ita ut adhuc hodie jus in hanc urbem ipſis optimo jure competat. Reliqua hujus capitis
c. II. ſtrictim in medium proferri non poſſunt. Quod igitur ad tutelam a Saxonica domo huic urbi præſtitam attinet, notum eſt, eam quum ſe a Moguntinis undique premi ſentiret, Erneſti Electoris

ejus-

ejusque fratris auxilium impetrasse. Quum vero timeret, ne ipsi jus suum armata manu persequerentur, conventum est inter ipsos, ut pro præstando præsidio urbs Electoribus quotannis 1500 florenos solveret. Accedit, quod hæc pacta Budstadii An. 1516, postea quoque Numburgi renovarentur, quum constaret, non admodum sollicitos esse Moguntinos Archiepiscopos de commodo civitatis promovendo. Neque minus Erfurtenses A. 1516 Joanni Ernesto, Saxoniæ Duci juramentum fidelitatis præstiterunt. Tempore belli Germano-Suecici, quum a Saxonum partibus staret Erfurtum, Suecicas quoque copias recepit. Quomodo vero urbs ista libertatem demum plane amiserit, id multi adhuc recenti memoria tenent. Nimirum quum propter preces publicas contentio esset inter urbem & Archiepiscopum, hic tandem ab Imperatore impetravit, ut urbs proscriberetur, postea vero Gallorum ope adjutus eam vi subjugavit, & huc usque in potestate sua retinuit. Joannes Georgius II Elector de ea re a Consiliariis suis non satis monebatur, plura quoque falsa eo tempore commissa sunt, quæ vero ea de causa irrita fiunt, quia jus suum prius cuique satis debet esse notum, quam id alteri possit concedere. Joannes Georgius III jus in Erfurtum sibi integrum ab Imperatore pactus, technis tamen quorundum, quo minus id prosequi potuerit, fuit impeditus. Interea quidem salvum manere jus Serenissimæ Domui Saxonicæ, utique Noster arbitratur. c. 12. 13.

Pars posterior hujus operis numos Erfurtenses considerat, &, postquam Senatui jus monetæ vindicaverat, varios exponit variis occasionibus cusos. Primi fuerunt, quos motuum rusticanorum tempore Senatus e loculo S. Adolarii & Eobani argenteo cudendos curavit: sequuntur alii tempore motuum Interimisticorum, & pestis fabricati: item qui memoriam exercitii sclopetarii, & falsatæ monetæ illustrant: tandem qui Purim, vel festum libertatis Evangelicæ, pacem Westphalicam, & Jubilæum Academiæ A. 1693 celebratum exhibent. Autor occasione data de Erfurtensium familiis patriciis, peste, falsatione monetæ & exorta inde calamitate, statu item rei literariæ plura & notatu digna imm.iscet, sed nos ea, prolixitatem evitantes, jam suo loco relinquimus. Ceterum de fide nostri Historici certus esse poterit Lector, quippe c. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

quem ſcimus nudam ubique veritatem ſine ſpe metuve ſectatum.

ΜΗΚΩΝΟΠΑΙΓΝΙΟΝ, ſive *PAPAVER EX OMNI ANTIQUITATE ERUtum, gemmis, numis, ſtatuis & marmoribus æri inciſis illuſtratum.*

Noribergæ, typis Melchioris Godefridi Heinii, 1713, 4. Alph. 1 pl. 8½ & tab. æn. 28.

AUtor hujus Schediaſmatis eſt Societatis Leopoldinæ Naturæ Curioſorum Præſes, Illuſtris Lochnerus, Noribergenſium Æſculapius, in Societate illa *Periander* dictus. Is, ceu in dedicatione ad ſummum Virum Godefridum Thomaſium conſcripta teſtatur ipſe, ſuperiore anno cum ingenti morbo conflictatus, inter alia quoque vigiliis mirum in modum vexabatur, quibus abigendis variorum generum medicamina fruſtra ab eo ſunt adhibita. Tandem *papaveraccam Emulſionem* hauriens, mirifice ſe ſomno recreatum ſenſit. Quo facto grato in hoc papaveris germen animo, dum adhuc lecto adhæret, nec in publicum progredi audet, valetudinis aſperitatem literariis deliciis delinivit, & quæ ex omni antiquitate ad ejus laudem facientia noverat, congeſſit, unde tandem hoc, quod jam tractamus, ſcriptionis genus eſt enatum. Exornatum id eſt figuris æneis, tum numorum, tum ſtatuarum, tum aliorum ex antiquitate monumentorum, quæ hinc inde ex bonis autoribus petita ſunt, & maximam quoque partem in his Actis hactenus comparuerunt.

Prima vero Noſtri cura eſt, ut de papaveris apud veteres patria ſit ſollicitus, h. e. iis regionibus, in quibus magna olim ejusdem co-
p. 1. 1. pia proveniebat. Hic quidem primo Africa, inque illa Ægyptus
5. & Libya celebrantur, quare papaver etiam ad indicandam alicujus regionis ubertatem in antiquis numis adhibetur. Neque minus Aſia & Minoris potiſſimum provinciæ papaveri excolendo incubuerunt, quapropter & illud in quamplurimarum civitatum, quæ alphabetico ordine recenſentur, numiſmatibus tanquam fertilita-
17. tis inſigne apparet. In Europa ſeſe potiſſimum offert Sicilia, Apu-

lia,

lia, Hiſpania & Gallia, quæ papaver aluerunt, & ingenti frugum proventu maxime fuerunt celebratæ. Antiqui porro innumerabilem aliquem numerum deſignaturi papaveris grana & frumenti montes nominabant. Inde quoque Græca vox μήκων *arenam* denotavit, & meconites lapis, qui hoc ſemen exprimit, forte ex hujusmodi arenulis concreſcit. Μήκωτες ſunt etiam piſces gregales & minutiſſimi, & quod intra pinnam eorum eſt, dicitur *papaver*. *Papaveratæ veſtes* dicebantur ex tenuiſſimo filo contextæ, magnumque præ ſe candorem ac ſplendorem ferebant. A quibusdam tamen purpureæ dicuntur, quod non ipſum colorem, ſed ſplendorem ſaltem denotat. Nam Poetis & bonis autoribus *purpureum* idem eſt quod *ſplendidum*. Et hinc conciliatur notiſſima illa inter Evangeliſtas ἐναντιοφάνεια, quando Lucas XXVII, 11 ἐσθῆτα λαμπρὰν memorat, qua Servator ab Herode fuit indutus, quæ tamen ἱμάτιον πορφυρᾶν Marc. XV, 17, Joann. XIX, 2 & κοκκίνη χλαμὺς Matth. XXVII, 27, 28 dicitur. 22. p. 25. 27.

His ita pertractatis Mythologiæ campum ingreditur Autor Illuſtris, oſtendens, quinam ex gentilium Deaſtris cum papavere picti inveniantur, & quam ob cauſam illud factum fuerit. Hinc primum exhibetur *Ceres*, frugum inventrix, quæ ſpiceam coronam, ſed papaveribus intertextam in capite geſtat, ſpicamq; manu tenet, & paſſim in imagine ſua conſpiciendam exhibet. Monet inde, papaver *veſcum* ac *Cereale* dici, quia eſui fuit accommodum, & Μακωνίδας ἄ̓ελους memorati ab Alcmane apud Athenæum. Ipſa vero Ceres, quum filiam Proſerpinam quæreret, hoc cibo ad doloris oblivionem uſa eſt, quippe quod eadem ipſi, quæ celebratum illud Homeri Nepenthe, præſtitit: inde & locus, in quo fructum papaveris primo invenit, *Meconem* ſive *Cerealem* nominat, quæ poſtea Sicyonis nomen obtinuit. Numi porro & marmora Auguſteis ſeculis Auguſtorum capita ſub Cereris ſchemate ſpicis & papaveribus coronata exhibent, quale quid in Livia Druſilla, Julia Auguſta & aliis apparet. Factum eſt autem illud ideo, quod cum Imperatoribus ſæpius curarum partem ad procurandam frugum ubertatem, & invehendos commeatus ſuſceperint, populique ſic favorem alimentis ſalubri pretio diſtribuendis captarint. Cererem excipiat *Iſis* Ægyptiorum Ceres, in cujus ſacris papaver erat uſitatum, 35. 48. 53. 56. 59. 65. 76.

& in Iſiaci Sacerdotis inauguratione, cujus figura hic exhibetur,
p. 81. ſertum apparet papaveraceum. *Magna* quoque *Deum Mater* ſive *Tellus* cum papaveribus in antiquis monumentis exhibetur, Aſiæque urbes in ejus honorem, terrarum ſuarum fertilitatem & celebrantes & exorantes, numos papaveribus ornatus cude-
91. 96. 97. runt. *Proſerpina* porro, Cereris filia, *Diana*, & *Juna Lucina*
98. eadem inſignia ſpectanda nobis exhibent. Sequitur *Bacchus*, cujus triumphus ex vaſe aliquo onychino deſcribitur, & adductis in eam rem multis Poetarum locis illuſtratur. Occurrunt hic quædam de ciſtis myſticis Cereris & Bacchi, quæ Lector curioſus non
107. ſine voluptate evolvet. *Venus* adjunctum ſibi habet papaver, quippe cujus folia gratum amantibus præbebant ludum, quoties noſſe
120. volebant, an ii, quos amabant, ſui meminiſſent. Iisq; ſponſi in nuptiis in inſigne aliquod fœcunditatis augurium apparebant coronati. Reliquos Deaſtros, *Cupidinem*, *Floram*, *Triptolemum*, *Bonum Eventum*, *Pacem*, *Fidem*, *Spem*, Ἀγαθοὺς Δαίμονας, *Abraxas* Macedonianorum, *Harpocratem*, *Solem* & alios propter nimiam rerum varietatem a nobis non facile complectendam dimittimus. Ultimi ergo duo ſaltem memorabuntur, *Somnus* ſcilicet,
155. & *Mors* hujus frater. Ille, ut notum eſt, a papavere procuratur,
151. ejus autem ſimulacrum *Mors* ipſa eſt, quare utriusque imaginibus papaver appictum cernimus.

Ceterum erudita varietate opus hoc ubique eſt conſpicuum, quæ a nobis brevitati ſtudentibus vix potuit comprehendi, Lectores vero eruditionis amantes eo magis invitabit.

DE LA DIGESTION ET DES MALADIES de l'eſtomac.

h. e.

DE DIGESTIONE ET MORBIS VENTRICULI.

Lutetiæ Pariſiorum, apud Franciſcum Furnierium, 1712, 12.

Plag. 21.

EX quo clariſſimus Hecquetus tractatum *de diſpenſatione jejunii quadrageſimalis*, Menſe ultimo ſuperioris anni a nobis laudatum, publici juris fecit, tres potiſſimum expertus eſt adverſarios, qui partim ſyſtema triturationis ab illo ſtabilitum, impugnarunt

runt, partim fermentationis doctrinam confirmarunt, partim macrorum alimentorum eſum præ carnibus naturæ humanæ magis convenire, negarunt. Inter hos primum nominandus venit *Vieuſſenius*, Senior, qui *de natura & proprietatibus fermenti ſtomachalis Diſſertationem* Actorum Trevoltienſium Menſi Januario 1710 inſeruit. Eum excepit *Nicolaus Andry*, qui eodem anno edidit tractatum, cujus titulus: *Le Regime du Careme, conſideré par rapport a la nature du corps, & des alimens*, i. e. *Regimen jejunii quadrageſimalis, habito ad corporis & alimentorum naturam reſpectu*, a nobis nondum viſum. Quem ſecutus eſt Aſtrucius in libro *: Memoire ſur la cauſe de la digeſtion des alimens*, i. e. *Commentarius de digeſtione alimentorum*, Montispeſſulani 1711 edito, ſed ad nos nondum delato. Vieuſſenii equidem placitis Hecquetus jam libellum 1710 ſub titulo: *La digeſtion des alimens, pour montrer, qu' elle ne ſe fait par moyen d' un levain, mais celui de la trituration ou du broyement; contre l' article 13 des Memoires de Trevoux en Janvier 1710*, i. e. *Digeſtio alimentorum, ubi demonſtratur, eam non mediante fermento, ſed per triturationem vel conquaſſationem fieri, contra articulum 13 Actorum Trevoltienſium Menſ. Januar. 1710* oppoſuerat, ſeu ichnographiam potius tractatus, quem tum meditabatur, nos vero jam L. B. ſiſtimus. Qua ratione igitur ex Autoris ſententia alimentorum digeſtio perficiatur, & quæ juxta triturationis ſyſtema ſtomachicorum morborum ætiologia ſit, nunc breviter referemus.

Digeſtio ventriculi eſt operatio naturalis, per quam alimenta ita diſponuntur, ut poſſint nutrire. Nutritio vero talis eſt, per quam alimenta ita præparata partibus apponuntur nutriendis. Duplex hæc operatio ſupponit fluiditatem alimentorum, & convenientiam cum partibus alendis; quæ quidem convenientia per digeſtionem neutiquam acquiritur, hanc tamen fluiditas ſequitur. In digeſtione igitur non nova producitur ſubſtantia, ſed quæ antea in alimentis deliteſcebat, extricatur. Jam, quibus nutrimur, alimenta ex animalibus & plantis deſumuntur, quæ talem jam continent materiam, quæ hactenus pro nutritione fuit adhibita, hinc non opus eſt, ut naturam mutent hæc, ſed ſolum locum & ſpatium, i. e. cum illa animal jam vel plantam quandam nutriverit, per di-

P. I cap. 1.

geſtionem abit in nutrimentum hominis. Digeſtio itaque conſiſtit in disgregatione, ſeparatione & diſſolutione materiæ, quæ ſicut antea in animalibus vel plantis vaſcula conſtituerat, ita per di-
Cap. 2. geſtionem apta redditur, quæ in hominis vaſcula tranſeat. In ventriculo ulterius reperitur calor, non elixans, nec putrefactivus, nec macerans, ſed blandus & humidus, vaporis balneo optime comparandus. Oritur hic a miranda copia vaſorum cujuscunque generis, per tunicas ventriculi reptantium, ex quibus continuo nimbus ſpirituum vel atomorum ſpirituoſarum totam cavitatem replentium exhalat. Calor hic a perpetuo membranarum & muſculorum abdominis motu, propinquis vaſis majoribus, circumjacentibus viſceribus, & vapore calido ex inteſtinis aſcendente ſu-
3. ſtentatur. Multum quidam ſudarunt in œconomiam naturalem introducere fermentationem, & varia comminiſci cœperunt fermenta, quibus functiones hæ earumque ſtatus præternaturalis in
4. acceptum referri debeant, ſed fruſtra. Haud enim, ſano exiſtente corpore, ulla fermentatio locum invenit, quia 1) ſanguis non eſt liquor, qui fermentationi auſcultat; 2) quia motus ſanguinis eſt circulatorius, cum quo fermentatorius motus convenire non poteſt; 3) quia motus ſanguinis eſt perennis, blandus, ordinatus, tranquillus interim & imperceptibilis, & ſpiritus tam occulte moventur, ut ſuos motus non niſi per effectus demonſtrent; 4) quia multa anguſta & capillaria dantur vaſcula, per quæ fermentans ſanguis vehi non poſſet; 5) quia natura receptacula ſanguinis adeo ſollicite cuſtodivit ab aeris acceſſu, qui tamen ad fermentationem neceſſarius eſt; 6) quia ſanguis nunquam quieſcit, ſed ſemper in circulum agitur; 7) quia ſanguis tanquam ſuccus a prima pueritia jamdum depuratus fermentatoria perfectione non indiget; 8) quia ſpiritus, qui ex ſanguine prodeunt, nec ſunt acidi, nec vinoſi; 9) quia, poſito, quod alimenta, dum digeruntur, mediante fermentatione ad illum perfectionis gradum elevarentur, ſequeretur, quod ſanguis, qui ex fermentato illo chylo producitur, non amplius ca-
5. 6. pax ſit, ut fermentationem novam ſubeat. Nec fermentum aliquod ſano in corpore admitti poteſt; illud enim aut in ſanguine hoſpitaretur, aut in viſceribus. Sed in ſanguine non reperitur, quia mediantibus fermentis non poteſt depurari, cum jam ſit liquor ſa-

tis

tis purus; nec per illa in puritatis ſuæ ſtatu conſervari, aut a corruptione præſervari poteſt, quia liquor clarus adjecto fermento magis turbatur. Multo minus in viſcere quodam latere poteſt fermentum, ſive enim ſpiritus iſtud ſit, ſive humor, naturam certe fermenti in ergaſtulo exuet. Quis enim concipere poteſt fluidum vel volatile aliquod, quod continuo in motum proclive eſt, in angulo viſceris cujusdam nidulari & quieſcere poſſe, donec tempus appropinquet, quo ſuas actiones præſtet; quod omnino contra genium activorum fermentorum eſt. Quid? quod ſanguinis rapiditas non diu commorari patiatur ea in viſceribus. Ad hæc origo incerta eſt, quam fermentorum Patroni illi adſignant, & numerus tantus, quem intellectus vix capere poteſt. Cauſam quæris, quæ Cap. 7.
fermentorum doctrinam introduxit? ignorantia eſt, qua circa ſanguinis naturam detinentur Autores. Chymici certe ſanguinem diſſociando, texturam ejus rumpendo, particulas dilacerando, ſitum mutando, ordinem turbando, & figuram alterando, non tam bonas ejus nos docuerunt qualitates quam vitia. Pro naturali enim & vera cruoris ſubſtantia nobis obtruſerunt, quicquid mediante analyſi & ignis tortura ex eo extorſerunt. Inde enim orta ſunt ſalia volatilia, fixa, alcalia, acida, ſulphurea, ſpirituoſa; inde etiam natæ ſunt ideæ de fermento, fermentione efferveſcentia, &c. quorum tamen neutrum in corpore 8.
noſtro exiſtit. Vera autem ſanguinis conſtitutio omne excludit fermentum. Eſt enim ſanguis inſtrumentum vitæ & fulcrum ſanitatis, id quod mediante circulatione præſtat, quæ eſt motus liber, facilis, uniformis, imperceptibilis, non interruptus, ducens & reducens eum per tot myriades vaſorum anguſtiſſimorum, longiſſimorum & mille modis incurvatorum. Depuratus ſanguis eſt liquor, dulcis, mollis, levis, cuivis motui aptus, omni ſitui obtemperans; in longum ducitur absque ruptura, attenuatur absque attritione, communicat ſe absque jactura; particulæ ejus miſcentur absque confuſione, ſibi appropinquant absque unione, inter ſe pugnant absque perturbatione. Atque hæc omnia absque omni 9.
figurarum vel ſaporum figmento facili negotio comprehendi poſſunt. Imo ſtructuræ partium ſolidarum & organorum nullum præſens eſſe fermentum evincunt. Partes enim ſolidæ

ſunt

ſunt faſciculi vaſorum, hæc ſunt glomeres fibrarum, hæ elatores, qui premunt, conquatiunt, & agitant liquores, quos concludunt. Plures enim quam una ſunt ſyſtoles in corpore, nec ſolum cor eadem ſuperbit, quia nulla eſt pars, nullum vaſculum, quam ſubtile etiam illud fuerit, ſive arteria, ſive vena, ſive nervus, quin habeat oſcillationem propriam, i. e. ſuam vibrationem & contractionem. Hæc vis vibratoria in ſolo corde absque arteriis conſiderata æqualis eſt ponderi 3000 librarum in quavis pulſatione, ſed arteriarum vi adjuta tantum pollet, quantum pondus 135000 librarum in æquilibrio. Organa quod attinet, ſecretoria maxime, qualia ſunt glandulæ & cribra famigerata, ſuum exequi officium non poſſent, ſi eam obtinerent ſtructuram, quæ vulgo illis tribuitur. Hæ glandulæ deberent habere cavitates particulares pro recipiendo fermento; & hæ haberent poros aptos pro admittendo & rejiciendo fermento determinato, quod ſeparent. Verum hæ ſuppoſitæ cavitates circulationem ſanguinis in unaquaque glandula ſufflaminarent. Sanguis enim ex arteria effuſus & cavitati glandulæ materiam fermenti apportans in multo largiore ſpatio eſſet, quam antea, hinc quieſceret, & obicem poneret ſubſecuturo cruori, hinc circulatio ceſſaret. Nec figura pororum admitti poteſt; ſiquidem hi concipi nequeunt, niſi in vaſis fixis non mobilibus, quorum fibræ ſemper eundem ſervant ſitum & ordinem, cum tamen vaſa, ex quibus glandulæ conſtant, continuo ſyſtolen ſuam ſervent & fibras obtineant motrices & elaſticas. Imo recentiores
Cap. 10. Autores in dubium vocarunt, num illæ partes, quæ tale fermentum capere debent, e. g. cerebrum, pancreas, lien, renes, hepar, &c. glanduloſæ ſint. Nullum igitur vel fermentatio vel fermenta in corpore merentur locum. Motus enim inteſtinus non cadit niſi in liquores, qui ſua natura ſunt fluidi, nec ſuam fluiditatem ab externo corpore conſervant; quales ſunt aqua, vinum, lac, &c. Sanguis autem aliunde ſuam adipiſcitur fluiditatem, a corde videlicet, & arteriis pulſantibus, & quamprimum vis hæc externa ceſſat, ſtagnat ſanguis, figitur & coagulatur. Nec fluida, quæ ex ſanguine ſecernuntur, pro fermentis haberi poſſunt. Cum enim mediante fermentatione ſuccorum natura in apricum exponatur, & in ſpiritus, in volatilia, in ſulphurea transmutetur, neutrum in liquores corporis

ris noſtri cadit. In ſpecie menſtruum ſtomachale nullum obtinet Cap. II.
fermentum acidum; functio enim ventriculi conſiſtit in digeſtione, quæ nihil aliud eſt, quam ſolutio; hæc enim mollia ſolum reſpicit, cum e contrario acidum duris corrodendis & diſſolvendis dicatum induret mollia, inſpiſſet liquida, figat craſſa & lactea coagulet. Ad hæc cum omne acidum omnia ſolvere non poſſit, certe in ventriculo ſupponenda venirent tot acidorum, quot alimentorum genera. Quid? quod corpora, quæ ab acidis facile alias ſolvuntur, in ventriculo indigeſta remaneant. Imo producta ventriculi cum fermentationis effectibus nullo modo conveniunt, & alimenta, quæ fermentationi optime auſcultant, difficillime in chylum abeunt. Multo minus putandum eſt, liquorem ſtomachalem propter vim ſepticam fermenti nomen mereri, quia putrefactio in corpore nulla concipi poteſt; quæ enim putrefiunt, quieta eſſe debent; in ventriculo autem alimenta continuo moventur & agitantur: dein ſuccus ſtomachalis nil eſt, niſi ſeroſitas ſanguinis, quæ alias ante 24 horarum decurſum non corrumpitur, cum tamen digeſtio ſtomachi citius abſolvatur: porro putredo qualitas eſt præternaturalis, digeſtio vero actio naturalis. Nec vis ſeptica hæc ab aere concluſo, vel ſulphure concentrato, vel materia tranſpirabili retenta & acri reddita oriri poteſt; aer enim concluſus res a corruptione præſervat, ſed nec in corpore aer concluſus dici vel fingi poteſt, quia cum exteriore communicat; nec ſulphur in ventriculo latet, quanquam alimenta, dum digeruntur, vapores exhalent: multo minus concentratum hoc dici poteſt, cum ubique inveniat vias, per quas exitus ei pateat. Denique materiam tranſpirabilem retentam acrem vel ſalinam eſſe ſudor non probat, quia aeris contactus immediatus ei tum ſaporem communicat peregrinum. In ſecretionis negotio nullus fermento locus concedendus 12, 13.
eſt, quoniam omnis impulſioni, preſſioni & conquaſſationi ſanguinis in acceptum eſt referenda. Alimenta igitur quod concer- 14.
nit, mediante triturationе illa in ventriculo digeruntur; id quod præter autoritates ſtructura ſtomachi, & obſervationes ſufficienter demonſtrant. Stomachus enim eſt ſuccus membranaceus, variis fibrarum generibus munitus, quæ plures ſortiuntur nervos, quam validiſſimus quivis muſculus, i. e. ſunt muſculoſæ. His au-

tem contractis ventriculus a posteriori ad anterius & vicissim a diaphragmate ab inferiori ad superius & vicissim movetur, cui motui musculi abdominis non parum tribuunt. Hi enim in se spectati tantam habent vim, quæ æqualis est ponderi 248235 librarum; cui si jungatur robur ventriculi solius, quæ æqualis est ponderi 12951 librarum, sequitur, quod vis ventriculi quater superet vim cordis; & quod vis musculorum abdominis & stomachi conjuncta pondus 261186 librarum movere queat. Si trituratio & solutio chymica cum ea, quæ in ventriculo peragitur, conferatur, res clarior evadet. Trituratio chymica non bene succedit, nisi res, e.g. carnes & ossa animalium in frusta secentur, & diffringantur; id quod in trituratione ventriculi dentes præstant. In trituratione chymica rerum gummosarum & mucilaginosarum mortarium & pistillus calida sint, necesse est; ast ventriculus & partes vicinæ semper sunt calidæ. In trituratione chymica quædam opus habent alio corpore intermedio, ne, quicquid volatile vel spirituosum, perdatur; & hujus vires explet menstruum stomachale. In Chymia alia diffringi, lævigari alia postulant, antequam solutioni exponantur; & prius præstant in corpore diaphragma, hepar & stomachus, ad se invicem continuo allidentes, posterius vero motus peristalticus ventriculi. In Chymia quædam limantur & raspantur ante solutionem, & idem exequuntur inæqualitates palati in animalibus, rugositates & plicæ ventriculi, limæ in œsophago avium, & fabulum, quod eædem deglutiunt. Tandem in digestione chymica quædam nutriri optant, ne acria & salina evadant; id quod
Cap. 15. in ventriculo a lympha stomachali expectandum venit. Et quidni in hominibus trituratio locum habeat, cum animalia ruminatione eandem clare demonstrent, quod non solum in quadrupedibus,
16. sed & insectis, piscibus, & avibus aperte patet. Quid? quod pressio & trituratio in digestionibus Vegetabilium & Mineralium paritet
17. sit admittenda. Quanquam igitur Vieussenius multa huic triturationis systemati opponat dubia, non desunt tamen rationes, quibus illa penitus solvantur. Imo suppetunt argumenta, quibus ejusdem de fermentatione in digestionis negotio opinio funditus de-
18. struitur. Tota igitur œconomia animalis huic triturationi subjacet: vix nasci incipimus, ubi mox punctum saliens oritur, quod

motu

motu ſuo preſſionem reliquis partibus concedit, quæ preſſio dein per totum vitæ ſpatium continuatur; hinc & omnes ſecretiones, quæ in corpore humano contingunt, per preſſionem & trituratio- Cap. 20.
nem ſanguinis commode explicari poſſunt.

Quoniam igitur hoc triturationis ſyſtema partes ſolidas magis P. II. cap. 1.
quam fluidas reſpicit, meliorem profecto lucem affundet Medicis idem pro cognoſcendis morbis & eorum cauſis, indicationibusque exinde formandis. Sic plethora ſæpe dependet a ſanguinis abundantia, quam vaſorum conſtrictio cumulavit; & cacochymia nil aliud eſt, quam ſuccorum indigeſtorum ſeu non bene trituratorum coacervatio; intemperies autem impreſſio particularum ſeſe explicantium, & propter quietem a ſe invicem ſecedentium. Et obſtructio oritur a liquoribus per preſſionem tonicam fixatis & in motu impeditis. Humores bilioſi, pituitoſi, ſeroſi vel melancholici non aliunde niſi ab oſcillationibus vitioſis procedunt. Vaſa enim per irritationem ſtimulata præternaturaliter concutiunt humores, & producunt ſuccos vel male triturados, vel nimis attenuatos, vel diſcontinuatos. Atque eandem originem agnoſcunt ſapores acidi, alcalici, & ſulphurei. Sanitas enim in æquilibrio inter partes ſolidas & fluidas conſiſtit, inter quas tamen partes ſolidæ ſuperpondium retinent, ſiquidem vis ſanguinis ad vim pulſantem ſe habet ut 1 ad 1000, exinde neceſſario ſequitur, quod major ratio debeat haberi in morbis partium ſolidarum quam fluidarum. Cum 2.
igitur cauſæ, quæ vitam noſtram conſervant, nulli debeantur fermentationi, & motus inteſtinus ſanguinis, qui baſis fermentationis vulgo creditur, non detur, fruſtra etiam morborum cauſa fermentationi tribuetur. Vaſorum enim capacitas in morbis aut eadem ſupponi debet, qualis fuit in ſtatu naturali, aut aucta; ſi eadem, inſufficiens erit pro recipiendis fermentis, ſi aucta, multi ſuperflui ſucci ibidem confluerent, & ſic fermentatio impediretur. Ad hæc principia fermentationis nondum in ſanguine demonſtrata ſunt. Nullum enim ſulphureum adeſt: tale enim ſanguinem a fermentatione potius præſervaret; nec quisquam effectus allegari poteſt, qui a ſulphure dependeat. Nec acidum morboſum ſupponere decet; quia ſanguis per impetum circulationis potius acris & lixivioſus evaderet. Conſiſtetne igitur fermentatio iſta in efferveſcentia,

tumultu, ebullitione? ſed & tum requireretur majus ſpatium pro hoc motu ſuſcipiendo, cum tamen plerique morbi a retentis & accumulatis humoribus originem ducant ſuam. Nec vaſa apta ſunt majorem recipiendi diametrum, quia tum temporis ne minimam habent mollitiem, quod pulſus durus & ſiccitas cutis ſatis evincit. Adde, quod humores in morbis ſint crudi, & ad rarefactionem nullo modo diſpoſiti; & ſi vel maxime acidi forent, acidum hoc vitioſum, non dephlegmatum, eſt, adeoq; potius coagularet quam rarefaceret. Volatile igitur erit, quod ſanguinem exaltet? ſed in exili nimis quantitate hoc in eo reperitur, & ad reliquas corporis particulas ſe habet ut 1 ad 32, dein volatile hoc non eſt acidum; nec ſufficiens calor vel ignis adeſt, qui illud explicare ſatis poſſit. Effectus igitur in morbis, laſſitudines, puta, horrores, pulſationes in capite, & febres ipſæ oriuntur potius a partibus ſolidis, ſeu fibris tum afflictis; hæ enim reniti conantur & multiplicant ſuas ſyſtoles. Tandem cauſæ mortis maxime ſenſibiles nullam evincunt fermentationem. Venenorum e. g. maxima pars in ſolidas potius quam fluidas partes operatur, ſuntque vel corroſiva, vel narcotica, vel coagulantia; fermentantia vero nulla dantur. In ſpecie ventriculi mala a nulla impuritate producuntur, ſive hæc cruditatibus pituitoſis, ſive acidis, ſive biliosis vulgo adſcribatur, nec calor ejus imminutus accuſandus venit. Trituratio potius eſt turbulenta, violenta, & inæqualis, quæ tantas miſerias patrat; inde enim humores generantur aſperi, rudes, & inæquales, inde Salinæ potentiæ oriuntur, quæ aſperitatibus, angulis & ſpiculis ſuis pungunt & vellicant. Sola igitur ventriculi textura docet, quantum turbarum hic ſuſcipere poſſit. Eſt enim totus nerveus, adeoque maxime ſenſibilis. Quod ſi enim ſuccus nerveus, qui eum ad placidum & æquabilem motum alias ſtimulat, copia vel acrimonia peccet, tenſionem illam augebit, elateres fibrarum intendet, & convulſionibus tradet; id quod animi pathemata & intemperantia potiſſimum efficiunt. Illa quidem ſpiritus animales & genus nervoſum maxime petunt, & in confuſionem cient; hæc autem duplici modo nocet, quatenus ſcilicet vel ad nimiam copiam alimentorum aſſumendorum, vel ad condimentorum abuſum invitat. In priori caſu pondus alimentorum ventriculi fundum gravat, in poſteriori varii ſa-

Cap. 3.

4.

pores

pores, ſalia varia & ſpicula eundem pungunt & vellicant; i. e. efficiunt, ut oſcillatio ventriculi lenis, mollis & æqualis, ſeu motus periſtalticus naturalis in coactum, irregularem & turbulentum mutetur. Et ſi vel maxime hi exceſſus non contingant, plerique tamen homines carnibus veſcuntur, & vinum bibunt, unde ſuccos ſulphureos, ſalinos & volatiles generant, cum quibus nec ventriculi nec ſanguinis ſanitas ſtare poteſt. Laxitas & debilitas ventriculi, quæ vulgo accuſatur in ſtomachicis affectibus, adeo frequenter contingere non poteſt; ſin contingat, oritur illa a fibris nerveis juſto denſioribus & compactis; inde enim in cavitatibus ejus turbæ oriuntur, effervescentiæ & fluctuoſitates. Eo ipſo enim, quod ventriculus in alimenta non valide ſatis agere poteſt, horum principia exaltantur & fermentantur. Fermentum igitur in hoc ſenſu inter cauſas affectuum ſtomachalium recenſeri poteſt, quatenus ſcilicet hoc depravatum ventriculi ſtatum inſequitur. Sed in Cap. 5.
modum inquiramus, quo remedia ventriculi morbis opitulentur; inter univerſalia venæſectio & purgatio laudanda venit. Quid ſanguinis miſſio tunicæ ventriculi muſculoſæ præſtet, illum latere non poteſt, qui relationem, quæ ſanguini & muſculis intercedit, in comperto habet. Multum igitur ſolatii redundat in ventriculum a venæſectione, quando hic nimis irritatur, tenditur, aut movetur. Purgantia ſunt vel irritantia, ut emetica, vel laxantia, ut caſſia, vel reſinoſa, ut aloe. Irritantia juvant ventriculum, quatenus oſcillationes ejus vitioſas interrumpunt, & naturales reſtituunt. Humores ſcilicet capillarium extremitati impacti aggerem quaſi opponunt oſcillationibus naturalibus ventriculi, eumque irritant, quem rumpere hic ſuo motu quidem conatur, ſed fruſtra, donec ab emetici vi adjuvetur, atque tum priſtinum recipit motum. Laxantia pariter in ſolidas partes ſuam exercent actionem. Sunt enim hæc ſucci ſpiſſi, glutinoſi, unctuoſi, qui ventriculi parietibus commode adhærent, & mediantibus ſuis ſalibus vellicant membranas, glandulasque diſponunt ad evomendum humorem vitioſum. Atque eodem etiam modo reſinoſa operantur, utpote quæ ſunt ſalia concentrata viſcido vehiculo involuta. Inter remedia particularia dantur amara, vel acida, vel irritantia, vel ſedantia. Amara ſunt admodum ſalina, & inde valde gravia, hinc

fundo ventriculi se affigunt, eumque comprimunt, ex quo æquilibrium, quo gaudere debet ventriculus, naturale iterum redit; imo adstringendi & consopiendi vi simul pollent, unde fibræ contrahuntur, & ab irritationis sensu liberantur. Acida si fixa fuerint, eodem modo ventriculum solantur ac amara, ratione scilicet sui ponderis; sin volatilia fuerint, tanquam totidem cunei se interponunt in interstitia fibrarum, earumque motum sistunt; vel ipsius petunt fibras, quas blande movent. Sedantia denique in partes solidas suam exercent vim. Quod si enim ventriculus colica e. g. convulsiva laborat, sub quo motus ejus auctus, irregularis & convulsivus factus est, narcotica, tanquam substantiæ sulphureæ, salinæ, spirituosæ & volatiles in succo gummeo-mucilaginoso inclusæ fibris se apponunt, easdem emolliunt, & relaxant, unde necessario hæ suam elasticitatem, vibrationem & agilitatem perdere de-
Cap. 6. bent. His positis intemperies ventriculi, quanquam nostro ævo utplurimum male audiat, admitti tamen potest, si recte explicetur; tam calida quam frigida provenit a defectu æquilibrii inter solidas & fluidas partes. Sanguis nimis agilis & abundans multum se opponit elasticitati fibrarum, & inde calor præternaturalis deducendus venit. Elasticitas vero nimia fibrarum cursui sanguinis se opponit, hinc eo non nisi difficulter per fibras transfluente debitus
7. calor visceri inesse non potest. Ardor ventriculi oritur ex continuo ejus motu; sanguis enim toties conquassatus inter membranas ejus, quæ se plicant, & explicant, quæ abbreviantur, & allongantur, quæ constringuntur & dilatantur continuo, facillimam concipit dispositionem ad inflammationem, imprimis in illis subjectis, quæ condimentis & spirituosis fruuntur liquoribus. Sic & tabes stomachi, cujus Galenus aliique mentionem fecerunt, haud difficulter in membranaceo hoc viscere concipi potest; siquidem membranæ ejus ita contrahi & indurari possunt, ut osseam & lapideam concipiant consistentiam; id quod contingit vel ab humoribus salinis, arrodentibus, vel ab abusu liquorum vinosorum, aromaticorum & exsiccantium. Sitis, quæ omnis contra naturam est, dependet a lymphæ defectu, qua fibræ ad motum continuandum indigent, aut a particulis acribus & salinis, quæ instar cuneorum penetrant, & fibras corrodendo oscillationem ventriculi impediunt.

diunt. Cruditates quod concernit, alimenta cruda manent, ſi vitium adſit in trituratione, quatenus hæc illa vel imperfecte dividit, vel male concutit, ſicut ignis nimius carnem potius adurit quam coquit. Cap. 8, 9.

Anorexia oritur, quoties motus oſcillatorius ventriculi ceſſat, quando nimia ſanguinis copia fibris ejus ſe interponit, aut elaſticitas ejus nimia æquilibrium illud tollit, quod fluida & ſolida alias intercedit. 10.

Inflationis ventriculi, flatuum, ructuum & borborygmorum ratio in hoc conſiſtit; quando aer in ventriculo incluſus a pravis halitibus ex ſanguineis & aliis vaſis, quæ ſtomachi tunicas perreptant, exhalantibus alteratur, aut membranæ minus agiles aut magis tenſæ ſunt; tum enim corruptus aer, majorem nactus elaſticitatem, ſe nimis dilatat, hinc ventriculus inflatur, idque eo citius, quando alimenta de novo ingeruntur. 11, 12.

Sic pariter alimenta maſticata & gravia, ſupra hunc aerem calidum & elaſticum deglutitione mediante illapſa, hunc comprimunt, & flatibus, ructibus & borborygmis cauſam præbent.

Alvi retentio dependet a nimia rigiditate fibrarum inteſtinorum, ubi nervi ſcilicet nimis ſunt elaſtici vel ſpaſmodici. 13.

Et quoniam ventriculus ratione tunicæ ſuæ nerveæ admodum ſenſibilis exiſtit, primus ille eſt, qui percipit moleſtias, quæ in toto corpore vexant; hinc e. g. in febrium malignarum principio ſe contrahit, & conſtringit, unde vaſis anguſtatis circulatio ſanguinis turbatur, & dolor ventriculi & præcordiorum anxietates exſurgunt. 14.

Sic colica ſtomachica eſt dolor ventriculi ſui generis, & ſpiritibus animalibus magis quam humoribus adſcribenda, a tenſione particulari fibrarum ſtomachicarum dependens.

Singultus, qui ex ventriculi vitio oritur, nil aliud eſt, quam conatus ejus convulſivus, ſub quo humorem, quem contineret, excludere tentat, hincque ſtimulum ad motum ejusmodi extraordinarium impertit. 15.

Faſtidium ciborum, & quæ hoc ſequitur, nauſea in fundo ventriculi a plenitudine inter cauſas internas & a rebus craſſis & unctuoſis inter cauſas externas producitur; quæ ſi ſint emollientes, debilitant fibras; ſin ſalinæ, easdem irritant; ita ut fibræ legitimam oſcillationem perdentes turbentur in motu, eum tamen non perdant; debilitentur, nec tamen cedant; reſiſtant, non tamen vincant. 16, 17.

Inde ſenſatio triſtis oritur, imaginationem movens, quæ in quamplurimis ventriculi affectibus multum patitur,

tur, ut in pica & malacia: in illa siquidem oscillationes sunt auctæ, sed naturales; in hac auctæ sed præternaturales; utræque imaginationi certas ideas fistunt. In fame canina fibræ ventriculi nimis elasticæ redditæ majorem exigunt resistentiam, quam alimenta ordinario ingerenda illi præbent; hinc assumtis licet cibis oscillatio tamen adhuc viget: in bulimo vis illa contractoria magis aucta est, & non tam ex ventriculi quam totius corporis vitio ortum ducit, i. e. consistit hic in motu convulsivo fibrarum nervearum, ut
Cap. 18. totius corporis, ita præcipue ventriculi, totius nervei. In vomitu liquida quidem e causarum numero non sunt excludenda, non tamen sunt primariæ, nec principales, multo minus per motum fermentativum in ventriculum agunt, sed irritatorium; imprimis cum non solum fibræ ventriculi primario afficiantur, sed a vicinis, imo remotissimis visceribus per consensum cum ventriculo com-
19. municantibus vomitus excitetur. In lienteria motus peristalticus ventriculi est præcipitatus, fibrarum contractio accelerata, uno verbo, est affectio convulsiva, quæ alimenta ex ventriculo expellit, antequam sufficienter fuerint triturata; producitur autem hæc a copia tam esculentorum, quam potulentorum, vel immoderato
20. usu oleosorum & crassorum ciborum. Et quemadmodum lienteriæ causa in nimia irritatione fibrarum stomachicarum consistit; ita omnis alvi fluxus a fibris intestinorum nimis irritatis dependet.
21, 22. Objectiones, quæ Autori contra hoc triturationis systema, tam ab Astrucio, quam aliis, factæ sunt, & ad quas solide respondet, sicco nunc præterimus pede.

Hæc dum scribimus, peropportune ad manus nostras venit Ephemerid. Gallic. Mensis Januarius præsentis anni, qui p. 24 sequentem Dissertationem relatam suppeditat: *Quæstio Medica proposita ab Illustr. ac Nob. D D. Joanne Baptista Gastaldi, Regis Christianissimi Consiliario, Medico ordinario, Medicinæ Doctore in Avenionensi Academia & Aggregato Professore primario & Botanico, An alimentorum coctio seu digestio a fermentatione vel a tritu fiat?* &c. in qua primum exponitur, quid fermentatio ex sententia Medicorum ad digestionem alimentorum faciat, hinc opinio illorum allegatur, qui per triturationem alimentorum in ventriculo

triculo eandem perfici existimant, & tandem priori sententiæ subscribitur, posteriore rejecta; quod B. L. latere noluimus.

LA MECANIQUE DU FEU, OU L' ART d' augmenter les effets &c.

h. e.

*MECHANICA IGNIS, SEU ARS AUGMENTANDI ejus effectus cum sumtuum compendio, continens Tractatum de novis caminis, qui magis calefaciunt quam ordinarii, nec fumum in conclave intromittunt; Autore G. * * **

Parisiis, apud Jacobum Stephanum, 1713, 12 maj.
Plag. 12 Tabb. æn. 12.

Amstelodami, apud Davidem Mortierium, 1714, 8.
Plag 18 Tabb. æn. 12.

Alongo jam tempore apud nostros viri de bono publico meriturі de lignorum parsimonia cogitarunt, nec irrito successu. Primus, qui de hoc argumento literis aliquid prodidit, fuit *Franciscus Kerlerus*, pictor Francofurti ad Mœnum. Ejus de lignorum parsimonia (von der Holtzspaar-Kunst) Tractatus Francofurti ad Mœnum A. 1618 lucem publicam adspexit, nec tantum de constructione fornacum calorem multiplicantium & sumtus diminuentium, verum etiam de aliis ignis usibus in vita humana agit. *Kerleriana* magis repetiit, quam ut de suo multa addiderit, *Georgius Andreas Boecklerus* in Furnologia idiomate vernaculo conscripta: non defuere tamen alii, qui novis inventis eadem amplificarunt, & inter hos nominari meretur *Geritus Rossius*, civis Hamburgensis, qui A. 1695 sua hac in re inventa cum publico communicare dignatus est, cum annum ætatis octuagesimum septimum jam esset prætergressus. Quæcunque de hoc argumento vel ab aliis edita, vel saltem inventa & in praxin deducta repererat Cl. *Sturmius*, ea in Notis ad Architecturam civilem *Goldmannianam* in Actis A. 1697 p. 49 commendatam laudabili industria congessit & hinc inde emendavit, forma præsertim fornacum atque caminorum externa, quam inventores primi in Architectura civili hospites ac rudes

neglexerant, in elegantiorem mutata. Principia, quibus uſi ſunt noſtri ad ſua invenienda, huc redeunt: 1 ut ligna in flammam facile conjici ac cineres a carbonibus ſeparari poſſint, 2 ut aeri externo liber pateat aditus ad lignum accenſum, quamdiu ardet, 3 ut fumus non ante elabatur, quam ubi calorem ſi non omnem, ſaltem maximam ejus partem depoſuit, 4 ut aer hypocauſti frigidus circuletur per ignem & calidus inde redeat, 5 ut aeri externo, ubi primum vi ignis calefactus fuerit, aditus in hypocauſtum concedatur: quibus *Papinus*, natione Gallus, ſed in Germania Matheſeos Profeſſor Marpurgenſis, 6 addidit, ut fumus in flammam repellatur, quod ultimum difficilius præſtatur, ab ipſo vero efficitur ope cujusdam machinæ ab *Agricola* dudum publicatæ, etſi ab ipſo emendatæ. Singula fere principia ſingulis inventis anſam dedere, quæ hic commemorare noſtri non eſt inſtituti. Ea ad rationes phyſicas revocavit &, quod omnia ſimul ad emendationem fornacum, quibus nunc utimur, ſtructura externa in multis prorſus immutata, in nonnullis parumper mutata, applicari poſſint, monuit Cl. *Wolfius* in Elementis Architecturæ Civilis, quorum in Actis A. 1710 p. 486 facta eſt mentio. Ceterum Cl. *Sturmius* in Notis modo laudatis f. 93 autor eſt, *Johannem van Heyden* Batavum in hypocauſto ſuo habuiſſe caminum ex fundamento quinto deductum, cujus ſe inventorem perhibuerit. Structuram, quam inventor ſtudioſe celabat, ad formam tamen Gallicam reductam, quia noſtri eadem utuntur, breviter ibidem deſcripſit & figuris neceſſariis illuſtravit. Cum ea coincidere deprehendimus ſtructuram caminorum, quam Cl. *Gaugerus* nunc publicavit, ſi excipias, quæ de reflexione radiorum calorificorum & de coercenda vi ventorum fumum repellentium ingenioſe excogitavit.

Dividitur opuſculum utiliſſimum in tres libros, quorum primo docetur, quomodo augmentandus ſit calor; ſecundo oſtenditur, quomodo fumus a conclavi ſit arcendus; tertio denique conſtructio & uſus caminorum exponitur. Quilibet liber in tres partes ſubdividitur. Primi parte prima de igne agitur: ubi obſervatur, ignem calefacere partim per radios reflexos, partim per directos, motum vero caloris componi ex horizontali ſeu inclinato & ex perpendiculari. Ut radii in conclave reflectantur, ſi non omnes, ſaltem

ſaltem plerique, parietes laterales foco ad angulos rectos inſiſtentes non planos eſſe debere, ſed parabolicos, cum ex Catoptricis conſtet, radios ex foco in parabolam incidentes poſt reflexionem axi fieri parallelos: quem in finem parabolæ in plano deſcriptiones repetuntur. Parte ſecunda principium quartum & quintum ſupra commemoratum de aeris tam interni, quam externi per tubos igni vicinos circulatione declaratur & experimentis confirmatur: & in hoc præcipuum totius inventi fundamentum conſiſtit, quod a *Sturmio* loco ſupra citato *Gothanum* appellatur, quia primum in fornace aliqua in arce Gothana obſervatum. Parte tertia monſtratur, quomodo fumaria conſtruenda, ne juxta fumum aſcendentem aer frigidus a ventis præſertim propulſus deſcendere poſſit, quomodo ignis facile extinguatur & cineres condantur. Libri ſecundi parte prima oſtenditur, quomodo ſtructura externa conducat ad arcendum fumum; ſecunda vero, quomodo interna ad eundem finem conſpiret; tertia denique, quomodo fumarii conſtructio eodem tendat. Theoria abſoluta, libro tertio ad praxin progreditur Autor, ubi parte prima conſtructiones numero ſeptem deſcribit cum principiis libro primo atque ſecundo ſtabilitis conſentientes, una cum cautelis, quas artifices obſervare tenentur. Parte ſecunda regulas practicas circa fumarii conſtructionem inculcat & tertia tandem uſus & effectus caminorum juxta regulas traditas excitatorum exponit. Prærogativa eorum præ vulgaribus prorſus inſignis. Nam 1. omnis per totum conclave aer calefit, 2. continuo novus aer isque ab omni humiditate purgatus in conclave deducitur & priſtinus abigitur, 3. fumus omnis arcetur, vento licet impetuoſiore flante, 4. calor ad lectum & quodlibet in eo decumbentis membrum commode derivari poteſt. Neque vero hæc ſpeculatione nuda nituntur: quin potius per novem integros annos experimentis multoties iteratis confirmata ſunt. Nullum igitur eſt dubium, fore, ut his caminis, qui fornacibus in calefaciendo minime cedunt, ad ſanitatem autem tuendam magis conducunt, plurimum pretii ſtatuant ſanitatis non minus quam ſumtuum rationem habentes. Eorundem conſtructio, quia ſine multis ſchematiſmis explicari nequit, ex ipſo opere petenda. Monemus vero illud Germanice nuper translatum, mox apud nos prelo ſubjiciendum.

MANUDUCTIO AD THEOLOGIAM COMparativam hactenus nondum excultam; Autore MICHAELE FOERTSCHIO, SS. Theol. D. & Prof. Primario.

Jenæ, apud Jo. Mich. Gollnerum, 1713, 4.
Plag. 19.

CUm ipſe ſumme venerandus Autor in Præfatione eruditiſſimo huic, quod exhibemus, ſcripto præmiſſa inſtitutum ſuum diſtincte admodum expoſuerit; nos optime facturos eſſe ſperamus, ſi ex eadem illud B. L. oculis breviter repræſentemus. Quamvis jam veteres ac inprimis Theologi circa medium ſuperioris ſeculi & noſtro tempore, occaſione pacis eccleſiaſticæ cum Pontificiis & maxime Reformatis tentatæ, de pondere ac momento doctrinarum cœleſtium valde ſolliciti fuerint, atque de argumento iſto ſcriptis ſuis multa utilia paſſim inſeruerint, exiſtimavit tamen Celeberrimus Theologus, cum jam anno currentis ſeculi octavo quædam de Theologia Comparativa cum Auditoribus ſuis conferre cœpiſſet, ſed intervenientibus cauſis quibusdam gravioribus ab inſtituto huc usque deſtitiſſet, haud inutilem fore operam, ſi tam fructuoſa materia ad primos fontes, conſilium nempe comparationis doctrinarum a Spiritu S. ſuppeditatum, reduceretur, & in formam diſciplinæ redigeretur, ut ſcientia rei hujus graviſſimæ pariter ac utiliſſimæ futuri aliquando eccleſiæ doctores, imo & quivis alii Chriſtiani ſolidioris diſciplinæ capaces rite imbuerentur. Hinc aggreſſus fuit manuductionem ad Theologiam Comparativam conſcribere, illamque duabus diſſertationibus abſolutam cum erudito Orbe communicare, &, ne B. L. in ſententia ejus recte capienda impediretur, nervos hujus manuductionis in limine perpendi voluit, monens, *primum* ſe de certis Spiritus S. teſtimoniis, quibus exiſtentia Theologiæ Comparativæ clare fundetur, ſollicitum fuiſſe: quem in finem diſſert. 1 §. 3 ſqq. *1 Cor. II, 13* & §. 14 ſqq. *Rom. XII, 6* adduxit, eademque loca eleganter illuſtravit; *deinde* ad normam comparationis & fundamentum attendiſſe, atque ita ad ſumma quædam & fundamentalia, fidem & pietatem (quam vero hoc loco non ſpecialiter vult accipi pro fructibus fidei tantum,

tum, ſed ut includat pœnitentiam ſeu contritionem) perveniſſe: *tertio* ſe obſervaſſe, S. Scripturam & rem ipſam ſuppeditare quædam ſpiritualia, quæ comparata cum his ſummis apicibus habeant ſe ut prima & conſtitutiva, quæ naturam fidei & pietatis conſtituunt & ingrediuntur: *quarto* ſe deprehendiſſe, Paulum *Hebr. VI, 1* diſtinguere prima & τελειότητα perfectionem, eoque nomine ſe proinde uſum eſſe ad deſignanda illa ſpiritualia, ſine quibus fides & pietas primo non oriri & generari, deinde non durare, creſcere & augeri poſſunt: *quinto* ſe judicaſſe ad effectus fidei & pietatis reſpiciendum: *ſexto* ſe conſideraſſe ſpiritualia, ut ſunt ſumma quædam capita eorumque habitudinem ad fidem & pietatem ſpectaviſſe, atq; hinc nomenclatorem ſpiritualium generalem prodiiſſe, cum ſint theologica ſpeciatim dicta, Chriſtologica, Charitologica, Organica, Pædagogica, Anthropologica, Hamartiologica, Eccleſiaſtica ſpecialius ſic dicta & ἔσχατα ſive ultima &c. eorumque aliqua ad conſtitutiva & perfectionem ſimul, ſub diverſo nempe reſpectu, alia vero tantum ad perfectionem pertineant: *ſeptimo* ſe obſervaſſe ſpiritualia, quæ ſunt partes ſub ſummis illis capitibus, ſubſtantiales & eſſentiales, ibique ſeparaviſſe illa quæ inter ſpiritualia in tractatione occurrunt, ſed non ſunt ſpiritualia; deinde illarum partium habitudinem tum inter ſe tum ad caput ſuum, tum ad fidem & pietatem indagaviſſe, ut pateret, quinam ſit ordo & neceſſitas; atque ſic emerſiſſe τὸ ſpiritualis partes conſtitutivas, conſecutivas, formales, denique concluſiones practicas, quæ exhibent praxin fidei & pietatis; exemplis inſuper quibusdam in graviſſimis doctrinis de Scriptura S. gratia Dei & Chriſti merito ſe declaraſſe, qua ratione reſpectus & habitudo ſpiritualium indagari & comparatio eorundem inſtitui poſſit, ut ad illa reliqua componi queant: *octavo* uſum & praxin veræ Theologiæ Comparativæ delineaſſe, annotationesque quasdam ad Jac. Gærdenii Theologiam Comparativam, quam Poiretus Amſtelodami 1708 edidit, & peculiariter commendavit, ſubjeciſſe, nec non falſitatem ejusdem demonſtraſſe. Sub calcem doctiſſimi hujus Tractatus ipſius Gærdenii Theologia Comparativa, quæ eſſentiam religionis in ſolo ſupremi Numinis amore tam in ſtatu integritatis,

gritatis, quam reparationis & æternæ glorificationis sitam esse contendit, B. L. oculis exhibetur.

ELOGIUM NICOLAI GURTLERI.

Biennium est & quod excurrit, ex quo Academia Franequerana Nicolaum Gurtlerum, Virum de Ecclesia Reformata, Orbe literato, & de se ipsa etiam bene meritum, morte ereptum sibi esse luget. Natus ille Basileæ A. 1654 d. 8 Decembris stylo Juliano, Patre ejusdem nominis, Nicolao Gurtlero, mercatore, & matre Anna Maria Coccia. Sollicite a Parentibus educatus, & Præceptoribus tam publicis quam privatis traditus, tantos brevi tempore fecit profectus, ut annum ætatis decimum quintum vix ingressus, in Academia patria in numerum studiosorum receptus sit. Annos tres integros Linguis, Philosophicis, Mathematicis & præcipue Historicis lectionibus impendit, usus opera Simonis Battierii Ethices, Christophori Feschii Historiarum, & Jo. Jacobi Hoffmanni Græcæ Linguæ Professoris. Feliciter confecto cursu Philosophico, A. 1672 prima non tantum laurea, sed etiam Magisterio ornatus est. Rite ergo præparatus, inter Theologiæ studiosos nomen suum professus est, seque in disciplinam tradidit Jo. Rudolpho Wetstenio, Johanni Zuingero, Petro Werenfelsio, Lucæ Gernlero, Theologiæ Professoribus. His ducibus per quadriennium integrum usus est, eo successu, ut tertio post tirocinium ejus anno vix dum inchoato, ætate fervente, & ordinariis Professorum functionibus in Academia cessantibus, Lectiones Theologicæ ipsi demandatæ fuerint. Postea anno 1676 habita sub Præsidio Cl. Werenfelsii Disputatione *de ordine Actuum Decretorum Dei*, ad Verbi Divini Ministerium admissus est. Anno 1678 adiit Genevam, ibique præter alios Celeb. Viros Franciscum Turretinum salutavit, ac post semestrem moram iter in Galliam suscepit. In Academia Salmurienſi Præceptorem habuit Henricum Philipponæum de Hautecour, quem postmodum in Franequerana Collegam nactus est. Post sesquianni spatium ex Gallia ad suos rediit, ac studiosos Juvenes tam in Theologicis, quam Philologicis & Historicis privatim instituit. Hinc factum, ut Herbornenses eum

ad

ad Profeſſionem Philoſophiæ & Eloquentiæ Ordinariam, nec non ad Pædagogiarchiam vocaverint. Quam provinciam quoque ſuſcepit, auſpicatus illam anno 1685 oratione, *de Fato Philoſophico in Eccleſia Chriſtiana.* Theologiam interim ſtrenue excolere non deſiit, ita ut anno 1686 in tertio Heidelbergenſis Academiæ Jubilæo, defenſa Diſputatione, *de Munere Chriſti Regio*, ſupremos in Theologia honores conſecutus ſit. Herbornæ biennio vix exacto, a Conſiſtorio Hanovienſi vocatus eſt ad Profeſſionem Theologiæ ſecundariam, præcipue vero ad Profeſſionem Philoſophiæ Theoreticæ & Practicæ, nec non Hiſtoriarum & Eloquentiæ, ejusque auſpicium fecit oratione, *de migratione Doctorum & Scientiarum & Religionis.* Anno 1693 matrimonio ſibi junxit Mariam Magdalenam Baron, viduam Jo. Davidis Philippi, Medici Hanovienſis, quindena poſtmodum prole ex illa locupletatus. Cujus hodie tertia tantam pars reliqua eſt, Filii nempe duo; Nicolaus & Fredericus, Filiæque tres, Anna Maria, Maria Magdalena, & Anna Chriſtina. Anno 1696 muneri Profeſſoris Theologiæ Ordinarii, Rectoris Scholarum, tam trivialium quam illuſtrium, imo & perpetui, in Athenæo & civitate Bremenſi in locum Gerhardi Meyeri præfectus eſt, aggreſſus illud oratione, *de adventu & habitatione Jeſu Chriſti in plaga Bremenſi.* Bremenſem cathedram cum Daventrienſi commutavit anno 1699, quo V. Cl. Antonio Bynæo ſucceſſit, inauguratus dicta oratione, *de Filio Dei Doctore & Diſcipulo ab æterno & in tempore.* Tandem Cl. Theologo Herm. Alexandro Roel ex Franequerana Academia ab Ultrajectinis evocato, & Sam. Werenfelſio ſpartam ejus vacuefactam recuſante, primo quidem Gurtlerus noſter anno 1705 pariter fruſtra ad illam vocatus eſt; ſed poſtmodum aucto dimidia parte ſolario, ad Franequeranos acceſſit, & Profeſſionis Theologicæ primordia cœpit ab oratione, *de vili contemtoque ſtatu Jeſu Chriſti poſt ipſius introitum in gloriam.* Quantum ad ſcripta Gurtleri, anno 1682 edidit *Lexicon quatuor Linguarum*, Latinæ, Germanicæ, Græcæ & Gallicæ, cujus tertia jam extat editio. In Hiſtoricis non minus verſatus fuit. Nam anno 1691 in lucem emiſit *Templariorum Hiſtoriam*, quæ

deinceps

deinceps anno 1702 auctior prodiit, et A. 1708 *origines Mundi*, præclaro ordine & in magna rerum gestarum copia brevitate se haut parum commendantes, vulgavit. In Theologicis, anno 1694 *Theologiam systematicam*, *Elenchticam & Practicam seu Paracleticam*, A. 1698. *Explicationem brevem vocum Typico-Propheticarum*, cujus alteram longe pluribus vocibus instructam editionem postmodum meditatus est, anno 1702 *Vaticinorum & Oraculorum Divinorum systema*, cum publico communicavit. His omnibus accedunt *Dissertationes* de diversis Scripturæ S. locis, atque varii argumenti materiis Theologicis. Quales sunt *Dialogi Eucharistici* anno 1699 compositi, nec non *Dissertationes variæ* anno 1710 luce donatæ. Et *sacri Sermones*, quos in usum Scholarum privatarum anno 1709 in ordinem concinnum digessit. Suppresso nomine suo publicavit *Historiam Ecclesiæ Gallicæ* Germanice conscriptam, & *Dissertationem*, quam *ad Defensionem Catecheseos Palatinæ* conscripsit. Nempe exortis circa annum 1687 in Palatinatu difficultatibus, non solum a Pontificiis, sed etiam a Lutheranis, qui Sereniss. Electori a Consiliis erant, super Quæstione Catecheseos Heidelbergensis octogesima, motis Fabricius causam Reformatorum defendendam in se susceperat, sed silentio ipsi publica autoritate imposito, Gurtlerus, suadentibus, rogantibus, urgentibus Theologis Heidelbergensibus, Fabricio eodem, & Miegio, dictam modo Defensionem edidit. Ceterum corpore valido & valetudine satis firma usus est; nisi quod aliquando pedum imbecillitate laboraverit. Qua crebro redeunte, vires ejus sensim collabi visæ sunt. Circa medium feriarum æstivarum anno 1711 morbo correptus, pressius adhærere lecto coactus est. Itaque eo quotidie ingravescente, tandem, integro ad finem usque vitæ rationis usu, d. 28 Septembris ejusdem anni placide expiravit, impletis annis quinquaginta septem, mensibus novem, diebus decem.

Significandum hoc loco duximus, cum proximo Mense Majo proditurum & Indicem generalem Tertii Decennii Actorum Eruditorum ut & Supplementorum Tomi IV & V.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Maji Anno M DCC XIV.

HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE des Sciences. Année M. DCCX &c.

h. e.

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENtiarum. Annus M DCC X. Cum Commentariis Mathematicis & Physicis ejusdem Anni.

Amstelodami, apud Petrum de Coust, 1713, in 12 maj. Alph. 1 plag. 19 & Tab. æn. 12.

CUm in Actis A. 1710 p. 205 & 206 *Parentianas* contra elaterem aeris objectiones ex Historia Academiæ Regiæ Scientiarum A. 1708 recensueremus; eas minus validas pronunciavimus. Idem judicavit *Carré* atq; adeo experimenta *Parentii*, quibus elaterem aeris evertere conabatur, repetiit. Reperit autem, Sphæras vitreas cum fragore dissilire, non tantum quando ab aere vacuæ aliquid spiritus vini, aquæ vel aceti continent, sed etiam interdum cum solo aere plenæ: id quod etiam jam a nobis annotatum fuerat in Actis hisce *loc. cit.* Quod interdum sine fragore egrediatur aer, id inde fieri judicat, quia foramen celeritati, qua aer expanditur proportionatum. Cur foramen efformetur, nos *loc. cit.* indigitavimus. *De Lisle* observationes declinationis acus magneticæ in variis itineribus maritimis A. 1706 tribusq; sequentibus factas cum systemate *Hallejano* confert, quas tamen ab eo multum dissidere plerumq; deprehendit. *Cassinus* junior observationes fluxus & refluxus maris a *Baertio* Prof. Hydrographiæ Dunqvercensi & *Bocagio* Professore Hydrographiæ in Portu Gratiæ jussu Illust. Comitis *de Pontchartrain* factas & ad Academiam

Scientiarum transmissas examinat. Mire autem cum motu Lunæ conspirare deprehenditur æstus marinus, magis tamen cum medio, quam cum vero. Ceterum *Cassinus* ex observationibus istis regulas condidit, per quas fluxus & refluxus maris iis in locis, ubi observationes simili industria institutæ sunt, satis accurate prædici possunt. *Reaumur* multum operæ impendit, ut motum progressivum cochlearum examinaret. *De la Hire* senior olim observaverat, si thermometrum nivi immittatur, liquorem non descendere, sed pristinum locum tueri, etiamsi ope follis ventus adversus nivem spirans excitetur. *Teinturier* Abbas & Archidiaconus Virodunensis expertus est, eundem prorsus ascendere, si ope follis ventus producatur: id quod *Cassinus* junior iteratis experimentis confirmat. *De la Hire* junior cum parente suo idem experimentum cum summo studio sæpius repetens didicit, pro diverso aeris circumfusi statu liquorem nunc ascendere, nunc descendere, nunc immotum permanere. Episcopus Sagiensis Academiam Regiam certiorem fecit, in sua diœcesi fœminam, quæ anno ætatis octuagesimo tertio nupserat viro nonaginta quatuor annos nato, eniam esse puerum. Memoratu dignus est casus, quem *Philippus de la Hire* refert. Cum scilicet pistor quidam Carnuti prunas ex clibano in cellam profundam & fornicatam deportasset, filius ejus, homo robustus, alias deportaturus vix per scalam descenderit, cum magno clamore aliorum auxilium imploraret. Ipso tamen mox silente, nec redeunte, frater ejus descendit simili prorsus fato, quod etiam mater, ancilla, homo quidam vicinus, alius peregrinus, rusticusque pistori amicus experti. Prohibuit itaque magistratus, ne quis amplius in cellam descenderet, antequam medici, chirurgi ac fabri murarii in causam inquisivissent. Hi adeo judicantes, a prunis non satis extinctis ob abundantiam salis petræ in cellis Carnutensibus excitatum fuisse vaporem malignum, magnam aquæ quantitatem in cellam effundi curarunt: quo facto post aliquot dies secure rursus in eam descendere licuit. Cum cadavera mortua ex aqua extraherentur, adeo corrupta apparebant, ut ea secare non liceret. Rusticus statim extrahebatur, ex quo mortuus fuerat, & cadaver aperiebatur. Erat autem cerebrum exiccatum, meninges extraordinario modo tensæ, pulmones maculis nigris conspersi, intestina valde inflata

lata, inflammata & instar sanguinis rubra, musculi denique brachiorum, coxendicum & crurum a reliqua substantia quasi separati. *Johannes Scheuchzerus*, qui anno 1710 Parisiis egit, in Academia Regia legit dissertationem de lapidibus figuratis, quos in suo per Flandriam atque Galliam itinere observavit. Narrantur quoque nonnulla de Herbario ejus diluviano Tiguri A. 1709 impresso, de quo diximus in Actis A. 1710 p. 451 & seqq. Prolixe describitur tentamen physicum circa historiam maris, quod Illustr. Comes, *Marsigli* MS. ad Academiam Regiam misit, opus publica luce quam dignissimum. Historia hæc in quinque partes divisa, quarum prima de fundo maris, secunda de natura aquæ, tertia de motu ejus, quarta de plantis & quinta de piscibus marinis agit: quinta tamen nondum ad umbilicum perducta tum erat, cum opus ad Academiam mitteretur. *De la Hire* observationes meteorologicas recensens monet, se d. 24 Decembris declinationem acus magneticæ occidentalem observasse 10 gr. 30: quam observationem cum compararet cum anterioribus, declinationem singulis annis eadem propemodum quantitate augeri didicit. Ex observationibus ejusdem *de la Hire* atque *Scheuchzeri* constat, altitudinem maximam Mercurii in barometro & Parisiis & Tiguri fuisse d. 19 Februarii. Non tamen eodem tempore alibi fuisse maximam Mercurii altitudinem, vel exinde intelligitur, quod Cl. *Wolfius* eam Halæ observavit maximam d. 20 Jan. minimam d. 21 Oct. Illa erat 30 $\frac{7}{16}$, hæc vero 28 $\frac{7}{16}$ digitorum pedis Londinensis. Vir illustris *Bonnius*, Præses in curia rationum Fisci Montepessulana & Academiæ honorarius Societatis Regiæ Montepessulanæ, primus observavit, araneas nere sericum & inde tibialia atque chirotecas anno 1709 fieri curavit. Cum chirotecas ad Academiam Regiam Parisios mitteret, Dn. *de Reaumur* cura demandata est, ut inquireret, an non ex hoc invento aliqua utilitas in publicum redundare possit. Primum itaque de eo sollicitus fuit, quomodo nutriri possit sufficiens araneorum copia. Deprehendit autem tot muscas in tota Gallia non dari, quot araneis nutriendis sufficerent, ut serici aliqua quantitas haberi posset. Herbis & foliis araneas non vesci, lumbricis vero pasci didicit. Easdem carnem ferarum respuere; sed succo in apicibus pennarum recenter crescentium & ex alis volatilium evulsarum

inprimis delectari obſervavit: quod adeo pabulum omnium optimum judicat, quia pennis ex alis volucrum evulſis, intra aliquot dierum ſpatium mox novæ procreſcere ſolent. Quoniam vero expertus, quod aranea una alteram devoret, ita ut, cum 50 in eodem vitro aſſervaret, vix duæ ab aliquo tempore reſtarent; neceſſarium eſſe reperit, ut ſingulis araneis ſingulæ officinæ deſtinentur, nunquam inter ſe committendis, niſi quando coitum celebraturæ. Didicit denique, quod 12 araneæ idem opus perficiant, quod unus bombyx abſolvit. Quare cum bombyces omnes ſericum conficiant, inter araneas vero tantum fœmellæ, 24 araneæ æquiparandæ ſunt demum uni bombyci, conſequenter 2304 bombycibus unam ſerici libram nentibus, ut eandem ſerici quantitatem obtineas, alenda ſunt aranearum 55296. Immo minores araneæ, quales in Gallia utplurimum reperiuntur, eidem operi abſolvendo vix ſufficient juxta computum Autoris, niſi fuerint numero 663552. Quamvis adeo operæ pretium non videatur, ut araneæ Gallicæ alantur; non tamen ſpem omnem abjiciendam eſſe arbitratur, antequam experimentum capere licuerit in araneis Americanis, quæ Europæis multo ſint majores. Et hæc de obſervationibus ad Phyſicam generalem ſpectantibus dicta ſufficiant. Progrediamur ergo ad alias, quæ Phyſicam ſpecialem illuſtrant, anatomicas puta, chymicas & botanicas.

In Anatomicis docuit *Mery*, conchas fluviatiles alimenta recipere per anum & per eandem reſpirare: quando nimirum anus aperitur, aquam intrare, unicum conchæ nutrimentum. Eas carere venis atque arteriis; hermaphrodites eſſe, ovaria & veſiculas ſeminales habentes ſpeciemque ſuam per ſe ipſas multiplicantes. Idem *Mery* hypotheſin ſuam de dilatatione pupillæ in Actis A. 1706 p. 441 indicatam adverſus objectiones *Philippi de la Hire*, quas in Commentariis Anni 1709 propoſuerat, defendit, ſcilicet quod fibræ Indis longiores fiant, dum a ſpiritibus animalibus inflantur, breviores autem, dum in ſitum naturalem redeunt. Quia enim in oculo mortuo fibræ conſtrictæ apparent; ideo hunc earum ſtatum naturalem judicat. *Hombergius* paradoxum propugnat, rheumatiſmum æque per balneum frigidum, ac per calidum, aut ſudorem, ſanari poſſe. *Littre* in infante mortuo ſeptimo a nativi-

tate

tate die vidit inteſtinum rectum in duas partes diviſum, quæ per exiguum tantum filamentum, digitalis nempe magnitudinis, cohærebant. *Chomel* Academiæ oſtendit 22 calculos in corpore fœminæ octuagenariæ repertos, quæ, cum in ſummo adhuc vigore pro ratione ætatis eſſet, apoplexia extincta. Per experimenta chymica didicit, quod ex materia pure terrea concreverint. Reperti ſunt in ſacculo quodam, quem non diverſum eſſe obſervavit ab extenſione membranarum duodeni. Senſit autem longo ante obitum tempore continuo dolorem quendam in eo latere, ubi ſacculus erat, duobus a prandio horis. *Godofredus* in tinea admodum ſana tæniam 2½ pedes longam reperit, ſimilem propemodum iis, quæ in corpore humano inveniuntur: quod hactenus ab alio obſervatum eſſe non conſtat. *Mery* aperiens hominem in inſtanti mortuum aortam adeo dilatatam vidit, ut a corde abrupta fuerit. *Godofredus* junior lapidem bezoardicum; *de Reaumur* inſectorum quoddam genus deſcribit, quod limaces infeſtat.

In Chymicis haud pauciora notatu digna occurrunt. Rhabarbarum examini ſubjecit *Boulduc*, reperitque, vim purgativam majorem ineſſe tincturæ aqua extractæ, quam ſpiritu vini. Unde concludit, eam magis in ſalibus, quam ſulphuribus reſidere. Immo ſuſpicatur, nonniſi phlegma in ſpiritu vini etiam rectificato adhuc reſiduum ſalia purgantia extrahere. Et generatim notat, infuſa vegetabilium purgantium majorem efficaciam habere, quam decocta. Monet denique, nullam rhabarbaro ineſſe vim adſtringendi. *Hombergius* identitatem ſulphuris vegetabilium & mineralium defendit, tum quia metalla ſulphure & propterea fuſibilitate ſua privata cum ſulphure vegetabilium & fuſibilitatem & formam metallicam recuperant, tum quod ſulphur metallicum abire poteſt in materiam vegetabilem & inde fieri oleum, ſulphur vero vegetabile mutari in materiam metallicam & inde produci metallum. Prius experimentis comprobavit in Commentariis Anni 1709, poſterius aliis evincit in Commentariis, quorum argumenta nunc recenſemus. Illuſtr. Comes *Marſigli* multum operæ impendit in analyſin chymicam plantarum marinarum & præcipue corallio-rum rubrorum. Tantam autem ſimilitudinem deprehendit, ut per eam ipſas diſtinguere difficillimum judicet. Notat inter alia, ſpiri-

tum vini nihil rubedinis contraxiſſe intra duos menſes integros; lac tamen recens vaccæ ad ignem lentum ſenſim ſenſimque extraxiſſe omnem rubedinem, ut corallia fierent alba: quod tamen citius præſtetur ope ceræ albæ, quemadmodum etiam *Lemery* propriis experimentis didicit, quæ tamen nova non ſunt, ſed quoad ſingulas circumſtantias paſſim jam obvia. Addit *Lemery*, quomodo color ruber a cera iterum ſeparari debeat, nempe vi aquæ vitæ ſale tartari impregnatæ per digeſtionem calidam decem dierum. Idem monet, ceram flavam ex corallio quoque rubedinem extrahere, ſed ipſum ſimul flavedine ſua inficere. *Hombergius* novum phoſphori genus invenit, quod ſive noctu, ſive interdiu aeri expoſitum duorum circiter minutorum intervallo flammam concipit eandemque combuſtibilibus contiguis communicat. Paravit eum in ſubſtantia pulveris non ejusdem ſemper coloris ex materia fecali, ſed methodum ipſam adhuc premit, quam in poſterum ſe daturum promittit. Idem varia vegetationum artificialium genera deſcribit, quarum aliæ conſtant ex metallo puro & ſolido, aliæ ex metallo in menſtruo ſoluto, aliæ denique ex materiis ſalinis, terreis ac oleoſis.

In Botanicis *Godofredus* pareiram bravam deſcribit, radicem ex Braſilia in Portugalliam, & inde A. 1688 ab Amelotio, Regis Chriſtianiſſimi ad Portugalliæ Regem Legato, in Galliam deportatam, & virtutes ejus ad examen revocat. Cum in Actis A. 1712 p. 351 Cl. *Lochneri* de ea Diſſertationem breviter recenſeremus; ipſam certiſſimum eſſe contra calculum remedium annotavimus. Idem in examine ſuo obſervavit *Godofredus*: primi autem eandem virtutem detexerunt Braſiliæ incolæ, ſibi perſuadentes (quod tamen minime concedit *Godofredus*) calculos in renibus & veſica ab ea conteri. Ipſe nimirum tantum contendit, quod glaream diſſolvat, unde calculi generantur, cum ab ejus uſu multum ſabuli cum urina excernatur. Feliciſſime eadem radice uſus eſt in ulceribus renum atque veſicæ, cum urina redderetur purulenta & glareoſa, nec non in ſuppreſſionibus urinæ, & (quod eo notatu magis dignum) in aſthmate humorali & ictero. De ejus præparatione jam diximus in Actis hiſce loc. cit. Hic tantum obſervamus, doſin a *Godofredo* definiri duobus groſſis, quorum 8 abſolvunt unciam unam;

unam; ad præservationem a calculo 24 granis per 8 dies singulis mensibus assumendis. Et hanc quidem dosin præscribit pro decocto; pro pulvere autem sufficiunt grana 12 aut 18. Cur hiems extraordinaria, quæ A. 1709 per Europam sæviit, tantam arborum multitudinem prostraverit, rationem hanc reddit *Cassinus*, quod cortex separata fuerit a pulpa. Ast *Chomel* eandem a fibris succo conglaciato disruptis petit. Atque hæc posterior ratio convenit cum observationibus *Wolfii* in dissertatione de hieme ista (cujus in Actis A. 1712 p. 350 facta est mentio) p. 26 relatis. Cum enim is statim ab æquinoctio, ubi nive liquata & glacie resoluta in hortos aditus patebat, segmenta ramorum, qui præterita æstate adoleverant, microscopiis subjiceret, fibrillas hinc inde disruptas non secus ac in ligno putrido conspexit. Cum *Noel*, Chirurgus Aurelianensis nosocomii, ad Academiam Regiam gangrænæ quandam speciem perscriberet, qua multi homines, præsertim pauperes, inficiebantur; *Fagon*, Archiater Regius & Academicus honorarius, causam hanc esse arbitratur, quod a secali non separassent frumenti quoddam nigri ac cornuti genus quod Galli *Ergot* appellant, quia calcar galli gallinacei figura sua refert, & hac occasione data in genesin ejus inquirit. *De la Hire* junior a quodam amico, qui rure degit, didicit, quod in agris humidis ac frigidis & in annis pluviosis magna granorum istiusmodi copia nascatur; quod gallinæ eadem respuant, a deglutitis tamen nihil damni patiantur; quod terræ commissa non germinent. *Parentius* explicare conatur motus externos plantarum, veluti quod truncus vel caulis perpendiculariter excrescat, quod flores nunc aperiantur, nunc claudantur, quod heliotropium versus Solem constanter convertatur &c. Ex historia Illustr. Comitis *Marsigli* plantæ marinæ describuntur: ubi notatu dignum occurrit, quod præter algam omnes radicibus destituantur. Unde *Marsigli* opinatur, reliquas omnes totas esse radices, hoc est, per poros undiquaque conspicuos alimentum attrahere. Observavit enim partim oculis nudis, partim armatis, substantiam earum esse congeriem glandularum seu exiguarum fistularum per quas aqua marina filtratur; partemque a quis non immersam arefieri, demersa adhuc virente. Cum A. 1709 multis in locis frumenti seges frigore periisset, multi agricolæ mense Aprili

aliud

aliud ſemen terræ committebant. Sed cum ſpicas nullas proferret, quidam herbam circa feſtum S. Johannis demetebant & agros vertebant, quidam vero herbam non demetebant, aut ſaltem agros non vertebant. Poſterioribus favebat eventus: anno enim ſequente 1710 ſpicæ prodibant, 12 diebus citius, quam alias ordinarie fieri ſolet, maturitatem adeptæ. Monet autem *Hombergius*, hoc eſſe medium certiſſimum plantarum annuarum vitam prorogandi: id quod etiam in his Actis A. 1709 p. 172 jam annotavimus.

In Arithmeticis doctrinam de Quadratis magicis equidem poſt alios jam multum promovit *de la Hire*, quemadmodum in Actis A. 1707 p. 309 commemoravimus; ulterius tamen eandem excoluit *Sauveur*. Sed cum argumentum iſtud exigui ſit uſus, vix operæ pretium eſſe judicamus, ut ſpecialiora de eodem proferamus.

In Algebraicis *de la Hire* difficultates enodat, quas contra methodum *Sluſianam* conſtruendi æquationes per duorum locorum combinationem propoſuerat *Rollius*, & nos in Actis A. 1710 p. 207 non fortiores judicavimus, quam quas olim contra analyſin *Leibnitianam* ſeu calculum differentialem moverat: quod ipſum nunc expreſſius docet *de la Hire*, qui in eadem methodo illuſtranda jam olim cum laude verſatus.

In Geometricis pauca occurrunt, ſed inter ea maxime præclara. Illuſtris Marchio *Hoſpitalius* in Commentariis A. 1700 reſolvens problema *Bernoullianum* in his Actis Tom. II Supplement. p. 289 propoſitum, uſus eſt quadam integrandi ratione, quam illi quæſtioni peculiarem judicabat. Sed *Varignonius* oſtendit, quod ad complures quæſtiones alias agnatas ſolvendum utiliter adhiberi poſſit. Vir incomparabilis *Newtonus* demonſtravit, ſi corpora in ſectione conica incedant, vires centripetas eſſe reciproce ut quadrata diſtantiarum; ſed non oſtendit, hanc legem ſectionibus conicis eſſe propriam. Multo autem facilius ex data orbita invenitur lex vis centripeta, quam inverſe ex data lege vis centripetæ orbita. Primus omnium problema inverſum de vi centripeta ſolvit ingenioſiſſimus *Bernoullius* & quidem duplici modo. Altera ſolutio æquationem differentialem nonniſi primi gradus, altera vero differentio-differentialem continet. Utraque maxime ingenioſa, ſed prolixior, quam ut huc tranſcribi poſſit. Antequam vero ſolutionem

lutionem *Bernoullianam* videret *Hermannus*, diversa ratione problema resolvit. Solutiones *Bernoullianas* & *Hermannianam* cum a *Bernoullio* accepisset *Varignonius*, qui generales admodum solutiones problematis directi virium centripetarum ante dedit, similes quoque problematis inversi exhibuit. Atque nunc tandem constare potest, orbitas planetarum tam primariorum, quam secundariorum esse ellipticas, quod quidem per *Newtoni* demonstrationes nondum erat manifestum.

In Astronomicis *de la Hire* ostendit, quod hypothesis *Keplerian*a non satisfaciat circa Lunam. Quoniam enim diameter apparens minima est 29′ 30″, maxima vero 33′ 30″; distantia maxima ad minimam a Terra est ut 201 ad 177. Quare si terra ponatur in foco alterutro, erit distantia focorum 24, foci unius a centro distantia 12 & axis major 378. Inde æquatio centri maxima eruitur ° 7 16′ 54″, quæ tamen ipso *Keplero* judice nunquam excedere debet °5, per observationes ipsius *de la Hire* reperta °4 59′ 16″. *Keplerus* nimirum eccentricitatem minorem assumsit, quam per observationes licet, atque hinc æquationem centri observationibus congruam suppeditavit. Suspicatur etiam, ellipses non magis satisfacturas in Planetis reliquis, siquidem eccentricitatem per semidiametros apparentes in Apogæo & Perigæo observatas determinare liceret. Minus adhuc hypothesin *Wardianam* satisfacere notat: ut autem orbita elliptica observationibus respondeat, aliud in axe punctum quam focum geometrice determinat, circa quod motus medii fieri concipiuntur, & in hac hypothesi æquationes centri computare docet satis accuratas. R. P. *Laval*, qui hactenus multum sibi negotii dedit circa refractionem, A 1710 d. 22 Jun. altitudinem meridianam Solis observavit 70 25′ 50″; ast elapsis 36 a solstitio horis postero die 70 26′ 0″. Hanc irregularitatem refractioni adscribendam esse concludit & contendit, quod iisdem horis diversarum dierum variari possit refractio, quam alias hieme majorem quam æstate deprehenderat. Variationis causam ventos assignat ex diversis plagis spirantes. Reperies præterea observationes maculæ Solaris, eclipsis Lunæ atque deliquii Solis, conjunctionis Lunæ cum una plejadum & Jovis cum stella quadam Scorpii ab Astronomis Regiis, utroque *Cassino*, utroque *de la Hire*, atque

Maraldo celebratas. *Caſſinus* denique junior oſtendit, quanta ſit neceſſitas, ut vitra objectiva æqualem undiquaque habeant ſpiſſitudinem in teleſcopiis, quibus ad diſtantias ſtellarum metiendas utuntur, ſeu ut centrum eorum ſit in axe tubi.

Quemadmodum *Guisnée* in Commentariis A. 1703 theorema *Hallejanum* de inveniendis focis in vitris ſphæricis in his Actis Supplem. Tom. II p. 333 propoſitum ad curvas quasvis univerſaliter extendit; ita *Carré* problema catoptricum *Dittoni* de inveniendis focis ſpeculorum, quod in Actis A. 1707 p. 139 legerat, eadem univerſalitate donavit.

Bartholinus A. 1670 primus docuit refractionem ſingularem in chryſtallo Islandico, per quam nempe radius quilibet in duos finditur, ita ut unius refractio ſit regularis, alterius irregularis. Regularis nimirum obſervat legem ordinariam rationis conſtantis ſinus anguli refracti ad ſinum anguli inclinationis reſpectu axis refractionis; irregularis vero eandem quidem legem tenet, ſed axis loco aſſumenda eſt diameter quædam ad ſuperficiem refringentem obliqua. Miram hanc refractionem ad cauſas phyſicas revocavit *Hugenius* in Tractatu de Lumine: ejusdem rationem ſuo modo reddere tentavit *Newtonus* in ſua Optica. Eandem nunc *de la Hire* conſiderat & cum talci quadam ſpecie prope Pariſios obvii confert. Phænomenorum vero utriusque rationes ſe proxime daturum promittit.

In Mechanicis denique *Parentius* ſuam de reſiſtentia theoriam more Geometrarum modernorum univerſalem reddit: quod argumentum jam antea pertractavit *Varignonius*, qui nunc ſuas de reſiſtentia medii meditationes profundas continuat, ad eum caſum deſcendens, in quo reſiſtentia creſcit ut ſumma ex celeritate & ejus quadrato.

A. 1710 duos ſocios amiſit Academia Scientiarum, *Johannem Matthæum de Chazelles* & *Dominicum Guglielmini*. Hujus elogium jam extat in Actis A. 1711 p. 47. Ille natus eſt Lugduni Gallorum d. 24 Jul. 1657 & ſtudiis operam dedit in Collegio Jeſuitarum Lugdunenſi, ex quo A. 1675 Pariſios venit & *Joh. Baptiſtæ du Hamel* atque *Caſſino* innotuit, ſicque obſervandi methodum accuratam didicit. A. 1683 *Caſſinum* adjuvit in continuanda linea meridiana

meridiana verſus auſtrum & boream A. 1670 cœpta. Cum annos quinque cum *Caſſino* in obſervatorio regio egiſſet, A. 1684 Dux de *Mortemar* ab eo in Mathematicis inſtitui deſideravit: apud quem cum annuum ſpatium rure tranſegiſſet, Profeſſionem Hydrographiæ Maſſiliæ obtinuit novam, cum jam a multo tempore ſimili munere fungeretur quidam e Patribus Societatis Jeſu. Academiæ Scientiarum Regiæ aſſociatus eſt A. 1695, poſtquam in ſuo itinere per Græciam, Ægyptum & Turciam ad inſtantiam Illuſtr. Comitis *de Pontchartrain*, tunc Secretarii ſtatus marini, nunc Cancellarii Franciæ, ſecundum volumen *Neptuni Gallici* meditantis, ſuſcepto obſervationes Aſtronomicas Academiæ ſcientiarum admodum utiles inſtituiſſet. Reperit autem in Ægypto quatuor latera pyramidis maximæ verſus quatuor plagas cardinales accurate directa: quod cum ſtudio factum eſſe præſumatur, evidens inde eſt intra 3000 annorum ſpatium polos, circa quos terra rotatur, non mutaſſe ſitum ſuum. Unde mirum, quod *Picardus* A. 1671 meridianum Uraniburgicum 18 minutis ab eo differentem deprehenderit, quem *Tycho de Brahe* determinaverat. Invariabilitatem enim meridiani *Caſſinus* quoque comprobavit per lineam meridianam A. 1655 in templo S. *Petronii* Bononiæ ductam. Ceterum *Chazelles* ſitum quoque Alexandriæ accurate determinavit, quem noſſe intererat Academiæ Scientiarum, ut ſuas cum obſervationibus *Hipparchi* atque *Ptolemæi* accurate conferre liceret. Cum A. 1702 lineam meridianam obſervatorii adhuc ulterius continuaret *Caſſinus*, eodem adjutore uſus eſt. Die 16 Jan. 1710 febri maligna extinctus eſt in brachiis collegæ ſui R. P. *Laval*, amici intimi. Locum ejus in Academia Scientiarum obtinuit *Ozanam*; locum vero *Guglielmini* inter Anglos nactus eſt Illuſtr. Comes *de Pembroke*.

DESCRIPTIO SPECULORUM NITIDISSIMORUM, quæ parantur Svarzenbergæ in Sudetibus Miſniæ, ex literis JO. LEONARDI HEUBNERI, V. D. M. ad C. W. datis.

CUm metallum reflectens multi foret in Opticis uſus, non modo ad erigendas ſpecies in camera obſcura & ad illuſtrandas

imagines in laterna magica; verum etiam (quod majoris momenti est) ad construenda telescopia & microscopia reflectentia *Newtoniana*, & telescopia catoptrico-dioptrica *Hugeniana* atque polemoscopia *Heveliana*, aliisque in casibus, si quidem ars in eo poliendo Opticorum votis responderet, specula vero *Suarzenbergica*, quæ novo prorsus artificio, nec successu infelici ex chalybe fabrefiunt, adeo nitida sint, ut major nitor ab arte nunquam exspectandus videatur; non inconsultum duximus Lectoribus curiosis ea exhibere, quæ de novo hoc specularum genere Cl. *Heubnerus* ad Cl. *Wolfium* nuperrime perscripsit. Ita autem ille:

Specularum chalybeorum, *inquit*, nomine hactenus alia non fuerunt cognita, quam quæ ex stanno, cupro aliove ære in unam massam colliquefactis formantur & ad usum catoptricum aliumve adhibentur: cujus generis specula nomen quidem a chalybe ferunt, sed neque materiam, neque nitorem, neque effectum verorum specularum chalybeorum referunt. Enimvero hic loci ex vero & puro chalybe specula conficiuntur ab oppidi hujus Prætore *Zacharia Georgi* ejusque filiis, insignibus in tractando chalybe artificibus, qui ante plures annos etiam cylindros illos chalybeos, quibus in planandis filis aureis & argenteis utuntur, quive antea ex Italia tantum apportabantur, nunc autem ex hoc loco in Italiam aliasque terras transmittuntur, parare consueverunt. Specula ista vere chalybea variæ fiunt & fieri possunt figuræ, quadratæ, oblongæ, circularis, ellipticæ, pyramidalis, conicæ, cylindricæ, sphæricæ, adeoque non tantum plana, sed & convexa & concava; quodve jucundum æque ac utile, ex una parte plana, ex altera vero seu convexa, seu concava. Immo etiam parabolica tentabuntur. Varia solet esse horum specularum magnitudo, quatuor, quinque pluriumve digitorum ad pedem unum alterumve. Atque hunc in finem haud ita pridem exstructa est fabrica, cujus machinæ ab aquis agitantur, quarum ope facilius quam manuum beneficio specula perficiuntur. Effectus horum faberrime politorum specularum tam in urendo, quam in repræsentando longe præstantissimus deprehenditur & tantum non aliorum specularum vires atque virtutes superat. Imagines multo verius & excellentius reddunt, quam vitrea ferme omnia, utpote quæ ut plurimum

mum colorem quendam habent admixtum & objecta colore alieno pingunt, immo vultum haud raro deformant. Examinavi tam in taberna, ubi venalia proſtant, quam alibi, ſpecula bene multa, etiam magni pretii, ope alicujus chalybei, & tantum non omnia inveni falſa. Quamvis autem non meminerim, ullibi me de talibus ſpeculis eorumque fabricatione quicquam vel legiſſe, vel audiviſſe, neque etiam illuſtri olim *Tſchirnhauſio* cognita fuiſſe crediderim; in ſacro tamen codice ſpecula chalybea me reperiſſe putaverim. Dum enim Exod. XXXIIX, 8 labrum æneum deſcribitur e ſpeculis mulierum factum, habetur vox נחשת, quæ non tantum cuprum, aurum, argentum, ſed & ſecundum *Kimchi* chalybem ſignificat, quamq; *Tremellius* ex Judæo Chriſtianus hoc modo tranſtulit: *fecit labrum illud chalybeum & ſcopum ejus chalybeum e ſpeculis* במראת הצבאת, ſecundum *Onkelos* במחזית נשיא, ſecundum LXX ἐκ τῶν κατόπτρων. Filiæ enim Iſraelis ex mente Jarchi manibus ſuis tenebant ſpecula, quæ inſpiciebant, quando ſe ornabant, ſed tamen non cunctabantur iſta ad uſum tabernaculi offerre. Hactenus *Heubnerus*. Ex literis Cl. *Wolfii* habemus, quod nitorem ſpeculi ad ſe transmiſſi multo majorem deprehenderit, quam in ullo ſpeculo vitreo etſi præſtantiſſimo unquam obſervaverit. Quamvis vero objecta multo clariora apparere notaverit in chalybeo, quam in multis aliis vitreis, cum quibus ea conferre licuit; non tamen diffitetur, ſe vultus intuentium in ſpeculo aliquo vitreo concavo ejusdem cum chalybeo foci, magnitudinis ac figuræ, clariores vidiſſe quam in chalybeo. Iteratis quoque experimentis didicit, vitreum ſuum intenſius lumen reflectere, quam chalybeum, ultro tamen largitur, nova hæc chalybea ſpecula metallicis, quibus vulgo utuntur, adeo præſtare, ut horum nitor quamvis affabre politorum reſpectu illorum nullus ſit dicendus.

FRIDERICI HOFMANNI, CONSILIARII Aulici & Archiatri Regii, Medic. Profeſſoris Primarii in Acad. Frideric. Diſſertationum Phyſico-Medicarum ſelectiorum Decas.

Lugduni Batavorum, apud Theodorum Haak, 1743, 8.
Alph. 1 plag. 7.

EN tertium volumen Dissertationum Physico-Medicarum a celeberrimo *Hoffmanno* editarum. De duobus prioribus dictum est in Actis A. 1708 p. 223 & A. 1709 p. 74: in tertio tractatus de annorum climactericorum rationali & medica explicatione, de duodeno plurimorum malorum sede, de morbis certis regionibus & populis peculiaribus, de opiatorum nova, eaque mechanica, operandi ratione, de pulsuum natura, genuinis differentiis & usu in praxi, de inflammatione ventriculi, de origine & natura pestis, de pestis curandæ ratione, de natura corporis humani mechanici medicatrice & arte naturæ auxiliatrice, de metallurgia denique morbifera extant. Dissertationes has omnes multa cum eruditione & perspicuitate conscriptas esse, publice jam agnovere alii. Et ut Lectori ipsi judicium de iis ferre liceat, quædam uberius nobis exponenda sunt.

Diss. I. Etsi plerique recentiores annis climactericis inter commenta unice locum concedant; rationibus tamen perperam everti censet Cel. Autor, quod diuturna & constanti experientia nititur. De existentia igitur securus hanc eorum rationem assignat. Voluisse Deum, ut mutationes, quæ corpori humano juxta leges mechanicas accidant, statuto tempore eveniant, & quibusdam non sine periculo sanitatis. Ita observat, infantem septimo mense incipere dentire; septimo anno finiri infantiam dentesque decidere; pueritiam extendi usque ad annum decimum quartum, quo tempore fœminis menstrua veniant & mammæ crescant, pili in pube prodeant & potentia generandi accedat. Adolescentiam terminari anno vigesimo primo, quo corpus ad debitam staturam excrescat & barba in mento appareat. Juventutem durare usque ad annum trigesimum quintum, ætatem virilem usque ad quadragesimum nonum. Illi propriam esse venustatem, agilitatem; huic vim ac robur tam animi, quam corporis. Senectutem primam extendi usque ad annum sexagesimum tertium, decrepitam usq; ad septuagesimum. Illa corpus contabescere, carnem fieri duram, rugas apparere in facie, memoriam debilitari; hac denique corporis ac animi vires maxime deficere. Nullam tamen in numero septe-

nario

nario agnoſcit fatalitatem, ſed hæc omnia providentiæ divinæ adſcribit. Plurimos ſub anno ſexageſimo tertio e vita diſcedere monet, quod circa hoc tempus præſentiſſimum fiat virium decrementum. Recenſet etiam morbos, quæ ſingulis ætatibus ſunt familiares.

Non ignota eſt rerum Medicarum peritis hypotheſis *Sylvii*, omnem ſanitatis rationem omnesq; morborum cauſas a bile, pituita & ſucco pancreatico deducentis. Quid veri eidem inſit, oſtendere conatur Noſter, dum duodenum plurimorum morborum ſedem incuſat. Poſtquam igitur inteſtini duodeni ſtructuram & officium ex anatomia repetiit; præternaturalem bilis in eo ſtagnationem conſiderat. Inde alvi duritiem & flatus, colicam nephriticam, in fœminis præſertim, dolorem chronicum fixum in lumbis, febres intermittentes, inprimis tertianas continuas, lentas, ardentes, cholericas, variolas, morbillos, diarrhœas, dyſenterias, cardialgias, tuſſes graviores chronicas, arthritides aliaque hujus generis plura derivat. Tuſſes ferinas ſe brevi tempore curaviſſe autor eſt ſolo pulvere ex lapide cancrorum compoſito, adjecto oleo aniſi, pro doſi dracham unam binis de die vicibus offerendo. In febribus intermittentibus leniora emetica, nitroſa, ſalina & abſorbentia commendat, nec non *Riverii* pulverem. Vertiginem quoque, epilepſiam, apoplexiam, purpuram (quod & morbi genus in his præſertim oris notiſſimum, alibi minus notum) podagram aliaque mala ex duodeno originem ſuam trahere docet. Ubique vero per rationes mechanicas ortum mali explicare conatur medendique methodum deſcribit. Diſſ. 2.

Dum morbos certis regionibus peculiares enarrat, initium capit ab Europa, inde in Aſiam, tandem in Africam ipſamque Americam progreditur. In locis montoſis notat ſtrumoſos colli tumores, quibus Helvetiæ, Catinthiæ, Styriæ, Hercyniæ & in Tranſylvania Cronſtadii urbis incolæ obnoxii. Oriuntur ſtrumæ, judice Noſtro, ex potu aquarum, quæ per montes calcarios fluunt. Gallos infeſtant febres atque lumbrici, hydrocele atque ſarcocele, quos tumores ab immodico nucum caſtanearumque uſu provenire arbitratur. Angli affliguntur gravedine, raucedine, tuſſi, flore albo, dyſenteria maligna, febribus, variolis, tabe pulmonali, puſ- Diſſ. 3.

monum

monum inflammatione & alio quodam morbo, qui rachitis ipſis dicitur. In Italia offendes Neapoli luem veneream & roſeolas, ſeu maculas rubras, Venetiis hæmorrhoidum fluxus, Romæ febrim tertianam & lethargum, apud Hetruriæ incolas epilepſiam, in Apulia febres ardentes, pleuritidem, morſus tarantulæ. Hiſpanos vexat melancholia hypochondriaca, fluxus hæmorrhoidalis, apoplexia; Batavos ſcorbutus & renum atque veſicæ calculus; Danos, Suecos, Norvagos, Pomeranos, Livonos, Curlandos ſcorbutus. Notatu maxime dignum judicat, quod in Dania, Suecia & Livonia febres ſint frequentes, in Norvagia, Islandia, Lapponia, Finnia plane exulent, ubi contra ophthalmia & lippitudo, peripneumonia & dolor dorſi ac capitis valde familiaris. Ruſſi & Tartari pernionibus laborant, hoc eſt, puſtulis & ulceribus a frigore ortis. In Polonia & Lithuania Judæi inprimis plica infeſtantur, qui eſt horridus prolixusque capillus in cirrhos inexplicabiles concretus & reſecari nequit ſine ſanguinis effuſione, viſus læſione vitæque ſæpe ipſius periculo. Hungari podagra, arthritide, pediculorum pulicumque copia & peculiari morbi genere, quem *cremer* appellant. Apud Germanos reperies in Weſtphalia peripneumoniam & ſcabiem, in Holſatia febres petechiales & malignas, in Sileſia, Franconia, Auſtria, Suevia phtiſin, arthritidem, febres ardentes, hæmorrhagicas excretiones, inflammationes, in Miſnia purpuram (de qua ſupra) tabem infantum, vermes comedones. In Græcia, Macedonia & Thracia pauci ſunt morbi, dominantur autem ibi febres acutæ, dyſenteriæ, phrenitides. Conſtantinopoli omnibus annis graſſatur peſtis, lues vero venerea prorſus exulat. In Indiis magna eſt endemiorum varietas, in inſula Ceylon frequentes ſunt ventris tumores, in Malabaria variolæ, apud Chinenſes & Japonenſes oculorum vitia, in inſula Formoſa peſtis & variolæ, Goæ lues venerea, calculum & hernia, in Armenis oculorum dolores, in Perſia calculus & podagra. In Ægypto deprehendes ſcabiem, lippitudinem, cœcitatem, melancholiam hypochrondiacam, elephantiaſin; in Guinea vermes, quibus totum corpus vexatur. Americani morbis paucis obnoxii, interdum pleuritide laborant, in Canada variolis & lue venerea, quæ in Peruvia vere endemia, unde anno 1494 in Europam primum advectam & in obſidione Neapolis viſam obſervat Noſter.

Hypotheſis

Hypotheſis nova Cel. Autoris de mechanica operandi ratione opiatorum valde probata fuit intelligentibus harum rerum æſtimatoribus, quamprimum lucem publicam adſpexit. Statuit nempe, principium, quo opiata aliaque narcotica agunt, eſſe ſulphur reſolubile, quod debito humido ac calido accedente in tenuiſſimos vapores & effluvia diſſolvitur, conſtans nimirum ex humido, ſale ac terra ſubtili ætherea. Quando itaque opium aut aliud narcoticum aſſumitur, id in ventriculo ac inteſtinis per motum quendam fermentativum ac rarefactivum reſolvi, concurrente ſimul calore blando, menſtruo ſalivali & ipſo aeris fluido. Particulas ſulphureas ſolutas partim per ſubſtantiam poroſam ſanguini, tubulis membranaceis ac nerveis immediate communicari, partim etiam cum ipſo chylo & lympha via regia ad ſanguinem tranſire. Sanguinem hunc in pulmonibus ſolito magis expandi & hinc tubulos tenuiſſimos arterioſos piam matrem inveſtientes nimis extendere, ut ſyſtole ac contractione tardiore & debiliore facta per caput & cerebrum lentior circuletur. Ex hac impedita ſanguinis circulatione non ineleganter effectus narcoticorum deducit Cel. Autor. Diſſ. 4.

Pulſum eſſe ſtatuit arteriæ dilatationem a ſanguine cordis contractione ex ſiniſtro ventriculo protruſo & expulſo in arterias, quæ inde dilatatæ rurſus reſiliant, nec in priſtinum modo ſitum redeant, ſed & ultra conſtrictæ ſanguinem novo impulſu ulterius propellant. Diſtinctionem inter pulſum celerem & frequentem hactenus receptiſſimam ſolidis ex motus natura deſumtis argumentis rejicit, cum idem ſit freqvens qui celer, nimirum ſi intra breve temporis ſpatium multi pulſus numerari debeant, neceſſe eſt ut ſinguli ſint celeres & contra, nulla quippe mora inter pulſum antecedentem & proximè ſequentem interjecta. Celerem tamen a vehementi diſtingvit, quo major ſanguinis copia una cordis ſyſtole in arterias ejicitur. Differentias in pulſu has admittit, ut alius ſit robuſtus, alius debilis; alius celer, alius tardus; alius æqualis, alius inæqualis. Priores diſtinctiones ex antecedentibus manifeſtæ ſunt: æqualitatem æſtimat tum ex vehementia, tum ex celeritate, & qualis pulſuum differentia pro diverſitate ætatis, temperamentorum, ſexus, vitæ generis, ac in febribus præſertim obſervetur, Diſſ. 5.

exponit. Nec minus solerter tradit pulsuum in praxi medica usum.

Diff. 6. Inflammationem ventriculi, qua nihil periculosius existimat, agnosci ex dolore fixo & immani circa præcordia, ex anxietate maxima, ex febri cum siti magna, vigiliis, pulsu duro, parvo, frequenti & inæquali, ex vomitus proclivitate & adstrictione alvi. Hunc affectum communissimum judicat, atque ideo miratur, quod tam apud veteres, quam recentiores raro ejus mentio fiat. Causam, cur adeo periculosus, positam existimat in spasmo violentissimo, qui unus non modo inflammationem progignat, verum etiam post inflammationem valde augeatur, & inde quoq; symptomatum superius enarratorum rationem reddit. Oriri autem ostendit ventriculi inflammationem ex ira, ab assumto veneno minerali, e. gr. arsenico, vel Mercurio sublimato, venenis in nobis generatis, a podagra intra corpus remanente, a variolis recedentibus, vel ad exteriora non satis exeuntibus, a bile, a dysenteria maligna, a potu nimis frigido, a vermibus, nonnunquam a morsu bestiarum. Denique remedia circumspecte adhibenda cum cura describit.

Diff. 7. Pestis originem primam corporis putredinem vehementissimam esse statuit: terrorem vero immanem contagium non modo fovere ac promovere, verum & sine infectione plures enecare. Quam inimica sit corpori humano putredo, prolixe monstrat. Varios autem ejus gradus admittit & in peste tenuissimam ac celerrime penetrantem deprehendi pronunciat. Hinc sub tenuissimæ auræ forma miasma aliis corporibus insinuari & cum succis corporis nostri maxime excrementitiis serosis commixtum universos ejus succos corrumpere. Ex his principiis rationem reddit phænomenorum circa pestem non sine admiratione observandorum. Monet autem, pestis natalem semper esse in regionibus calidissimis & inde contagio ad nostras oras deferri.

Diff. 7. Postquam distincte exposuit, quomodo tum putridum, quod vocat, principium, tum etiam terror in corpus humanum agat, & quænam symptomata inde oriantur; ulterius explicat, quænam corpora ad pestem disponant, & quibus contra hoc malum utendum sit remediis. Ad pestem juxta Cel. Autorem plurimum conferunt fames, porcinarum carnium esus, intemperantia, venus, balnea, mollities

mollities corporis. Ad eam avertendam nullum adhuc remedium inventum esse pronunciat. Aeris emendationem parum præsidii præstare credit; humida tamen & pluvia tempestate suffimigia laudat, cœlo sereno prorsus damnat. Rejicit itidem tabaci usum & amuleta. Commendat contra fonticulos, fugam, vinum Rhenanum (quod præstantissimum judicat remedium,) acetum, allium ex aceto, laxantia leniora, temperantiam, medicamenta sudorifera, pulveres absorbentes terreos & omnem curandi methodum describit.

Per naturam, quæ corpus integrum conservat, affectum sanat, non animam rationalem cum Scholasticorum cohorte, sed artificiosissimam partium tam solidarum, quam fluidarum corporis constructionem & coordinationem intelligit, circulumque sanguinis unicum illud & maximum fundamentum vocat, cui universa œconomia animalis omnesque actiones corporis innitantur. Per sanguinis motum putredinem e corpore arceri & eo salvo nullam materiam peccantem progigni, nec morbo ulli esse locum. Si motus sanguinis progressivus intendatur, stagnationes sanguinis removeri & plethoram tolli, serum superfluum, impurum ac viscidum attenuari & ejici, obstructiones contumaces reserari, sordes acres, salinas & malignas ad exteriora propelli, sicque causas morbi tolli, corpusque sanari. Quomodo motus corpori humano tam salutares a natura perficiantur, distincte exponit. Quamvis autem naturæ vim medicatricem concedat in variolis & morbis, febribus intermittentibus & catharralibus, immo ardentibus, rheumaticis, erysipelaceis, pleuritide, peripneumonia; arte tamen opus esse in uteri vel ani prolidentia, in herniis & calculo, in membri emortui exstirpatione, secundinæ vel fœtus extractione, ulceribus fistulosis, tumoribus, cancro, scyrrhis, cariosa excrescentia aliisque vitiis externis, in morbis chronicis, lue venerea, scorbuto, pthisi, scabie, lepra, podagra, affectione hypochondriaca, epilepsia, colica convulsiva, arsenico hausto, morsu canis rabidi, paralysi, gutta serena, surditate, cachexia, gonorrhœa, fluore albo, lumbricis intestinalibus, mania, apoplexia, febri tertiana atque quartana. Quænam sint artis hujus regulæ generales paucis docet. Diss. 9.

In metallurgia denique morbifera considerat morbos metallurgis Diss. 10.

lurgis proprios, quos a mineralium ac metallorum effluviis potissimum derivat, dum cum aere os subeunt & cum saliva deglutita ad ventriculum & intestina deferuntur, vel etiam in pulmones irruentia vesiculas constringunt & exulcerant. Nocere maxime censet effluvia sulphurea, quæ copiosa in fodinis reperiri monstrat; exhalationes ex vitriolo emissas, quas adeo corrosivas testatur, ut linteamina ac vestes corrodant, adeoque Goslariæ in monte Rammelio, ex quo vitriolum jam per aliquot secula eruitur, operarii nec vestem, nec indusium induant, sed prorsus nudi in fodinis vitriolum colligant; effluvia ex plumbo prodeuntia omnium virulentissima judicat; &c. Quinam morbi inde oriantur & quænam contra eos remedia præscribat Cel. Autor, nostri instituti non est, ut hic prolixius re censeamus.

HISTOIRE DE FRANCE DEPUIS L' ETABLISSement de la Monarchie Françoise dans les Gaules.

i. e.

HISTORIA RERUM GALLICARUM A CONdita a Francis in Galliis Monarchia; Autore R. P. GABRIELE DANIELE, S. J.

Tomi III.

Parisiis, apud Joannem Baptistam de l'Espine, 1713, in fol. Alph. 31 plag. 5.

RAutor, in domo Patrum Professorum S. J. Parisiensi Bibliothecarius, & nuper Superior, jam antehac erudito Orbi innotuit controversia, quæ ipsi cum cive suo P. Alexandro Natali, (uterque enim Rothomagensis est) intercessit, & ingeniosa in Cartesianam philosophiam satyra, quæ ipsi tribuitur (Voyage du monde de des Cartes) præcipue autem specimine illo historiæ Gallicæ, quod A. 1697 edidit, quo res Francorum ab initiis Clodovei ad exitum usque Clotarii exhibebat. Quod tum movit desiderium istius studii curiosis, id nunc implevit, pertexta tela ad cædem Henrici IV. Primum operis volumen a Clodoveo, secundum a Ludovico S. tertium a Francisco I incipit.

Præmisit iterum elegantem illam præfationem de ratione recte scribendi

ſcribendi hiſtoriam, quam legere omnino deberent qui aut judicare recte de Hiſtoricis volunt, aut ipſi ſimili operæ manum admovere. A Noſtro, qui ipſe tum publico has in ſe leges ſuggerebat, merito quod obſervaturus ſit eas expectabamus, nec ſpes fefellit. Sed opus ipſum evolvere volentes detinuit aliquantiſper altera præfatio hiſtorica, qua tria evincere annititur, quæ ad hiſtoriam Francorum ſummopere faciunt, locum autem commodum in ipſo operis decurſu non invenerunt. Primo loco probat, neminem ante Clodoveum ſuperato Rheno ſtabilem in Galliis ſedem fixiſſe, Pharamundum, Clodionem, Meroveum, & Childericum trans Rhenum in Germaniis regnaſſe, & excurſionibus tantum Gallias infeſtaſſe. Tum fabulam illam Romanenſem de Childerici deſtitutione, ac varia fortuna, quam Gregorii Turonenſis auctoritas omnibus hactenus impoſuerat, explodit, ſilentio rerum Romanarum ſcriptorumqui proximi vixerunt, rei inconvenientia, & repugnantibus chronologiæ rationibus inductus. Utrumq; jam antea duabus ex illis diſſertationibus, quæ ad finem ſpeciminis A. 1697 editi annectuntur, propoſuit. Sed majoris momenti eſt articulus tertius. Illo enim aſſeritur, Reges Francorum Merovingicos fuiſſe hereditarios, ac ab ipſa nativitate Regis nomen tenuiſſe. Diviſiſſe inter ſe regnum inconſultis proceribus, aut ſorti commiſiſſe arbitrium, liberrimeque de ditionibus ſuis transegiſſe. Sub Pipino electivum factum regnum. Stephani Papæ orationem hortantis regni ordines, ut Pipini poſteris jus regni ſervarent, hereditarium illud non fuiſſe arguere. Intercesſiſſe revera auctoritatem procerum in ſucceſſione Caroli & Carolomanni, Caroli Craſſi, Odonis, Roberti, & Rudolphi. Agnoviſſe id ipſum Carolum M. & Ludovicum Pium, ideoque, ut ſpem ſuccedendi filiis firmarent, in ſocietatem regni procerum conſenſu illos accepiſſe. Itaque Pipinum injuſte omnino egiſſe, hereditarium Principem regno deturbantem, Hugonem Capetum eligere in poteſtate Procerum fuiſſe. Quorum dignitates cum hæreditarias eſſe permitteret, veroſimile eſſe & hos viciſſim Regiæ id concesſiſſe. Accedere continuam ſucceſſionem unanimi populorum conſenſu, quæ jam tum Philippo Auguſto adeo firmaſſe domus ſuæ jura viſa eſt, ut tradi-

tum a majoribus morem, filios in imperii communionem adſciſcendi, primus deſereret.

In hiſtoria ipſa pari ſtudio, ſecus ac fieri ſolet, cum novis antiqua tempora tractavit. Et merebantur ſane res Francorum, quales ſub Clodovei & Pipini poſteris fuerunt, ut cum cura ſcriberentur. Non enim cujusvis eſt e veteribus ſcriptoribus eas colligere, qui a paucis leguntur, ac quibus præterea tractatio confuſa, & ſtylus impolitus eſt. Recentiores autem lacinias plerumque illas utcunque conſuerunt, parum ſolliciti de ſerie rerum, & nexu circumſtantiarum; quia ſupra ingenium illorum fuit, per ſpiſſas adeo tenebras orbem, qui tum plane alios limites, incolas, & mores habebat, ſibi quaſi præſentem ſiſtere. Nec enim noſtra tantum intereſt, res populi Germanici noviſſe, cui præter Gallos, Saxones, Friſii, Alemanni, Boji, & alii vaſtiſſimorum tractuum incolæ aliquandiu obnoxii fuerunt, & a quo ſacra Chriſtiana, inſtituta, legesque novas, aut emendatas acceperunt: ſed implicitæ illæ ſunt Romanorum, Burgundionum, Gothorum, Longobardorum, adeoque Hiſpaniæ & Italiæ rebus, quæ multis inter Cæſares & Francorum Reges negotiationibus anſam dederunt. Mox novos potentiæ æmulos Sacracenos emittit Africa, & illinc Danubii accolæ ac Slavici populi excurſionibus ſuis Francorum in Germania ditiones infeſtant, & quaſi nondum ſatis inimicarum gentium eſſet, ex Septentrione claſſibus populatum veniunt Normanni, majoribusque fluviis ſubvecti, ſtragem, incendiumque per omne fere Regnum circumferunt. Quæ unius populi cum tot ferociſſimis, quod Francis fatum deſtinaverat, quærentibus bella, ſi quis conſideret, poſt Romanos potentiorem nullum agnoſcet. Nec tamen rerum illa varietas utilem modo, imo neceſſariam hanc hiſtoriæ Gallicæ partem efficit, ſed omnis etiam exempli illuſtria documenta jucundam. Plurima quidem in vitium, ſed nonnulla etiam virtutum, noſtri quoque ſeculi admiratione digna, quod altius ſapere & magis ad amuſſim omnia exigere ſibi videtur. Tum autem ferocior paululum virtus erat, nec ſatis externæ apparentiæ curioſa. Rudes etiam humanioris diſciplinæ populi, politioribusq; nondum conſueti, virtutum & vitiorum fines nondum ſatis diſcreverant, necdum ſatis, quoniam id pro iſtis moribus opus non habebant,

vitia

vitia ſua occultare didicerant. Quæ de Clodoveo, Theodorico, Alarico, utroque Pipino, Carolo Martello, Carolo Magno, Ludovico Germanico, & filio Carolomanno, deque aliis Gothorum, Longobardorumque Principibus, & ipſo Roberto primo Normanniæ Duce, ejusque filio Guilielmo referuntur, ſatis id probant. Qui ſi inter Græcos Romanosve vixiſſent, eorumque memoria Græcis Latinisve monumentis propagata ad poſteros fuiſſet, nunc inter illorum Heroes eminerent, quorum gloriæ interdum plus ſcriptorum eloquentia, quam rerum geſtarum magnitudo ſervit. Sed hanc etiam hiſtorici laudem Noſter ſibi vendicat, ac ita res narrat, ut ingenia & conſilia eorum, qui illas geſſerunt, facile Lector agnoſcat. Non affectat, ut fieri ſolet, populos cum quibus pugnandum Francis fuit, tanquam barbaros & injuria ſemper agentes, per omnia repræſentare, ſed etiam in primogenitis illis eccleſiæ filiis ferociam, crudelitatem, nimiamque regnandi cupiditatem, ob quam divina humanaque jura violarunt, paſſim perſtringit. Cujus perfidiæ inſigne documentum dant Theodebertus, ejusque patrueles, dum eodem fere tempore cum Juſtiniano contra Oſtrogothos, & cum his contra illum ſacro ſancta fœdera utiliſſimis conditionibus ineunt, & cum ad rem ventum eſt, utrosque opprimere tentant. Nec multum ad comprimendam libidinem, & matrimonii leges obſervandas apud illos potuit religio, cujus tamen favore & prætextu in potentiæ incrementum callide utebantur. Qui legent, quæ orthodoxorum Epiſcoporum adverſus Burgundos, Gothosque Principes, dominos ſuos, ſed Arriana hæreſi infectos, ſtudia fuerint, & quam dextre Franci Italorum animos adverſus Juſtinianum concitaverint, in cujus tum aula famoſa de tribus capitulis quæſtio agitabatur, facile animadvertet, orthodoxos illos non æque bonos cives, nec Principis fidei vindices gratis fuiſſe. Facili tum impendio Chriſtiani nominis & pietatis fama ſtabat: ſi modo monaſteriorum & Epiſcoporum reditibus ac honoribus proſpiceretur. Chilperici peſſimi Principis, ſed qui non omnem metum Sanctorum, quo abſolvebatur fere religio, exuerat, ridicula eſt ſuperſtitio. Cum ad tumulum S. Martini refugiſſet filius Meroveus, & Boſo Dux, ipſe autem violare in aſylo honorem ſepulcri non auderet, ſimul tamen ardenter cuperet in poteſtate habere,

quos

quos perſequebatur, literis ſcriptis caſum hunc conſcientiæ S. Martino propoſuit, utrum peccatum foret Boſonem ſepulcro ejus abſtrahere, & una cum illis chartam puram, cui reſponſum inſcriberet Martinus, in monumento reponi juſſit. Idem cum anno 583 Lutetiam ingredi vellet, quod per fœdus cum fratribus non licebat, cujus violati vindices S. Martinus, Polyeuctes, & Hilarius conſtituti erant, ſecurus fratris, fratrisque filii, ut Divorum quoque iras eluderet, proceſſione religioſa urbem intravit, multorum Sanctorum reliquiis una circumlatis, quarum autoritatem interceſſionemque illorum indignationi opponeret. Quaſi Sanctorum in cœlo etiam factiones eſſent. Funeſtiſſima illis temporibus Francis fuerunt Reginarum Fredegundæ & Brunehildis mutua odia. Illa ſceleribus ſuis fruita eſt, ſed hæc tandem malis ſuis ſuccubuit, & a filio inimicæ Clothario, poſtquam deletam ab illo familiam ſuam, & regna pronepotum occupata viderat immanibus ſuppliciis, exemplo ſui ſimile hiſtoria non habet, confecta eſt. Favit memoriæ illius præterito ſeculo in hiſtoria ſua Gallica Cordomeſius, qui Tom. I pag. 282 ſuſpectas accuſationes adverſariorum reddit, & in ſequentibus in P. Contii ſententiam pro innocentia Brunehildis inclinat. Quam pluribus adverſus cenſuras nonnullorum, Mezereum ſequentium, in præfatione Tomi II filius ejus defendit. Idem jam Mariana fecerat, quem tamen Valeſius confutavit. Noſter inter duo extrema ſe continet. Agnoſcit, imputationes Clotharii multa falſa continuiſſe, & veteres hiſtoricos ſtudio in familiam illius Principis, ut minueret crudeliſſimæ ſententiæ invidiam, invectos impotenter in Brunehildin fuiſſe. Nec laudes ejus & præclare facta diſſimulat. Sed ultimis vitæ ſuæ annis indigna multa ambitioni ſuæ indulſiſſe confitetur, quod per omnem hiſtoriæ ejus ſeriem, & imprimis ubi tragicum ejus ſupplicium expoſuit, declarat. Clotharius poſt cædem Principum præmium ſceleris, univerſæ Franciæ pacatam poſſeſſionem, habebat, quæ ſub poſteris ejus varie iterum modo diviſa, modo reunita, externisque & internis bellis vexata fuit. Quæ rerum facies cum Principes & fortitudine militari & conſilio valentes requireret, illæque virtutes regibus vel ſuo vel ætatis vitio plerumq; deeſſent, Majorum domus auctoritas & cum illa ambitio in dies creſcebat.

Bene

Bene delineavit Hiſtoricus noſter, ut per gradus illa ad id faſtigium iverit, a quo ad regiam dignitatem aditum familiæ ſuæ Pipinus & Carolus & Pipinus Junior faciliorem multo reddiderunt, quam per magnitudinem rei ſperari poterat. Miramur ririſſimam felicitatem illius familiæ, quæ poſt nominatos heroes Carolum Magnum, adeoque quatuor non interrupta ſerie Principes protulit, quorum quilibet anteceſſoris ſui conſiliis pari virtute & felicitate inſtitit. Sed miramur etiam negotiorum humanorum viciſſitudinem, quæ easdem res in perniciem ſæpe noſtram convertit, per quas profecimus. Pipinus autoritate Pontificis & Cleri firmatus, aliquando novam ſuam dignitatem omnibus modis ad illius venerationem ſuorum animos componebat, & poſtea etiam ereptas Longobardis Exarchatus ditiones dono Papæ conceſſit, quæ præcipua ad civilis dominationis cupiditatem incitatio, maximorumque malorum occaſio fuit. Procerum etiam ſtudia ut ſibi aſſereret, connivere illorum uſurpationibus cœpit, quorum ut & Epiſcoporum licentia eo tandem Ludovici Pii, Caroli Calvi, & poſterorum temporibus increvit, ut Reges pro lubitu mutarent. Et tum ſane miſer Francici Regni ſtatus apparet. Papa longe alium ſe gerebat erga Reges, ac Pipini & Caroli M. tempore ſolitus erat. Ipſorum imbecillitate & Ducum ambitione factum, ut Regnum quaſi diriperetur. Normannia, cui etiam Britannia obnoxia erat, Burgundia Tranſjurana, Regnumque Arelatenſe & Lotharingicum a Francico Imperio avulſa, Otto Comes Pariſienſis, excluſo ad tempus Carolo Simplice: & poſt depoſito illo, neglectoque Ludovico Ultra-Marino, Robertus ac Rudolphus Reges ſalutati, ita jam Francorum animos adſueverant negligendæ familiæ regiæ, ut Hugonem Capetum, qui ex Ottone & Roberto deſcendebat, non ſine omni juſtitiæ ſpecie neglecto, Carolo Lotharingico, eligere poſſent.

Eſt hæc inter præcipuas Hiſtorici noſtri laudes, quod integra ejus ſit narratio, quæ rem totam Lectori ſiſtit, ac ea præcipue perſequitur, quæ aliquo ad tam inſignes mutationes momento fuerunt. Deſignat ſemper limites diviſi regni, & quas diverſis temporibus Pariſienſe, Aurelianenſe, Sueſſionenſe, Auſtraſiæ, Neuſtriæ, Burgundicum, Aquitanicum, Italicum, Lotharicum & A-

relatenſe terras continuerit. In rebus Pontificum recenſendis, quæ hiſce temporibus diverſam plane a Petro perſonam ſuſtinebant, cum hiſtoriæ leges ſequi debuerit, & in Gallia ſcripſerit, una autem Catholicus & Societatis quidem Jeſu ſacerdos ſit, tam prudenter verſatus eſt, ut nulla ex parte fortaſſis cum ratione deſiderari quicquam poſſit. In externis locum nonnunquam Criticis facit. Nomina propria non ſemper ſatis accurate expreſſa ſunt, ſic in antiquis e. g. Willebrodus Friſiæ Apoſtolus Villebrardus nominatur pag. 359, veterumque populorum ſedes non ſatis certis indiciis ubique indicantur, ſic Warnii ad Rhenum collocantur, quos rectius Valeſius, deſerta Procopii autoritate, ad Warnam fluvium poſuit. Sed quis magnitudini operis ejusmodi minutias non condonet? Sub Capetingis mutatur ſcena. Anglorum bella, expeditiones ſacræ adverſus Albigenſes & in terram Sanctam, poſtea Gallorum cum Hiſpanis æmulatio, iterumque bella civilia religionis cauſa geſta: Regnum autem tam lacerum, & ſi Ordinum autoritatem ſpectes, Germanicæ noſtræ Reip. blicæ ſimile, redintegratum interea, uniusque Principis abſoluto arbitrio ſubjectum. Lectorem quidem ſuaviter tenebunt, ſed hic a nobis repræſentari non poſſunt. Fuitque præcipue Autoris ſcopus, ut tali lectione cives ſuos ab inutilibus libris avocaret. Proteſtantibus iniquus paſſim eſt, ſed melius de rebus illis aliunde conſtat.

BIBLIOTHECÆ JOSEPHI RENATI IMPERIALIS S. R. E. Diaconi Cardinalis S. Georgii Catalogus, ſecundum Autorum cognomina ordine alphabetico diſpoſitus, una cum altero Catalogo Scientiarum & Artium.

Romæ, ex officina Franc. Gonzagæ, 1711, fol.
Alph. 10 plag. 3.

INter celebriores Urbis bibliothecas, quæ codicum impreſſorum & ſelectu & copia ſeſe commendant, non minima eſt, quæ Purpuratum modo dictum Eminentiſſ. poſſeſſorem ac dominum habet. Tribus enim ſpatiis ſeu cameris ſat amplis, in ædibus ejus ad Forum Antonini ſitis, diſtincta patet, atque haud raro hoſpitum literatorum acceſſu, quibus & nos aliquando immixtos fuiſſe non

ſine

ſine voluptate recordamur, quotidie ferme frequentatur. Prima vero cunabula debet ſua agnato ipſius, Laurentio Cardinali Imperiali, Viro excelſi animi & patricia Genuenſium familia, Ducalibus imaginibus illuſtrata, oriundo, quem ſub Alexandri VII Pontificis imperio gerendis rebus magna cum prudentiæ atque integritatis fama adhibitum, ſed Gallorum odiis in Corſico illo negotio haud leviter adflictum, memorant annales, iſtoque moriente ad præſentem hunc e fratre nepotem fuit transmiſſa. Qui ut patruum, vel munerum gravitate, quibus in Curia Romana fungitur, vel judicii ac meritorum gloria ex aſſe refert, ita acceptam ab illo ſupellectilem hanc librariam multo ſtudio, nec parciore ſumtu, ſervare atque augere cœpit. Ea propter Joannis Gualtherii Cardinalis Sluſii e bibliotheca, cujus ſolertiſſimum nomenclatorem egit Franciſcus Deſeine, bibliopola egregie doctus; tum e Marcelli Severoli, Viri juris peritiæ juxta atque amœnioris literaturæ laude poſt cineres quoque mactandi, pluteis; tum aliunde paſſim delectus novos perquam liberali manu conſcribi curavit, nihil antiquius habens, quam ut inſtructiſſimam eam redderet. Voti igitur ſe compotem ſatis evaſiſſe intelligens, cum univerſo Orbe erudito divitias communicare ſuas, binosque earum indices, Autorum alterum juxta alphabeti ſeriem, alterum ſecundum ſcientias & artes digeſtum, formare decrevit. Cui rei pro dignitate tractandæ non alius magis idoneus occurrit architectus, (ut quidem teſtibus fide dignis accepimus,) quam qui a plurimis annis Bibliothecam dexterrime regit ac moderatur Juſtus Fontaninus, diverſis ingenii monumentis, quæ typis expreſſa dedit, celebratiſſimus, omniumque ideo bonorum, quin & Pontificis ſummi, cui a Cubiculo jam eſt Honorario, amore & gratia florens. Hic etiam injunctum ſibi tanti Patroni juſſu alacriter ſuſcepit penſum, novemque & amplius annorum induſtria & labore feliciſſime abſolvit, ut prelo tandem committi potuerit. Triennium fere agitur, ex quo doctorum manibus evolvi cœptum eſt præſtantiſſimum opus, moram autem injecit fatum nobis paulo iniquius, ut nullum ejus exemplum, niſi ante hoc temporis perexiguum, ad noſtras pervenerit, unde excuſatione quoque haud videbimur indigni, quod intactum illud tamdiu prætermiſimus. Dum itaque in præſenti

eodem frui datur, nihil Lectoribus noſtris ingrati forte tentabimus, ſi, qua ſollicitudine & fide laborem iſtum exantlaverit Cl. Fontaninius, brevibus adhuc perſequamur. Cum nimirum duplicem librorum Bibliothecæ ſuæ catalogum, ut ſupra innuimus, concinnandum haberet, in priore, qui Alphabeticus eſt, ita ſe gerere voluit, ut propriis ſemper nominibus præfixa daret Autorum cognomina, (qui modus ad evitandas difficillimæ inquiſitionis tricas omnium cenſetur expeditiſſimus,) niſi ubi vulgatiora illa crederet, ſicut in Epiſcopis, Monachis, aliisque Eccleſiaſtici ordinis hominibus ſæpe contingit. His ſtatim ſubnotat librorum, quos ſcripſere quilibet, titulos, indicans ſimul editionis locum atque officinam, annum item & codicis formam. Deficiente autoris nomine vicem ejus ſubintrat ipſa operis inſcriptio, tam nervoſe tamen & in nucleo quaſi poſita, ut citra ambages ullas invenire liceat librum quæſitum. Interea Anonymorum & Pſeudonymorum cenſum inſtituit curatiſſimum, hosque detracta larva tam ſub vera quam ſub ficta appellatione conſpiciendos præbet. Minora opuſcula, quæ collectionibus inſerta majoribus ſcrutantis interdum fallunt ſagacitatem, nec minus Imperatorum, Pontificum, Principum & Clarorum Virorum Diplomata, Bullas, Reſcripta, Epiſtolas, aliaque hic illic diſperſa monumenta, ſignatis, ubi reperiantur, paginis herculea ſane patientia extraxit, extracta quæque autori ſuo religioſe aſſeruit. Ac ne quid porro deeſſe videretur, luculentam addendorum & corrigendorum ſubtexuit appendicem, ſimili plane greſſu, uti in præcedentibus, ubique incedens. In poſteriore, Scientiarum nempe Catalogo, hanc tenuit methodum, ut integram rem librariam ad quinque claſſes præcipuas, Theologiam, Jurisprudentiam, Philoſophiam, (quæ & Medicinam complectitur,) Hiſtoriam ac Polymathiam ſeu Grammaticam revocaret, ſingulasque in plura capita, atque hæc iterum in ſectiones alias fere innumeras diſcerneret. Sic e. g. Theologica claſſis novendecim capita habet, quorum I Biblia ſacra variis linguis & editionibus publicata, II Interpretes Bibliorum præſertim V. T. III Interpretes N. T. continet; IV & V de locis & rebus particularibus V & N. T. VI de re Biblica, VII de re Ebraica agunt; IIX Apparatus Biblicos, IX Scriptores Eccleſiaſticos oſtendit; X. de Theologia

logia dogmatica, XI de Ecclesia militante, XII de Theologia polemica pro Christiana Religione contra ejus hostes, XIII pro Religione Catholica contra hæreses veteres, XIV contra hæreses & errores ævi inferioris, XV de Theologia scholastica, XVI de Theologia morali seu casuistica, XVII de Theologia ascetica, XVIII de re rituali, ac XIX demum de Theologia heterodoxa & erroribus variis scriptores producit. Unumquodque istorum capitum plurima, ut diximus, includit segmenta minora rubricis suis, quæ specialiores materias designant, prænotata, quorum perrerare sylvam operosum nimis foret. Id tamen monere oportet, lemmata illa in Juridica, Philosophica & Historica classe non ad cognationis naturalis, quam inter se obtinent, regulam, sed ad Alphabeti normam non semel esse descripta, cujus instituti causam sine dubio compendiosioris inventionis spem habuit Autor. Scriptores autem nomine ac cognomine tenus solummodo allegat, missis tædiosæ repetitionis declinandæ gratia operum titulis, cum iisdem in priore Catalogo jam dudum locum feciſſet, sicque de facili ad illos recurri queat. Pulcherrimum certe dixeris spectaculum, tot Autorum familias, qui hoc vel illud rei argumentum literis nobilitarunt, uno velut oculi conjectu intueri, ac transalpinæ cumprimis eruditionis statores & promotores, quorum in nostris terris maximam partem ignorantur scripta, accuratius noviſse. Finem denique toti operi imponit omnium harum classium & capitum, quæque sub illis comprehenduntur, rubricarum index absolutisimus, ut vel exinde de Clariſſ. Viri laudabili philobiblos juvandi studio ubertim constare possit.

SUPPLEMENS AUX MEMOIRES DE MESSire Philippes de Commines,

&c.

SUPPLEMENTA AD PHILIPPI COMINÆI Commentarios Historicos.

Bruxellis, apud Franc. Foppens, 1713, 8. Alph. 1 plag. 11.

PRodierant iterum in lucem publicam anno 1706 Commentarii historici Philippi Cominæi, in III Tomos distincti, quorum

rum primo Commentariorum Libri VI priores, altero VII & IIX cum tabula generali in Commentarios, & Chronico ſcandaloſo, ut titulus habet, tertio demum Obſervationes illuſtrium hiſtoricorum, Auguſti Thuani & Dionyſii Gothofredi, cum farragine Actorum publicorum, continebantur. Acceſſerunt demum anno præterlapſo 1713 Supplementa, quibus majorem omnino lucem hiſtoriæ temporum Ludovici XI eſſe affuſam, jure optimo maximo dixeris, cum multa vel rariora, vel ex Archivorum penu emendata
Pag. 1. & aucta, in unum congeſta volumen videas. Primum locum ſibi vindicant Gabrielis Naudæi additiones ad hiſtoriam Ludovici XI, quibus Ludovicum XI literis apprime imbutum, plurimosq; Galliæ Reges earum haud fuiſſe ignaros, adjectis inſuper non paucis, quæ ad hiſtoriam Ludovici XI illuſtrandam pertinere videbantur, edocemur. Alterum occupant Arcana Ludovici XI (*Cabinet du Roy Louis XI*) ubi literæ ſecretiores, & Monita ſcripto edita conſpiciuntur,
170. collecta ſtudio Triſtani Hermitæ Solierii. Tertius ſiſtit Elogium Caroli IIX a celeberrimo Brantomio confectum, in quo plurima,
245. quæ vitam Ludovici noſtri concernunt, compilata videas. Quarto exhibetur Comparatio regiminis Ludovici XI & XII, autore Claudio Seiſſelio, Archi-Epiſcopo Taurinenſi, cujus ſingulari eruditioni & induſtriæ complura debemus ſcripta, a Crucimanio aliisque
284. paſſim enarrata. Quinto additur Excerptum Veteris cujusdam
219. Chronici, in quo notatu digniora, quæ Gallis cum Burgundiæ Ducibus interceſſerunt recenſentur. Annexum equidem fuit id ipſum hiſtoriis Caroli VI & VII ex typographia Regia quondam in publicum emiſſis, aſt cum multa ex ſcriniis Rationarii Inſulani acceſſerint, quibus varia hiſtoriæ hujus capita ab anno 1461 usque ad obitum Caroli Audacis Ducis Burgundionum explicantur, novum plane opus idem cenſeri poterit. Agmen denique claudunt
405. Varillaſii Annotationes Criticæ & Hiſtoricæ ad hiſtoriam Ludovici XI, in quibus tamen fidem, ut in plerisque ejusdem operibus, Eruditi deſiderant. Nos excerptis communicandis ſuperſedemus, quod libri non novi ſint plerique, quanquam raritate ſua, maxime ſi Naudæanum reſpexeris, utique commendabiles.

REPONSE

RESPONSE A QUELQUES QUESTIONS.

h. e.

RESPONSIO AD ALIQUOT QUÆSTIONES, quæ capita non minimi momenti de Scriptura concernunt, Autore TIMOTHEO PHILOGRAPO.

Amstelodami, apud A. Lansvelt, 1713, 8.

Plag. 8.

EPistolarum commercio usus, 1 de Scriptura viva ac mortua, 2 de Christo, secundum carnem & Spiritum agnito, 3 de Anti-Christo, 4 de Apostolorum Canone Act. XV, 5 de Peccato in Spiritum S. Autor, cui latitare sub schemate placet, disseruit, nexu aliquali hac ratione invento. Illos, quibus ex Epistola *prima* Scriptura mortua est, *secunda* nosse Christum, sed non nisi secundum carnem, existimat, quæ etiam cognitio mortua *tertio* Spiritum *Anti-Christi* produxisset, qua occasione simul cum falsi Apostoli, fœtus *Anti-Christi*, scortationem Act. XV inpri- Pag. 59.
mis prohibitam, prohibendo matrimonium cum infidelibus promovissent, & *peccatores in Spiritum S.* maximus Anti-Christus 62.
sint, ad *quartam quintamque* dissertationem epistolicam dilabitur, novum insuper opus, cui *Clavis Scripturæ* nomen facere constituit, meditatus. Libare nonnulla juvat ex literis singulis. Scripturam vivam mortuamque expositurus, ab initio statim putat, Scripturæ consummationem & perfectionem esse Chri- 1.
stum in Justitia, quem explicat per Charitatem, ex corde puro bonaque conscientia prodeuntem, medium mediis; fructum tantisper committens. Necans non modo, sed simul mortua (a mortuis occisionem non facile metuimus) bono tamen, ut dicitur, sensu, Scriptura utriusque Instrumenti ratione pereuntium reputatur, 5.
non quidem in se, sed accidentaliter & indirecte. Complemen- 6.
tum Sacrarum literarum arcessitur a fide, fidei ab operibus, & ab 7.
indigne cœnam sumentibus illustratio petitur, quasi scilicet mortuum corpus sumeretur ab iis, qui mortui in peccatis accedunt. Per stellam matutinam, orientem in legentium cordibus 2 Pet. I, 21, lumen Evangelii de gloria Jesu Christi intelligit, & litera occi-

dens

Pag. 9. dens eo usque Scriptura audit, donec divino digito noſtris cordi-
20. bus inſeratur. Hoc fundamento nititur Epiſtola *ſecunda*, ubi cognitio Chriſti ſecundum carnem & Spiritum docetur. Explicat hanc Autor alludendo ad extrinſecam quorundam denomina-
24. tionem, ubi Judæi, Græci, Barbari, Scythæ κ. τ. λ. Gal. III, 28 Apoſtolo dicerentur nonnulli, cogniti ſecundum carnem, qui omnes, qua Spiritum, unus ſint in Chriſto, eandemque hanc de-
25. nominationem ait carnem eſſe, quam animalem Chriſtus Joh. IV, 63 appellitaverit. Rem paucis confecturus, ſummatimque ſtatuens de re, cognoſcere Chriſtum ſecundum carnem idem eſſe perhibet, quam ſperare in eum in hac vita tantum. Illuminatos
28. per Chriſtum omnes eſſe, alicubi largitur; at veritatem, in qua Chriſtus ſanctificatus, nosque apud eum & in eo ſanctificati ſimus, per mortem, mundo factam, & reſurrectionem glorioſam
30. exponit. Jeſum externum & literalem poſſidere ſaltim illos poſtea docet, qui hiſtorice mortem Chriſti & reſurrectionem noſſent, citra quod notitiam virtutis & potentiæ, quæ novam gigneret creaturam, obtinerent. De *Anti-Chriſto* incipit tertio
34. commemorare Autor, de quo generalius loquitur, ut diabolum
39. quoque ſub eo comprehendat. Per viſibilem & manifeſtatum in carne Anti-Chriſtum individuum minime, ſed certum aliquod
40. hominum genus cupit intellectum, omnes qui a condito mundo in populo Dei mundi regnum erigere conati ſint, Anti-Chriſti nomine notans, uti hujus ſimul Prophetas vocat, quotquot carnalem Meſſiam prædixerint, & annuncicaverint. Omnes hinc Pſeudapoſto-
55. li, Paulo inprimis memorati, ſub Anti-Chriſto continentur Auto-
56. ſq. ri, qui illud inſuper obſervat, converſos Gentiles ideo Apoſtolos tanto ſtudio interdixiſſe ſcortatione Act. XV, 20, 28, 29, quia Pſeudapoſtoli Proſelytis matrimonium cum gentilibus continuan-
62. dum, diſſuaſiſſent. Maximam feciſſe Anti-Chriſtum apoſtaſiam, Judæos inprimis & Proſelytos tempore belli contra Romanos, idem exiſtimat, duasque beſtias Apocalypticas, Anti-Chriſtum & falſum Prophetam, exponit per Imperatores gentiles, tum vero
64. ſacerdotes & Philoſophos ethnicos, qui falſa Anti-Chriſto fuerint prophetati, licet Johannes in Apocalypſi de octo potiſſimum Imperatoribus, quorum ultimus Trajanus, vaticinetur. Judæi

juxta

juxta & Gentiles, Muhamedani quoque pro Anti-Chriſto habentur, pluresque adhuc venire poſſe, immo, qui recte ſentiunt, operibus vero abnegant Deum, Anti-Chriſtianiſmum inferre practicum, contenditur. Religionum diſcrimen non adeo probatur, Pa. 65.
ſcandaloſæ potius hæ videntur diviſiones, cum unum illud ſit 67
conſectandum, ut unus ſimus in Patre & Filio per amorem & pacem Spiritus S. Ad decretum Apoſtolorum & Hieroſolymæ Seniorum *quarto* animum advertit Autor, exiſtimans, de connubio 70. 104
Gentilium potiorem hic ſimul fuiſſe quæſtionem, quod ſcilicet cum infideli, nunc converſo, jugum conjugale ſuſtinendum ulterius, & ex conſilio Pſeudapoſtolorum minime excutiendum 76,77.
ſit. Ex ſanguinis eſu diluvio periiſſe mundum conjicitur; modo 84. ſe
aliquæ hujus opinationis cauſæ ſimul fuiſſent allatæ. De Peccato 74.
in Spiritum S, *quinto* denique diſquiritur, quod quidem cum mendacio in Spiritum S. non confunditur, per inobedientiam & blaſphemiam tamen illorum exponitur, qui rejiciunt Evangelium, 90 93.
Jeſum pro Chriſto minime, quin pro ſeductore potius agnoſcunt, Spirituique S. reſiſtunt. Omnia quæ reliqua ſunt peccata, huic 107.
in Spiritum S. annexa perhibentur, irremiſſibilitas vero illius non eo ſenſu aſſumitur, quaſi illud committens, ſe nunquam convertere poſſit, quia alias nec Paulus aliique (qui rei hujus criminis putantur) redire cum Deo in gratiam potuiſſent. Judæi moderni 113.
pro ejusmodi peccatoribus habentur, licet non in eo gradu, quo
tempore Chriſti & Apoſtolorum viventes, ad quos ſcilicet Dei re- 115.
gnum potentiſſime perveniſſet. Nec Petrus, Chriſtum abnegans, 116.
immunis, graviſſimoque hoc ſcelere purus habetur, tametſi plene illud non commiſerit. Irremiſſibilitatem & in hoc & in futuro 117.
ſeculo exponit per pœnam, metuendam hic & ibi; immo quibus Diſcipuli in terra, Deus in cœlo retineret peccata, illos remiſſionem neque in hoc, neque in futuro ſeculo habere aſſerit, qua ratione & poſtea hanc phraſin conſtanter exponit. Ut loco confeſ- 125.
ſionis auricularis in monaſteriis & ubique praxis antiqua & inſpe- 129.
ctio ac vigilantia unius ratione alterius, confeſſiones mutuæ ac
preces pro hominibus invicem velut poſtliminio reducantur, no- 130.
voque recipiantur uſu, illud maxime deſiderat Autor, precibusque & omni contentione expetit.

NOTÆ AD INSTITUTIONES JUSTINIANEAS, varias Juris Romani Antiquitates, inprimis usum ejus hodiernum in Foris Germaniæ, ostendentes, in usum Auditorii THOMASIANI.

Halæ Magdeb. ex officina Rengeriana, 1712, 4.
Alph. 1 plag. 12

IN tanta Commentariorum Notarumque fertilitate, quibus a doctis passim & medioxumis Institutionum Justinianearum libellum exornatum novimus, forte non gloriosus adeo, aut magni momenti labor videri poterat, post nonum & nonagesimum volumen centesimum compingere, & denuo apponere crambem toties coctam. Adeo reliquum nihil hic fecit nostræ & superioris ætatis JCtorum industria, ut potius quicquid ad enucleandum genuinum verborum sensum, quicquid ad tollendas antinomias proferri, quicquid contra methodum & œconomiam moneri, vel in illis suppleri, quicquid denique ad usum fori nostri transferri poterat, larga manu exhibuisse eos posteris, fatendum sit. Quo igitur novum hunc, inquies, notarum fœtum? Enimvero, cum illustris Autor, de cujus instituto præfati nonnulla sumus superiori Mense p. 158, Commentatores illos plerosque omnes diversa studia sectatos animadverteret, dum alii nomothesiam Romanam juribus patriis ubique præferrent, alii quidem nonnisi subsidiarium illius auxilium agnoscerent, sed principia Gentium & Germanici Juris haud circumspecte satis excutientes, sæpiuscule adoptandum aliquid in Romanis Legibus invenisse sibi & aliis persuaderent, quod, si propius consideres, aut communem Gentium rationem sequitur, aut cum Jurisprudentia domestica ægre cohæret; revocandos illos e diverticulo in viam censuit Vir Celeberrimus, id nimirum ad singulos Institutionum titulos agens, ut differentias, si quæ occurrunt, principiorum Juris Romani & Germanici, & quid uni præ altero tribuendum sit, breviter ostendat. Id vero dum exequitur, passim ad utriusque Antiquitates declarandas divertit, vitia methodi & emendationis Justinianeæ detegit, & vanitatem Quæstionum hinc inde ab Interpretibus propositarum, Decisionumque a veritate abludentium fontes aperit. Sed ne gratis hæc asseruisse cuiquam videamur, dicta exemplis quibusdam tuebimur. P. 2 in

natales

natales doctrinæ de neceſſaria in Inſtrumentis invocatione nominis divini inquirit, eosque præpoſteræ loci Paulini ad Coloſſ. III, 17 interpretationi, deinde ambitioni Clericorum deberi aſſerit, quibus, quod intelligerent, invocationem hanc in conventionibus ſacramenti vice fungi, quam in rem adducit *l. 8 C. Th. de Pactis & tranſact. & l. 41 C. de tranſact.* facillimum fuerit hac ſub ſpecie negotia quævis Civilia cognitioni ſuæ ſubjicere. Pag. 9 Obſervantiæ judiciorum vim Conſuetudinis denegat, quod hanc conſtituant mores diuturni totius Civitatis ſive Populi *§. 9. de J. & J. l. 32 de LL.* Adverſam vero ſententiam inde ortam conjicit, quod credulis perſuadere vellent Juris Romani aſſeclæ, hujus uſum per obſervantiam judiciorum in Fora Germaniæ introductum eſſe. Ibidem docet univerſam juris privati doctrinam ad *Meum* & *Tuum* revocari, & in tres partes commode diſpeſci poſſe, ſive cum Ulpiano dicas, eam in *acquirendo, conſervando* & *minuendo Meo & Tuo* conſiſtere, ſive cum Cajo ſtatuas, omne jus pertinere vel ad *perſonas* de *Meo & Tuo* agentes, vel ad *res*, quatenus *Meum & Tuum* in iis conſtituitur, vel ad *actiones* perſequendi & conſervandi ſuum in judicio. P. 14 *Johannem Bodinum*, qui A. 1215 omnem inter Chriſtianas Gentes ſervitutis uſum ſublatum fuiſſe ſcripſerat *de Republica Lib. I c. 5*, erroris arguit, & Homines noſtros Proprios ac Ruſticos eosdem cum Veterum Germanorum ſervis eſſe contendit. Cives noſtros ab infidelibus captos adhuc hodie ſervos fieri putat, nec hodienum valere teſtamentum ab iis durante captivitate conditum: poſtliminium tamen in reverſis haud aliud, quam quod inter Gentes obtinet, admittit. Notat autem, JCtos noſtros, quod conditionem ſervorum Romanorum noſtratibus hominibus propriis & ruſticis adaptari poſſe deſperarent, hos demum liberos pronunciaſſe, atque hunc errorem alterum figmentum, jurisdictionem videlicet Patrimonialem peperiſſe, quam antiquum dominium in ſervos poteſtatem eſſe autumat, etſi moribus & legibus recentioribus magis circumſcriptam. P. 19 modos manumittendi olim & hodie inter Germanos adhiberi ſolitos exponit, & Denarialium, Chartulariorum & Manſoariorum differentias expendit. Non poſſumus autem non commendare hic Lectori *de conditione & ſtatu ſervorum apud Germanos tam veteri quam*

novo Libros tres Joachimi Potgieſeri, Tremonienſis, cohortis pedeſtris, ut ſemet vocat, ſubcenturionis, quos ille ex vetuſtis Germanorum legibus, capitularibus, diplomatibus, chartis, Gloſſariis, aliisque veteris, medii & recentis ævi monimentis magna induſtria adornatos edidit Coloniæ Agrippinæ 1707,8,haud modica luce totam hanc materiam perfundentes.Porro noſter manumiſſionem ex teſtamento in mores patrios non convenire arbitratur p.22 & ad obſtantem Concilii Aurelianenſis III Canonem 20 reſpondet, Synodum illam utpote Provincialem ad Franco-Galliam ſaltem, non ad Germaniam etiam trans-rhenanam, de qua ipſi ſermo ſit, ſpectare: deinde *Teſtamenti* vocem in antiquis legibus ſæpius quodcunque inſtrumentum denotare, ut in *LL. Ripuariis tit. de venditione.* Obſervandum tamen eſt, dictum Canonem ſegregare manumiſſionem, quæ ex *teſtamento* eſt ab ea, quæ ex *tabulis* venit; qua de re alii viderint. P. 39 ex Tacito commemorat, viros Germanos olim uxores ſibi emiſſe,adductis eam in rem Burgundionum & Saxonum legibus, atque ritus antiquiſſimi reliquias arrham noſtram ſponſalitiam Mahlſchatz & Morgengabam conſtituere exiſtimat. P. 29 hiſtoriam brevem pertexit Juris vitæ & necis in ſervos per intervalla a Romanis abrogati, & p. 34 patriæ poteſtatis gradatim mitigatæ. Nullam liberorum naturalium legitimationem ante Imperatorum Chriſtianorum tempora innotuiſſe, probat p.46. Diſputationem de quarta impuberi emancipato ab Arrogatore præſtanda, inutilem eſſe pronunciat, cum eis qui liberos haberent aut habere poſſent, interdictum fuerit arrogatione, citata *l. 17 §. 2, 3 ff. de Adopt.* adeo ut ſemper coincidat quarta legitima cum quarta omnium bonorum. P. 66 modos emancipationum ex mente Germanicarum legum conſiderans, nonniſi duos agnoſcit, *ſeparationem*, conjunctam vel cum aſſignatione vel ſimplici reſtitutione bonorum maternorum, & *Nuptias*. Rejicit inde commentum *Emancipationis tacitæ*, ab iis,ut credit, confictum, qui mores domeſticos ad normam legum Romanarum dimetiuntur, atque concludit, filium etiam per ſolas nuptias a patria poteſtate liberari. Cum igitur Emancipatio Germanorum confirmatione judicis non egeat, facile judicari poſſe, inquit, de exemplo Emancipationis *Lowenſteinianæ* a Kulpiſio & Penſoldo in medium allato. Aſſeſſores

enim Cameræ in eo errore versatos esse, liberis in potestate existentibus Tutorem dari non posse, atque adeo Comitem filiis ditiones suas concessurum, ut eos coram Judice ante emanciparet, invitis legibus & consuetudinibus patriis sola juris Rom. reverentia ductos adegisse. P. 74 postquam adstruxisset, differentiam nullam tutelam inter & curam apud Germanos intercedere, argumentum inde deducit, minoribus invitis etiam curatores dari: verba vero in speciem repugnantia speculi Saxonici *L. I t. 42* und mag auch ihrer wohl entbehren/ wenn er wil/ ad alterum casum ibidem expressum, Curatores nimirum Senibus sexaginta duobus annis majoribus dari solitos, refert. Atque hæc quidem, ex quibus de reliquis judicium ferri poterit, delibasse sufficiat.

A DISCOURSE OF FREE-THINKING.

i. e.

DISCURSUS DE COGITANDI LIBERTATE, scriptus occasione ortus & progressus Sectæ Libere Cogitantes apellatæ.

Londini, 1713, 8.

AUtor, quem *Tolandum* esse nuperrime accepimus, in Introductione rationem redditurus, cur ipse spem non habeat, fore, ut p. 3. 4.
apologiam pro *Cogitandi Libertate* scribens bene feciſſe videatur, asserit, apud illos, qui negent veritates per se evidentes, defensionem pro veritatibus illis locum non invenire, eosdemque non solum destitutos esse principiis scientiæ, sed etiam principia habere cum maximis absurditatibus congrua. Illisque hoc saltem remanere, ut vel propria corrupti cerebri figmenta, vel, quod magis solemne sit, impostorum aut vesanorum Enthusiastarum placita sequantur. Nam ut nemo præter hos in rebus speculativis aliis viam monstrandam esse existimet, sic neminem, qui in iisdem rebus opus esse viæ duce putet, alios quam ejuscemodi duces eligere. Sique illi opiniones, quibus olim imbuti fuerint, relinquant, mutationem illam iisdem adhuc niti principiis, ipsasque opiniones æque absurdas esse, ac quas antea habuerint.

Tractatio in tres Sectiones divisa est. Sectione I primo quidem definit *Cogitandi Libertatem*, quod sit usus intellectus, quo 5.

aliquis ſenſum propoſitionis, quæcunque illa ſit, invenire annitatur, conſiderando naturam evidentiæ, quæ pro aut contra illam faciat, & dijudicando illam ſecundum robur aut imbecillitatem evidentiæ illius. Deinde, ut probet jus *libere* ita *cogitandi*, quinque
p.6. affert argumenta. *Primo*, ſi quarundam veritatum cognitio a Deo ipſo præcepta, & aliorum ſocietati utilis ſit; contra ſi ignorantia veritatis a Deo vetita, nobisque damnoſa ſit, nos habere jus dicit cognoſcendi quamcunque veritatem, & conſequenter etiam *libere cogitandi*; cum non alia inveniendi veritatem via pateat. *Secundum* argumentum inde deſumit, quod perfectionem in ſcientiis nemo obtinere poſſit, niſi cogitando de omnibus ſcientiis.
7,8. Si enim aliqua ex parte cogitandi libertas hominibus adimatur, neceſſe eſſe, ut ea ex parte in ignorantia verſentur. Sique pauci quidam libertatem ſibi ſumant, cogitationes illorum non ita perfectas futuras eſſe, ac ſi omnes homines illa fruantur. Præterea omnes artes, quæ ad humanitatem pertineant, habere quoddam
9. commune vinculum. Sic de Iliade Homeri judicat Noſter, quod non ſit ars vel ſcientia, cujus non aliqua pars relationem ad illam habeat; Homerumque non potuiſſe deſcribere carpentum, vel rotam carpenti, ſine ſcientia carpentarii, hancque univerſalem rerum cognitionem in Iliade diſperſam facere, ut pro perfecto opere
10 ſqq. illa habeatur. Sic & fortaſſe, ait, non eſſe in mundo librum ita miſcellaneum ac ipſam Scripturam Sacram. Ut ergo recte aliquis illam intelligat, opus eſſe, ut de omnibus ſcientiis ac artibus recte
13. cogitet. *Tertio* argumentatur ab abſurditatibus, quæ inde ſequantur, ſi aliquis non libere cogitet. Inde gentiles putat Deum credidiſſe ſimilem eſſe bovi, vel feli, vel plantæ: imo multos antiquorum Patrum materialem illum ſtatuiſſe, multosque omnibus temporibus Chriſtianos Deo formam hominis tribuiſſe; donec cogitatio de natura Dei ſpiritualitatem ejus inter homines ratione utentes in omnibus Chriſtianismi regionibus ſtabiliverit. Inde & alias abſurdas notiones in religione, infallibilitatem vel ſingulis perſonis, vel Concilio, poteſtatem Clero in ſalvando & damnando tributam, cultum imaginum, ſanctorum, reliquiarum, aliasque multas Chriſtianis receptas eſſe dicit, donec paucorum cogitatio
14. aliam Chriſtiano orbi faciem dederit. Denique non minus in

Moralibus

Moralibus, Aſtronomia, Philoſophia Naturali & reliquis ſcientiis omnibus multas abſurditates ſine libertate cogitandi olim valuiſſe, animadvertit. Cauſam vero ſuam illuſtrare annititur ab impeditione viſionis liberæ, fingendo caſum, quo homines abſolute neceſſarium eſſe ad pacem publicam exiſtimantes, ut omnes eandem fidem habeant circa objecta quædam oculorum, jubeant, ut illi Confeſſioni Fidei Oculatis (*Eye-ſight Faith*) ſubſcribant. Talem Confeſſionem pariter fingit ex articulis inevidentibus & falſis conſtantem; e. c. *Quod pila poſſit permeare menſam: quod duæ pilæ fieri poſſint ex parva quadam pila*, &c. Atque data ejuscemodi confeſſione non tantum abſolute neceſſariam eſſe ait ſubſcriptionem, & legem, ne publice aliquis illi contradicat, vel ad minimum requiri, ut illi beneficiis provocentur, qui profitentur credere, aut docere illam, ſed etiam Patronos illius novas abſurditates addituros eſſe, & dicturos, articulos illos non contra, ſed ſupra viſum eſſe: periculoſum eſſe, fidem habere corporali viſioni: nos debere acquieſcere in autoritate illorum, qui reditus inde habeant, ut de illis diſpiciant; præterea punituros eſſe illos, qui propriis oculis uti velint, vel ad minimum ſub nominibus Scepticorum, Latitudinariorum, Libere Videntium inviſos plebi reddituros. Sed ita non ſolum fieri poſſe, ſed etiam inter gentiles & Chriſtianos factum eſſe, porro oſtendere conatur, de gentilibus eam in rem adducens oracula & miracula a Sacerdotibus ad decipiendos plebis ſenſus inventa, & neque profanorum, neque Epicuræorum, neque poſtmodum Chriſtianorum viſui patentia; de Chriſtianis vero exemplum Græcorum & Armenorum Sacerdotum, quorum fraudi tribuit, quando in vigiliis Paſchalibus, narrante Maundrello in Itinerario p. 93 ſeq. flamma miraculoſa de cœlo deſcendit ſuper ſepulchrum Salvatoris Noſtri. Ut alia ejus generis, quæ de Græcis, fœminis maxime illorum, ex Ricautii Præſenti Statu Imper. Ottomann. p. 148, 151, de Pontificiis item illorumque miraculis in medium affert, jam taceamus. Huc etiam Pontificiorum æque ac Noſtratum dogmata de Sacra Cœna refert. *Quartum* argumentum inde petit, quod omnis inhibitio ratiocinationis & cogitationis abſurda ſit: & *quintum* denique, quod cogitandi libertate diaboli regnum inter homines deſtruatur. Sic illum plane ejectum eſſe ex

p. 15. 17. 18. 19, 20. 21. 22. 23. 24. 25 ſq. 27 ſqq.

Unitis

Unitis Provinciis, ubi libertas cogitandi maxima sit: & in Anglia ubi olim singulis fere annis magnus sagarum numerus damnatus sit, data & accepta cogitandi libertate diaboli potestatem pariter imminutam, & contra a tempore Sacheverelli cum invectivis contra libere cogitantes auctam rursus esse. Sectione II septem argumenta profert ad probandum officium & necessitatem libere cogitandi de Quæstionibus Religionis. (1) Dicit, rectam & veram
p. 32. opinionem in quæstionibus illis ad salutem absolute necessariam haberi. Necesse ergo esse, ut illam homines cogitando inquirant. Alias enim illos opiniones a Parentibus vel Clero accipere, atque
33. adeo per accidens rectas tenere posse. (2) Certissimum atque optimum ad veritatem perveniendi medium inveniri in libertate cogitandi, atque adeo totum hominis officium, si opiniones respiciamus, in eadem consistere. (3) Contra superstitionem non aliud
35. 36 sq. remedium esse nisi libertatem cogitandi. Hac sola aliquem causis rerum, Deum & attributa ejus cognoscere, & quod ille nihil aliud ab homine requirere possit, nisi quod is ratione sua in regione illa vel statu, quo vivat, assequi satis possit, imo quod nihil etiam possit requirere sui, (cum nihil ipsi desit) sed omnia potius hominis causa, adeoque omnes actiones vel opiniones quæ hominibus nullo usui sint, ex. gr. cantationes, saltationes, certum quendam vestitum, dierum observationes, cibum vel potum, animalium mactationes, vel fidem circa transubstantiationem, vel consubstantiationem, aut nihil plane valeant apud Deum, aut ipsi displiceant. Hac præterea aliquem tranquillo esse posse animo,
38 sq. neque futuram quandam miseriam timere. Homines vero superstitiosos non posse credere in perfecte justum & bonum Deum. Illos asserere, Deum secreto compellare omnes homines, & ab illis nonnulla requirere sub pœna futuræ miseriæ, quorum nullam habere possint evidentem rationem, quod ab illo præcepta sint. Eosdem narrare, Deum aliis nationibus præter meritum gratiosum, aliis præter culpam iratum esse, & nunquam placato esse animo, negligentes illud, quod Deus aperte loquatur ad universum mundum & in illo acquiescentes, quod cum paucis illum communicasse credant.
40. (4) Infinitum numerum illorum, qui omnibus temporibus revelationem miraculis firmatam, & novas de Deitate doctrinas,

nova

nova præcepta, novas ceremonias, novasque cultus rationes continentem produxerint, & de quæstionibus religionis cogitandi libertatem absolute necessariam facere. (5) Societatem propagandi Evangelium apud exteros in Anglia institutam supponere, omnes homines de rebus ad religionem pertinentibus libere cogitare debere. (6) Evangelium ipsum, Salvatorem & Apostolos ejus commendare libertatem cogitandi. Scopum Evangelii fuisse, ut omnes homines cogitando sibi eligerent notiones aliquas ex illis, quæ de Deo & religione ubique lege stabilitæ fuerint, & ignotum Deum, ignotamque religionem ea evidentia, qua Apostoli ad convincendos illos usi sint, amplecterentur. Apostolos vero non postulasse, ut aliquid ipsorum autoritate, sine antecedenti illius probatione, acciperent. Paulum in Epistolis suis multa argumenta afferre ad confirmandos Christianos in vera fide', de quorum vi semper illos aliosque lectores judices faciat. Eundem Synagogas Judæorum sæpe ingressum esse, ut cum illis ratiocinaretur, Act. XVII,2,3. De Salvatore nostro adducit locum Joh.V,39: *Scrutamini Scripturas*, h. e. ipso exponente, allaborate, ut verum sensum inveniatis. Eundem veritum, ne a judicio & autoritate Parentum, vel Ecclesiæ inspectorum & Ministrorum penderemus, jussisse, ut bene attendamus, quid & quomodo audiamus, Marc.IV, 24, Luc.IIX,18, & a doctrina illorum nobis caveamus, Matth.XVI,12. Imo huc etiam Autor trahit loca Matth. XIX, 29 & XXIII, 8 Luc. XII,56,57, XIV,26. Addit præterea, quod ille, qui cogitet, omnes Sacerdotes tempore Christi ipsi & Evangelio ejus adversos fuisse, & Christum privilegia infallibilitatis non nisi Apostolis suis dantem, non potuisse certum esse, imposterum Sacerdotes aliquos aliter se habituros esse, etiam impossibile judicaturus sit, quod Christus respectu quorundam Ecclesiæ Ministrorum, in detrimentum generalium de cogitandi libertate præceptorum, mandatum aliquod speciale dederit. (7) Doctrina & factis Cleri fieri, ut libertas cogitandi de natura & attributis Dei, de autoritate & sensu Scripturæ evitari non possit. Sic (α) illos circa naturam, & attributa Dei, Scripturas item, earumque autoritatem & sensum diversas a se invicem habere sententias. Singula hic Autor noster fuse probat. E. c. si Scripturas spectes, Braminos habere dicit Scripturæ librum

p. 41 sq. 43 sqq. 45. 46. 47 sqq. 52.

Schaster appellatum: Persarum Sacerdotes *Zundævastaw*: Bonzas in China libros scriptos a discipulis *Fo-he*, quem Deum & Salvatorem mundi appellent: Telapoinos in Siam librum a *Sammonocodom*, quem a virgine natum referant, scriptum: Turcarum Sacerdotes *Alcoranum*: Rabbinos Samaritanorum, qui hodie in Sichem habitent, *quinque libros Mosis*, ab aliis, quibus nos utimur, diversos, una cum *Chronico* vel *Historia* de ipsis inde a tempore Mosis deducta, & pariter a libris Historicis V. T. plane discrepante: Rabbinos in communi Judæorum grege *viginti quatuor libros* V. T. Christianos *eosdem* una cum N. T. & Pontificios illis addere *Libros Apocryphos*, quos & Ecclesia Anglicana tanquam Semi-Canonicos recipiat. Magnum porro inter Christianos dissensum esse circa Codices Scripturæ, cum alii secundum hunc, alii secundum alium legant. Olim varia Evangelia & libros Scripturæ pro Canonicis esse habitos, qui nunc vel amissi sint, vel pro apocryphis habeantur, & in hunc usque diem sectas quasdam Christianorum in Asia & Africa habere libros Scripturæ quorum nihil nisi nomen
55. nobis innotuerit. Ipsos etiam Scripturæ libros diversum autori-
56. tatis gradum apud diversas illas Sectas habere. Denique Theologos diverse quoque sentire circa sensum librorum Scripturæ. Hoc manifestum esse ex magno Sectarum numero in unaquaque religione. Ad quod argumentum ulterius declarandum non
57 61. solum naturam Scripturæ Sacræ Christianorum verbis Taylori, difficultates in intelligendo vero sensu ejus indicantibus, expo-
61-75. nit, sed etiam Cleri Anglicani de doctrinis fidei & morum nuperas
66. dissensiones adducit. Unde hoc saltem notabimus, quod, licet olim in Articulo de Prædestinatione Anglicanæ Eccl. Ministri a partibus Calviniſtarum steterint, hodie tamen inter decem ad minimum inveniantur novem, qui contrariam sententiam proponant.
76. (β) Clerum asserere, doctrinas Ecclesiæ Anglicanæ & sibimet invi-
78 sqq. cem, & rationi esse contradictorias. (γ) Eundem multos abusus, defectus & falsas doctrinas in Ecclesia agnoscere. Allegat inter
79. alios Cl. Grabium, qui in Præfatione Tentam. de Doctrin. Apostol. p. 11 inter abusus refert, quod Christiani sanguinem edant & suffocatum; eaque occasione miratur, qui homines profitentes, se Scripturæ fidem habere, & illi maxime, qui putent, se intelligere illam

illam juxta ſenſum primitivæ Eccleſiæ, contra manifeſtum præceptum & legem de ſanguine & ſuffocato edere poſſint. Nam in V. T. illud morali illa atque æterna ratione, quod ſanguis vita ſit, prohibitum, & in N. T. abſtinentiam ab iisdem rebus ut neceſſariam mandatam eſſe. (δ) Profiteri Clerum, ſe nolle veritatem exponere, aliisque veritatem exponentibus illud exprobrare. Quo inter alia ſpectare putat verba Eduardi ad Whiſtonum doctrinis de Trinitate & æterna Deitate Jeſu Chriſti renunciantem pertinentia, nimirum Juramenta, Subſcriptiones ſolemnes & repetitas Declarationes, tanquam firmiſſimas catenas & vincula, non poſſe aut debere diſrumpi. Unde concludit, Mahometanum, vel Sacerdotem Pontificium ſemper falſa Juramenta ſua, Subſcriptiones & Declarationes ſervare debere, & Clerum Anglicanum pariter juramenta ſua ſervare debere, non, quod in recta ſit ſententia, ſed quod juraverit atque ſubſcripſerit. (ε) Si aliquis bonus Chriſtianus melius ratione utatur, quam vulgo fiat, ſtatim illum Atheiſmi, Deiſmi vel Socinianiſmi a Clero accuſari. Ita Atheiſmi accuſatum eſſe Cudworthum ob Syſtema Intellectuale Univerſi a Turnero, Tillotſonum item atque Burnetum a Leslejo, & Tillotſonum etiam ab Hickeſio appellari maximum Atheum, qui unquam vixerit. Similiter & Clarckium, Samuelem Boldum, & Joh. Lockium a Carrolo pro Atheis, & Chillingworthum communiter pro Socinano haberi. (ϛ) Canonem Scripturæ incertum reddi a Clero. Huc refert verba Grabii, Millii & Beveregii, eo potiſſimum ſpectantia, quod collectio librorum N. T. poſt Apoſtolorum tempora facta ſit. (ζ) Clerum exiſtimare, & probare anniti, textum Scripturæ eſſe precarium. Millium publicaſſe librum, omnes variantes Lectiones, quarum notitiam obtinere potuerit, continentem, illasque juxta nuperum Autorem Præfationis N. T. Wetſtenii ſupra triginta millia aſcendere. Imo Millium produxiſſe locum ex Victore, quo referatur, Tmuis Epiſcopo Africano, Meſſala Conſule, Anaſtaſio Imperatore jubenti ſancta Evangelia, tanquam ab idiotis Evangeliſtis compoſita, reprehenſa & emendata eſſe. (η) Tales libros edi a Clero de Natura Dei, veritate & autoritate Scripturæ, quibus argumenta ab Atheis, Scepticis & Socinianis in contrariam partem allata eadem vi & ſubtilitate, qua illi uti ſoleant, in Dialogis

p. 82. 83. 84. 85. 85 ſqq. 87. 89. 90.

Pag. 91. maxime repræsententur. (9) Unicum illud & perfectum Atheismi Systema Epicuri, a Lucretio literis consignatum, Creechium in metrum Anglicanum transtulisse, & Theologos laborem hunc magis commendasse, quam vix unquam antea pium aut religiosum aliquod scriptum. (1) Clerum in vertendis & edendis libris pia frau-
92, 93. de uti. Ita e. c. ἐπισκόπους Act. XX, 28 reddi *Overseers*, *Inspectors*, quod ibi manifeste diversos in una congregatione personas denotet, atque adeo, si *Bishops* (*Episcopos*) vertissent, inde apparere potuerit, quod *Episcopus* & *Presbyter* in Scriptura synonymi es-
94. sent termini. Ita etiam, paulo post pergit Noster, ad conciliandam autoritatem tribus Symbolis, Libro Precum solemnium (*Common-Prayer Book*) insertis, aliud appellari Apostolicum, aliud Nicænum, aliud Athanasianum, cum nondum res evicta sit, quod vel ullum eorum eum, cui tribuitur, autorem habeat. Et in rebus minoris momenti libros a Clero corrumpi, inter alia probat exem-
96. plo Felli, quem multa loca, inprimis quæ ad Hobbesium spectaverint, in Woodi Historia & Antiquitatibus Universitatis Oxoniensis corrupisse narrat, ad Hobbesii Vitam p. 114 provocans. Tales fraudes valde etiam communes esse in omnibus libris a Viris Ecclesiasticis publicatis, & Patres hodie potius sedulo liberandos esse a crimine adulterationis & truncationis autorum, quam articulos
97. fidei defendendos. Ipsum enim Hieronymum, adv. Vigilantium Opp. T. II p. 312, 313 ed. Erasmi, fateri, se in Origene mala vel amputasse, vel correxisse, vel tacuisse, & nominasse Hilarium, Eusebium Vercellensem, & Victorinum, qui in aliis simile quid fecerint. Alias denique Cleri consuetudines, declamationes nimirum contra rationem, artes & methodos deterrendi alios ab examine veritatum religionis, & admonendi ad examen, si veritatem a partibus ipsorum esse putent, principia item sua juventuti instillanda, Autor breviter saltem nominat, & ex omnibus hactenus dictis
98, 99. concludit, non in Cleri præjudiciis acquiescendum esse, sed libere cogitandum. Sectione III respondet ad objectiones contra Cogitandi Libertatem factas. Unde præcipua adhuc & imprimis illa, quæ mentem & animum Autoris nostri libere cogitantis ulterius
101. declarare possunt, adducemus. Ad secundam objectionem, quod libertas cogitandi infinitas opinionum diversitates, & consequen-

ter

ter turbas in ſocietate productura ſit, reſpondet, nullam eſſe legem ad prohibendas diverſas ſententias promulgatam, quæ non tot diverſas ſententias producat, quot ipſa libertas cogitandi; vel ſi prohibeat, remedium fore deterius, quam malum ipſum. Deinde meram opinionum diverſitatem natura ſua confuſionem in ſocietate non producere. Pythagoræos, Epicuræos, Stoicos, Platonicos, Academicos, Cynicos, & Stratonicos eodem tempore in Græcia vixiſſe, & in rebus graviſſimis a ſe invicem diſcrepaſſe, & tamen turbas non excitaſſe. Cauſam vero ejus rei eſſe, quod unicuique libertatem conceſſerint, & neminem ad hujus vel alterius mundi pœnas damnaverint. Hodie etiam ubique multas eſſe inter Philoſophos & Theologos controverſias, quæ tamen, conceſſo libero examine, nihil mali producant. Et in Turcarum Imperio tolerantiam variarum Sectarum pacem perfectam conſervare. Ad quintam objectionem, quod neceſſarium ſit, ad conſervandam publicam tranquillitatem, hominibus certas quasdam opiniones injungi, reponit, (α) impiam eſſe objectionem, & pro tali etiam a Cicerone libro I de Nat. Deor. ſub perſona Cottæ habitam. (β) Se concedere, objectionem recto fundatam eſſe principio, nempe commoda ſocietatis niti lege, qua aliquid vel permiſſum vel prohibitum ſit: ſe concedere etiam, erorres, ſi ſocietati utiles ſint, illi injungi, & conſequenter cogitandi libertatem impediri debere; ſed ita pariter ſe affirmare, legem tam falſo quam impie applicari, & experientiam æque ac rationem demonſtrare, quod opinionum coactio, ſive veræ ſint ſive falſæ, ſummo hominibus ſit exitio. Nam zelum injungendi illas non ſolum eadem mala produxiſſe, quæ alias libidines, avaritia, ambitio produxerint, ſed alia etiam multo triſtiora, ut numeroſas interneciones, deſolationes, & perſecutiones. Deinde ut alantur tot homines, quot requirantur ad defendendas & propagandas coactiones illas, tantum ſocietati oneri eſſe, quantum vix alia re ſuppeditari poſſit. (γ) Tranquillitatem & ordinem in ſocietate dependere a moralium officiorum praxi, vel potius in illa conſiſtere. Si ergo hominibus aliquid præter morale injungitur, zelum id promovendi non poſſe non zelum moralium officiorum praxi debitum imminuere, & conſequenter paci ſocietatis detrimento eſſe. Hæc Autor inter alia confirmare annititur experientia & exemplis

p. 102.
103.
111.
112.
113.
114.
115.

exemplis. Quod ſi enim quis, inquit, omni ſtudio doctrinas ſectæ ſuæ contra alias ſectas propugnet, ipſius vitio vel tegi commode poterunt, vel ſi in publicum emanaverint, colorem, quendam
pag. 116. accipient. Porro ait, Londini aliarumque urbium plateas plenas eſſe meretricibus, quæ publice tolerentur, imo viros etiam, qui rem cum illis habeant, impunitos abire, paucasque omnino vel nullas de publico illo ſcelere querelas inſtitui; contra, ſi aliquis aſſerat, Laicum baptizare, vel coram populo textum Scripturæ explicare poſſe,
117. & prela, & pulpitas de crimine perſonare. Denique illis, quibus uſui ſit augere & unitam ſervare ſectam ſuam, non ignotum eſſe, quod nihil magis ad incrementa & unionem ejus faciat, quam tolerantia vitiorum. Atque inde Pontificios omnia templa feciſſe aſyla, & Pium V. Papam audientem, Proteſtantes adulteriis & fornicationibus adverſos eſſe, de longa illorum duratione deſperaſſe. Et hoc arcanum jam diu ante innotuiſſe, ex Zoſimo converſionem Conſtantini narrante conſtare putat. Ad ſextam ſeu ultimam objectionem, quod homines libere cogitantes maxime infames, ſcelerati, & irra-
118. tionales ſint, regerit in genere, hanc objectionem ab omnibus ſectis
119. fieri contra alias, & facere ad varias greges inter ſemet invicem & contra alias uniendos. In ſpecie (α) illos, qui ratione ſua utantur,
120. neceſſario ſapientiores eſſe illis, qui ea non utantur: &, ſi alteram objectionis partem ſpectes, libere cogitantes, qua tales, non poſſe non eſſe homines virtute ſumma præditos. Nam illos, cum a communi ſententia recedant, ſcire, ſe omnem malitiam Cleri, eorumque, qui fidem illi habeant, adverſus ſe concitare, neque aliud, niſi
121. in virtute ſua, habere poſſe præſidium. Deinde illos, qui ſe ad actionem quandam applicent, & multo magis qui ad libere cogitandum, illo habitu omnes vitioſos affectus expellere, quibus reliqui turbentur. Denique ſola cogitaone homines mente ſua totum humanæ vitæ ambitum comprehendere, adeoque cognoſcere, quod infelicitas vitia, virtutes felicitas ſequatur. (β) Illos, qui omnibus temporibus & ſapientia & virtute celebres fuerint, fuiſſe
123. *Libere Cogitantes* (*Free Thinkers.*) Huc refert *Socratem*, quod non ſolum patriam religionem rejecerit, ſed etiam juſtam notionem de natura & attributis Dei habuerit, & factus ſit Chriſtianus, ſi nimirum Patrum primitivæ Eccleſiæ de Chriſtianiſmo ſententia

ſtandum

ſtandum ſit. Nam Juſtinum Martyrem p. 83 Opp. edit. Pariſ. pag. 124
aſſerere, Chriſtum Primogenitum Dei non eſſe aliud quam rationem, cujus omnes homines facti ſint participes, illosque, qui juxta illam vivant, Chriſtianos eſſe, etiamſi pro Atheis habeantur. Imo Socratem ab Eraſmo in Colloquiis præferri Chriſtianis. Neque 125.
probari poſſe de eodem, quod partes religionis ſuæ fecerit certas notiones quasdam, ſpeculationes, vel myſteria, vel ſecundum Xenophontem p. 710. Opp. edit. Pariſ. omnes homines ſtultos eſſe demonſtraverit, qui res cœleſtes inquirerent. Denique illum com- 126.
mune libere cogitantium fatum habuiſſe, quod pro Atheo habitus ſit, & pœnas libertatis cogitandi dare debuerit. Huc refert etiam Platonem, quod excogitaverit notiones illis, quæ in Græcia receptæ fuerint, contrarias, & cum Scriptura V. & N. T. convenientes: 128.
Ariſtotelem, quod diſcipulis ſuis vivo Alexandro M. ſuæ cogitandi libertatis ſpecimina dederit, & poſt mortem ejus ab Eurymedone impietatis accuſatus ſit, quod Philoſophicas quasdam aſſertiones introduxerit cum Athenienſium religione pugnantes: *Epicurum*, quod omnibus temporibus præ ceteris pro viro libere 129.
cogitanti habitus ſit: *Plutarchum*, quod, Sacerdos licet gentilis 130. ſqq.
extiterit, tamen intellectum ſuum liberum ſervaverit, neque ſuperſtitioni deditus fuerit, neque ſententiam ſuam de malis ex ſuperſtitione provenientibus celaverit, imo formam cultus, quamvis ita comparati, ut ubivis pro recto Dei cultu habitus ſit, perſtrinxerit: *Varronem*, quod juxta Auguſtinum de C. D. multa in 134.
Theologia Romanorum contra dignitatem & naturam Immortalium ficta pronunciaverit; item, multa eſſe vera, quæ vulgo ſcire non ſit utile, & quod de nonnullis tametſi falſa ſint, aliter exiſtimare populum expediat: *Catonem*, Cenſorem, quod, teſte Cicerone, 135.
aliquando dixerit, ſe mirari, quod non rideret haruſpex, cum haruſpicem vidiſſet: *Ciceronem*, quod non ſolum profeſſus ſit Philoſophiam Acad. vel Scepticam, ſed & oſtendere allaboraverit imbecillitatem omnium argumentorum, quibus Stoici ad probandam exiſtentiam Deorum utantur, & in libris de Divinatione deſtruxerit omnem Græcorum & Romanorum religionem, dixeritque, eos, qui dent Philoſophiæ operam, non arbitrari, Deos eſſe, 136.
& præterea omnes pœnas futuras & animæ immortalitatem negaverit

p. 137. verit in Quæſtionibus Tuſculanis. Qua occaſione Autor noſter
invehitur in illos, qui, ſi in Dialogis Ciceronis inveniant locum ſu-
perſtitioni, ut vocat, faventem, quem Cicero Stoici vel Epicurzi
ore protulerit, urgeant illum tanquam ab ipſo Cicerone profectum
138. & apparatum. Rectam itaque methodum de Ciceronis ſententia
cognoſcendi putat, ut videamus, quid vel ipſe, vel ſub nomine Aca-
141. demici dixerit. Ulterius vero ad cohortem libere cogitantium
refert *Catonem Uticenſem*, quod Lucanus libro IX verſ. 546-604
141 ſqq. (qui verſus metro Anglicano expreſſi una cum textu ipſo exhiben-
tur) illi ut ſapientiæ & virtutis, ita & cogitandi libertatis monu-
147 ſqq. mentum erexerit. *Senecam*, quod eam notionem de Dei cultu
Epiſt. 95, de ſuperſtitione Ep. 123, & de animæ immortalitate in con-
ſol. ad Marciam habeat, ob quam quis hodie facile a Clero Atheiſmi
150 ſqq. incuſari queat: *Salomonem*, quod Eccleſ. I, 4, 5, 6, 7, 9 elegantem
& Manilianæ libr. I non diſſimilem deſcriptionem protulerit de
mundi æternitate, & Eccleſ. III, 18-22 animæ immortalitatem, ac
Eccleſ. VII, 14 & IX, 5, 10 ſtatum futurum negaverit. Hic ad vin-
dicandam Sapientiam Salomonis, Autor notas ſubjungit, quibus
primo aſſerit, animæ immortalitatem in V. T. non fuiſſe eviden-
tem, negatam quoque a Sadducæis & Stoicis, ab aliis Græcorum
Philoſophis dubiis plenam habitam, neque ante Pherecydem Sy-
rum a Græco quoquam, teſte Cicerone, aſſertam, & Herodoto autore,
ab Ægyptiis primum excogitatam. Deinde vera principia, a qui-
353 ſqq. bus illa dependeat, tantum ait ex N. T. petenda eſſe. Porro libere
cogitantibus adjungit *Prophetas*, quod Jeſ. I, 11-14, Ezech. VI, 20,
VII, 22, XX, 25, Amos V, 21, 22, 23 contra religionem ſtabilitam ſcri-
pſerint, ac ſi pro meris impoſturis illam habuerint; & majori ad-
huc libertate contra inſpiratos Sacerdotes ſuos atque Prophetas, Jeſ.
XXVII, 7, Jer. II, 8, V, 31, VI, 13, IIX, 10, XIV, 4, XXIII, 11, 13, 14, 15, 16, 20,
25, 26, 30, XXVII, 16, 17, Lament. IV, 13, Ezech. XIII, 2, XXII, 25, 28, Hoſ.
157 ſqq. VI, 9, Mich. III, 11: *Joſephum*, quod Antiqu. L. I, c. 3 in hiſtoria de
Caino Præadamitas ſtatuere videatur; L. II c. 16 Iſraelitarum
tranſitum per mare rubrum ſimilem fuiſſe dicat illi Macedonum
duce Alexandro M. per mare Pamphylium; cui, teſte ipſo Ale-
xandro in literis apud Plutarchum, nihil miraculi adfuerit;
quod L. III c. 5, enarrata apparitione Dei in monte Sinai, addat,

lectorem

lectorem posse illud, quo velit, sensu accipere; L. X c. 11 aliter Historiam de Nebucadnezare referat, ac Daniel, & tandem L. II adv. App. Mosen populo persuadentem, se legem habere a Deo, comparaverit cum Græcis ab Apolline leges suas derivantibus, quod sic optime illas a populo acceptum iri putaverint: *Origenem*, quod non ut p. 162. alii Patres *Sancti* titulum obtinuerit, & quod multum de salute ejus in Ecclesia disputatum sit: *Minutium Felicem*, quod aut Christianos Philosophos esse, aut Philosophos fuisse Christianos 163. dixerit, & ad gentilium quæstionem, cur Christiani nullas aras habeant, nulla templa? nunquam palam loqui, nunquam libere congregari, plane ut modernus Latitudinarius & *Libere Cogitans* responderit: *Synesium Africanum*, quod non nisi certis conditionibus 165 sqq. cogitandi libertatem declarantibus Episcopatum assumere voluerit: *Baconem de Verulamio*, quod non solum novam Philoso- 169. phiam introduxerit, sed etiam in Augm. Scient. L. II c. 13 totum superstitionis secretum prodiderit, in Nov. Org. L. II aph. 29 pro suspectis habuerit facta, quæ quomodocunque dependeant a religione, & in peculiari tractatu Atheismum superstitioni prætulerit: *Hobbesium*, quod pariter virtutis ejus & libertatis cogitandi docu- 170. menta & testimonia extent: & ultimo denique *Tillotsonum*, quod 171 sqq. Hickesio judice, non solum multos Atheistas fecerit, & Clerum æque ac religionem ridiculam reddiderit, sed ipse etiam Atheista fuerit. Ad hæc ulterius declaranda Autor noster varia ex Sermonibus Tillotsoni conquirit, quæ paulo liberius de religione dicta videntur, & toto tandem discursui colophonem imponit. De quo quid sentiendum, proximo Mense ex sententia Rich. Bentleji & Samuelis Pycroft uberius referemus.

M. BENJAMIN HEDERICHII NOTITIA Autorum antiqua & media.

Vitembergæ, apud Gottfr. Zimmermannum, 1714, 8. Alph. 3 pl. 12.

CL. Autor non tantum de alumnis scholæ Haynensis in Misnia nostra, quorum studiis Rectoris nomine præest, præclare meretur, sed etiam pulcherrimum sibi ducit, specimina nonnulla in usum juventutis vernaculo idiomate evulgare. Hactenus enim

publicam lucem adſpexerunt tres libri εἰσαγωγικοὶ ad præcipuas ſcientias Hiſtoricas, Mathematicas, Philologicas, itemque Faſti Conſulares Romani, propediem vero Progymnaſmata tum ſtyli Latini tum linguæ Græcæ prodibunt. In hoc quidem, quod nunc ſiſtimus, opere pariter vernaculo, primum vitæ eruditorum breviter enarrantur, deinde ſcripta potiora ac præſtantiſſimæ editiones recenſentur, tandemque cenſuræ aliorum adjiciuntur. Antiqua notitia incipit ab Henocho, definitque ad annum Chriſti CCCX in Lactantio; media vero a Conſtantino M. ad Nicolaum Cuſanum, qui circa annum MCCCCL floruit, progreditur, & prior quidem pars trecentos triginta ſeptem, poſterior vero quadringentos quatuordecim autores complectitur. Quamvis vero non omnes, qui ab orbe condito ad medii ævi finem inclaruere, commemorentur, attamen de præcipuis Scriptoribus dictum fuit ſatis. In Introductione, quæ operi præmittitur, de comparanda notitia in hoc ſtudiorum genere generatim ſed docte diſſeritur. Nos ſpecimina dare ſuperſedemus, optamus vero, ut pari modo & recentiorum ſcriptorum conſpectum ſubinde cum ſtudioſa juventute communicet Cl. Autor.

DESIGNATIO OPERUM JO. KEPLERI, QUORUM EDITIONEM XXII inf. volum. molitur Cl. HANSCHIUS, Subſcriptionibus eruditorum promovendam. Pretium eſt 50 imperialium.

VOlumen I continebit Demonſtrationes plurimas & pulcherrimas de magnitudinibus & intervallis trium corporum, Solis, Lunæ & Telluris, quas ſub Hipparchi nomine (quod hic primus fere Ptolemæorum Ægypti temporibus Scientiam motuum Solis & Lunæ conſtituerit) publicæ luci exponere in animum ſuum induxerat autor, easdemque pro fundamento theoriæ ſuæ, tum in commentariis de ſtella Martis, tum in aſtronomiæ Copernicanæ epitome agnoſcit. In parte prima inter alia de correctione diametrorum Solis & Lunæ apparentiæ, de facilitandis parallaxibus, de lunæ Latitudine, umbra terræ aliisque ad doctrinam eclipſium pertinentibus accuratius determinandis agitur. In parte altera demonſtrantur theoremata & problemata, eorumque in Aſtro-

Aſtronomia & Geographia uſus declaratur, nova hypotheſis phyſica explicatur, variatio menſtrua ex variis obſervationibus adſtruitur, de optima conſtituendi epocham motus Solis medii ratione diſſeritur, & tandem eclipſium omnium, quarum haberi potuerunt obſervationes, juxta hypotheſin novam examen inſtituitur. Vol. II Adverſaria Lunaria opus maximum variis ad tabulas lunares accuratiores condendas adminiculis refertum. Vol. III Obſerv. & annotata de Stella nova & fixis quibusdam, quæ in Catalogo fixarum deſiderantur, nondum edita, una cum examine obſervationum ſtellæ novæ Davidis Fabricii Heliſæi Rœslini, Johannis Bayeri, Johannis Georgi Brenggeri, C. Heniſchii, Kepleri de quærendis ſtellarum diſtantiis meditationes, aliaque. Vol. IV Verſionem & Commentaria Kepleri in Ptolemæi Harmonicorum Librum tertium, in quibus inventa Ptolemæi cum præclariſſimo Harmonices mundi opere edito conferuntur. Vol. V Geometrica Kepleri meditata, quæ plurimum & firmant & promovent veritates noſtris temporibus inventas. Vol. VI Dialogum de Calendario Gregoriano, in quo de neceſſitate reformationis calendarii veteris correctionis Gregorianæ fundamentis & accuratione diſſeritur, & quæſtio tractatur: an Status Proteſtantes calendarium Julianum in nonnullis mutare, vel immutatum retinere, vel denique Gregorianum aſſumere debeant? una cum actis authenticis ad correctionem illam pertinentibus. Vol. VII, IIX, IX, X, XI & XII exempla literarum αὐτογράφα ſereniſſimorum Principum, Comitum, Baronum, Virorumque Seculis XVI & XVII illuſtrium & clariſſimorum ad Johannem Keplerum, una cum reſponſionibus plurimis, quibus non tantum varia reconditæ Kepleri doctrinæ capita ſed & hiſtoria literaria illorum temporum mirifice illuſtratur. Comparent autem literæ Melchioris Schæreri, Statuum Auſtriæ ſuper-aniſanæ, Philippi Eckebrechtii, Nicolai Raimari Urſi, Johannis Fiſcheri, Johannis Lauterbachii, Jeremiæ Piſtorii a Purgsdorf, Johannis Rummelii, Chriſtiani Schwarzbachii, Pauli Matthiæ, Polycarpi Lyſeri, Marci Velſeri, Conradi Daſypodii, Seisſii, Galilæi a Galilæis, Johannis Erickenii, Wenceslai Budovizæ a Budowa, Adami L. B. de Budowa, Vincentii Joannelli, Chriſtophori Beſoldi, Johannis Friderici L. B. ab Hoffmann, Willebrodi Snellii, Joh. Bainbridge,

bridge, Octavii Piſani, Joh. Caſp. Odontii, Jobi Hartmanni, L. B. Enenckelii, Ambroſii Rhodii, Colmanni Zehentmaieri, Benjamin Urſini, Floriani Cruſii, Joh. Strauſſii, G. Hebenſtreitii, Rectoris Ulmenſis, Tychonis Brahei, Johannis Remi alias Zuietanii, ſutoris ante tabulam Appellis, Philippi Landgravii Haſſiæ, Alberti Curtii, Joh. Theodori de Ottersdorff, Chriſtophori Scheineri, Michaelis Mœſtlini, Martini Cruſii, Georgii Limnæi, Melchioris Jœſtelii, Petri Hoffmanni, Jacobi Bartſchii, Joh. Baptiſtæ Cyſati, Petri Crügeri, Vincentii Planchi, Thomæ Mingonii, Edmundi Gunteri, Henrici Briggii, Ludovici Barbavariæ, Wolff. Bachmeieri, Pauli Virdungi, Wilhelmi Schickardi, Joh. Antonii Roffini, Friderici Rüttellii, Heliſæi Rœslini, L. Philippi Mulleri, Simonis Marii, Joh. Ant. Magini, Odonis Malcotii, Joh. Stephani Boſſii, Georgi Chriſtophori de Schallenberg, Auguſti Principis Serveſtani, Maximiliani Bavariæ Principis, Julii Friderici Ducis Wurtembergici, Melchioris Stœlzii, Juliani Medices, Sethi Calviſii, Joachimi Tanckii, Nicolai Serrarii, Joh. Rheinhardi Zigleri, Joh. Deckerii, Joh. Georgii Bringgeri, Chriſtoph. Hegulontii, Thomæ Harriotti, Piſtorii, Chriſtiani Severini Longomontani, Samuelis Hafenrefferi, Nicolai a Vicken, Joh. Krabbii, Matthiæ Berneggeri, Cypriani Kinneri, Martini Rulandi, Tobiæ Adami, Lucæ Brunn, Edmundi Brutii, Jo. Caſelii, Valentini Hanckii, Petri Henr. a Stralendorff, Sebaſt. Tengnagelii, Joh. Mulleri, Eraſmi L. B. Stahrenbergii, Pauli Hombergeri, Michaelis Kelleri, Jo Hartmanni Beyeri, Jo. H. Buchwaldt, Thomæ Barthii, Nicolai Zucchi e S. J. Adriani Romani, Georgii Rothenhagen, Ludolphi Riddershauſen, Academiæ Tubingenſis, Kepleri ad Joſeph. Scaligerum, Andr. Herrenſchmidi, Joh. Conradi Gerhardi, Georgii Horſtii, Mich. Gehleri, Joh. Crellii, M. Joh. Fuchs, Georgi Fucari, Marquardi Freheri, Gaſparis Ens, Pauli Guldini e S. J. Jani Gringalleti, Jo. Georg. Gœdelmanni, Albini Molleri, Jo. Erhardi Hoffmanni, Martini Horchii a Lochowiz, Matth. Haffenrefferi, Dan. Moglingii, Hermanni Hulderi, Thomæ Lanſii, Caſp. Dornavii, Jacobi Hueler, Jo. Georgii Beſoldi, Jacobi Chriſtmanni, Joh. Homelii, Bachauzeri, Jeſſenii, Joh. Val. Andreæ, Weidecholzii, Jacobi Valeſii, D. Joh. Gapii, Pacii Paſino, Guil. Rechpergeri & reliquorum. Integrum volumen abſolvunt Epiſtolæ

Davi-

Davidis Fabricii Eſſenſis A. Conf. in Orientali Friſia Miniſtri in pago Reſterhavia, Uraniæ Cultoris, ad Keplerum cum reſponſionibus, in quibus variæ res Aſtronomicæ & Phyſicæ ad theoriam Martis, Saturni, Jovis & Mercurii pertinentes ſolidiſſime pertractantur ab anno 1601 d. 23 Jun. usque ad annum 1609 d. 12 Martii, nec non Epiſtolæ Jo. Georgii Herwardi ad Hoenburg, Cancellarii Bavariæ, Sereniſſimi Bavariæ Ducis Conſiliarii & Præſidis Suabæ, ad Keplerum, cum reſponſionibus Keplerl de graviſſimis argumentis, ab anno 1597 ſd. 24 Octobr. usque ad annum 1609 d. 15 Dec. Revidit in his voluminibus omnia, plurima addidit & emendavit ipſe Keplerus. Vol. XIII Demonſtrationes motuum Mercurii & Veneris cum vario ad Tabulas novas condendas apparatu. Vol. XIV Commentaria ampliſſima in Theoriam Martis ab editis prorſus diverſa. Vol. XV Documenta obſervatarum & examinatarum eclipſium tam ſolarium quam lunarium. Vol. XVI Chronologiam Mathematicam a mundo condito usque ad Politiæ Judaicæ finem deductam. Vol. XVII Notas doctiſſimas ad Scaligeri & Petavii Doctrinam temporum. Vol. XIIX Genethliaca & Genealogica, in quibus themata occurrunt Principum, Comitum aliorumque Illuſtriſſimorum & doctiſſimorum Virorum ſed absque directionibus, earumque explicationibus, quarum exempla Keplerus ipſe arcanorum loco ex voluntate Imperatoris ceterorumque habuit, teſte filio Ludovico Keplero in literis ſupplicibus Patre fatis functo ad Cæſarem directis. Vol. XIX Tractatum de anno lunari non a Moſe ſed Græcis introducto, aliaque plurima ad Chronologiam ſpectantia. Vol. XX Exemplar authenticum tabularum Rudolphinarum editioni emendatiſſimæ inſerviens. Vol. XXI Scripta Kepleri ad Hiſtoriam & Criticam pertinentia varia, & alia ejusdem varii argumenti. Vol. denique XXII Tractatus Arithmeticos, Algebraicos & Mechanicos varios. Quibus placuerit digniſſimum opus prænumerata ſumma aut integra aut dimidia ſibi aſſerere, habent quibuscum agant bibliopolas Auguſtæ Vindelicorum Paulum Kühtzium, Venetiis Jo. Gabrielem Hertz, Ulmæ Danielem Bartholomæi, Norimbergæ W. M. Endterum, Baſileæ Biſſchoffium, Genevæ N. de Tournes, Lugduni Gallorum Aniſſonios & Poſwelios, Argentorati Dulſzeckerum, Amſtelodami

Wettſteinios, Roterodami Fritſchium & Bœhmium, Lipſiæ Antonium Luz Acciſarum præfectum, Dresdæ Michaelem Weinholdum, Berolini Meyerum & Zimmermannum, Coloniæ Agrippinæ Rommerskirchium, Francofurti ad Mœnum Knochios, Hamburgi Wolffgangum Figweiler & Chriſtianum Liebezeit, Viennæ Auſtriæ Eslingerum, Uratislaviæ Felgibelii viduam, Hannoveræ Fœrſterum, Regiomonti Boyum.

NOVA LITERARIA.

EX Anglia nuper accepimus, Jo. Smithum novam librorum Bedæ hiſtoricorum editionem parare. Secta Neo-Arianorum majora indies incrementa capit, ſiquidem ſingularem nunc conventum celebrare ſolent, in cujus uſum Whiſtonus, caput illorum, libellum precum Anglicarum (*The Common Prayer Book*) ad mentem veterum, ut putat, Chriſtianorum mutatum edidit. Ejusdem Whiſtoni cauſam ferunt a Synodo, quam Angli *Convocation* appellant, brevi judicatam iri, illumque multum ſibi inde metuere. Ceterum inter libros novos in Anglia nuper prodierunt ſequentes: *A new Enquiry of the Hell;* in quo Autor putat, locum inferni eſſe Solem utpote centrum totius univerſi. *A Diſcourſe of drinking in remembrance of the Dead.* Tractatus eſt ab Hiberno Epiſcopo conſcriptus, in quo evincere conatur, non recte fieri, quod Angli in memoriam defuncti Regis ſui Guilielmi bibant; cum hic honos debeatur ſoli Chriſto, in cujus mortis memoriam in S. Cœna bibatur. *The General Deluſion of Chriſtians touching the way of Gods revealing himſelf to and by the Prophets, evinced from Scriptures and primitive Antiquity; and many Principles of Scoffers, Atheiſts, Sadducees and wild Enthuſiaſts refuted, in 4 Parts, in 8.* Autor ejus Fanaticus & pariter anonymus oſtendere allaborat, donum vaticinandi a temporibus Chriſti ad noſtram usque ætatem in Eccleſia nunquam deſiiſſe; maximamque libri partem in defenſione Montaniſtarum inſumit, exhibens in compendio, quæ Arnoldus in Hiſtoria Eccleſiaſtica Hæreſium prolixius ſcripſit. *A Caveat againſt the new Anabaptiſts lately ſprung up at Exon.* Nempe nuper quidam Epiſcopalium, ut vocantur, (quos Baptiſmum a Miniſtro,

niſtro, quem Epiſc. non ordinavit, collatum irritum putare notum) non neminem a Presbyterianis ad ſe tranſeuntem rebaptizarunt. Hoc factum ergo in ſcripto illo acerrime impugnatur, & oſtenditur, quod ſecundum Epiſcopalium ſententiam & Carolus I in Scotia baptizatus, & Princeps Georgius, Reginæ quondam maritus, & Elector Hannoveranus, futurus Angliæ Rex, pro Ethnicis habendi ſint; cum Lutherani Presbyterianis ſeſe annumerent. Oppoſuit ſcripto huic *A Reply againſt the Caveat* rebaptizatus ille, in quo factum omni ſtudio defendere annititur. Jo. Johnſon edidit quoque ſpiſſum librum in 8, in quo Sacramentum Cœnæ proprie dictum eſſe ſacrificium, ex Patribus præſertim, probare conatur. Et Th. Bradbury, Miniſter Presbyterianorum, Sermonem d. 5 Nov. A. 1713 a ſe habitum publicavit ſub tit. *The Aſſ and the Serpent*, ex Gen XLIX ubi *Tories* cum Aſinis, *Whigs* vero cum Serpentibus comparat. Vir Celeb. Gilbertus Burnetus Hiſtoriæ Reformationis Anglicanæ partem tertiam prelo ſubmiſit. Thomas Rymer, nuper ætate ſatis provecta defunctus, ſedecim *Actorum Anglicorum* tomos, ad tempora Jacobi I deductos, abſolvit, quorum poſtremus jamjam ſub prelo ſudat. Imprimuntur & Londini Poetæ Græci veteres tomis III in fol. Oxonii A. 1713 in fol. octo tabulis charta auguſta prodiere *Ben. Marſchal* Tabulæ Chronologicæ continentes tum ſacra tum profana maxime notatu digna a creatione Mundi usque ad Chriſti Nativitatem. Quod ad ſacra attinet, ae Autor ſibi ſuppeditata fuiſſe refert ex ipſa S. Scriptura & Joſepho, reliqua deſumpſit partim ex Africano & Georgio Syncello, partim ex Euſebio & Hieronymo, adhibito etiam judicio Virorum clariſſimorum & in re Chronologica facile Principum, Joſ. Scaligeri, Uſſerii, Marshami & Dodwelli, in omnibus autem ad S. Hiſtoriam ſpectantibus plurimum debere ſe fatetur Guilielmo Epiſcopo Vigornienſi. Cantabrigiæ Euſebii, Socratis, Theodoreti & reliquorum Hiſtoria Eccleſiaſtica ad exemplum editionis Pariſienſis recuditur, ſubjunctis textui notis Valeſii, Uſſerii, Pearſoni, Felli, Beveregii, Cavei, Pinii, If. Voſſii, Pagi aliorumque. Edimburgi Abercrombii Vitarum Bellatorum Scotiæ illuſtrium Tomus II (primus prodiit 1711 in fol.) Mackenzii item Vitarum & Characterum

cterum celebriorum Scotiæ Scriptorum Tomus tertius, ut & Buchanani quæ exſtant & Mackenzii modo nominati Opera varia duobus voluminibus mox lucem adſpicient.

Trajecti ad Rhenum ante paucos dies in lucem prodiere Ovidii Naſonis Opera omnia 3 Vol. in 12 opera Cl. Burmanni ad fidem veterum codicum caſtigata, nitidisque & elegantibus characteribus excuſa. Eadem forma atque elegantia in lucem edita quoque fuere Horatii carmina. Sub prelo etiamnum ſudat Silius Italicus cum integris & ineditis notis Heinſii, & Drakeburgii, qui curam iſtius editionis habet. Nuper etiam lucem conſpexere Joannis Van de Water obſervationum juris Romani libri tres, in quibus multa Juris Autorum capita emendantur & explicantur, aliorumque Autorum loca illuſtrantur, in 4. Ejusdem opera ex tenebris iterum extrahentur commentarii ac notæ maxima eruditionis legumque peritia refertæ, Jani a Coſta, Theodori Marcilii, & M. Antonii Mureti, quibus Inſtitutiones Juſtiniani egregie explicantur, & qui hactenus non niſi inſano pretio comparari, & rariſſime a Jurisprudentiæ elegantioris cultoribus reperiri poterant.

Wolffenbutteli nuperrime Jacobus Burckhard typis exſcripſit' programma, in quo conſilium aperuit de Joannis Reuchlini & Rudolphi Agricolæ epiſtolis junctim recudendis, quibus nonnullas quoque utriusque ſcriptoris orationes & præfationes adjiciet: eoque abſoluto opere, quod gratiſſimum haud dubie futurum eſt eruditis, ad Jo. Trithemii epiſtolas pari modo prelo iterum ſubjiciendas animum applicabit. Helmſtadii Summe Rev. Jo. Fabricius Octavii Ferrarii diſſertationem de Mimis & & Pantomimis proxime editurus eſt, una cum Jo. Phil. Slevogti, Anteceſſoris Jenenſis primi, prolixa elegantiſſimaque ad Fabricium perſcripta epiſtola, qua Ferrarii Latinitatem contra iniquius Morhofii judicium accurate & maſcule defendit. Pergit idem in recenſenda Bibliotheca ſua, hoc modo, ut librorum contenta, varias editiones, argumenta, compendia, ſcripta oppoſita, apologias, errata, autorum vitas, eruditorum de illis teſtimonia ac judicia, & ſi quæ alia ad rem librariam pertinent, indicet atque exponat.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Junii Anno M DCC XIV.

ELEMENTA MATHESEOS UNIVERSÆ. Tomus I, qui commentationem de Methodo Mathematica, Arithmeticam, Geometriam, Trigonometriam, Analyſin tam finitorum quam infinitorum, Staticam & Mechanicam, Hydroſtaticam, Aerometriam, Hydraulicam complectitur; Autore CHRISTIANO WOLFIO, in Acad. Reg. Fridericiana Math. Prof. P. Ord. Societatum Regiarum Britannicæ atque Boruſſicæ Sodali.

Halæ Magdeburgicæ, ex Officina Rengeriana, 1713, 4. Alph. 4 pl. 19 Tabb. æn. 50.

ANte hoc triennium jam vernaculo ſermone Elementa Matheſeos univerſæ quatuor tomis in 8 comprehenſa (de quibus diximus in Actis A. 1710 p. 486) in gratiam Tyronum publici juris fecit Autor Celeberrimus, quod experientia edoctus eſſet, nulla hactenus comparuiſſe ſingularum Matheſeos partium elementa ſcopo ſuo ſatis convenientia. In hoc ſuo Curſu Mathematico id imprimis operam dedit, ut jactis in qualibet parte ſolidis fundamentis ea perſpicue traderet, quæ praxin magis, quam theoriam reſpiciunt. Verum cum bibliopola videret, opus ſub prelo adhuc ſudans a pluribus avide exſpectari, Autori tandem perſuaſit, ut librum ſuum Latino habitu indueret. Poſtea-quam aliquandiu huic labori incubuit bonamque operis partem jam Latine reddidit, cogitatio animum ejus ſubiit conſultius fore, ſi theoretica, quæ in Germanico ſyſtemate dedita opera parcius inſperſerat, paulo uberius in Latina editione explicaret, ut illorum etiam commodis velificaret, qui altioris Matheſeos fundamenta

haurire geſtiunt. Hinc eſt, quod Curſus ejus Mathematicus, quem modeſto Elementorum titulo inſignitum voluit Autor doctiſſimus, & cujus jam primus Tomus Latino ſermone comparet, tum quoad ordinem tum etiam quoad materiarum rerumque in eo excuſſarum copiam plurimum differat a Germanica ejusdem editione, quæ tamen non ſine fructu in Mathematicis Auditoriis hinc inde hucusque adhibita eſt. Complectitur vero primus Tomus Latinæ editionis Elementorum Matheſeos univerſæ tractatum vel ſi mavis commentationem de Methodo Mathematica, Arithmeticam, Geometriam, Trigonometriam planam, Analyſin tam finitorum quam infinitorum, Staticam & Mechanicam, Hydroſtaticam, Aerometriam & Hydraulicam. Commentarius de methodo mathematica ſuccincte evolvit principia, quibus uti convenit in accuratis demonſtrationibus, variaque tradit, quæ non ubique occurrunt apud Autores & tamen præſentiſſimam utilitatem pollicentur in omni diſciplinarum genere. In Arithmetica præterquam quod Cl. Autor algorithmum dilucide exponit atque ex ſuis genuinis principiis regulas vulgo tradi ſolitas absque ambagibus derivat, ea demonſtrare non detrectavit, quæ in axiomatum numerum relata communiter tanquam indemonſtrabilia præſupponuntur. Sic inter alia hanc propoſitionem ſub axiomatis titulo notiſſimam demonſtratam exhibet; quod *Totum eſt majus qualibet ſua parte*, quam ex ſimplici definitione, *Quid ſit majus minusve*, & ex unica enuntiatione identica, quam vere pro axiomate habet, quod ſcilicet *idem ſibi ipſi æquatur*, elicit. Inter definitiones unam affert, quam Illuſtri Leibnitio acceptam refert. In hac ſummus Vir *Similia* dicit eſſe quæ non poſſint diſtingui niſi per compræſentiam, hoc eſt, vel immediate unum alteri, vel utrique idem aliquod tertium applicando. Diſſimilia vero eſſe, quæ diſtingui poſſint etiamſi non compræſentia ſint. Hanc Leibnitianam definitionem exemplo dilucide illuſtrat doct. Wolfius, & eadem, deductis inde principiis, tum in Arithmetica, tum in Geometria, utitur ad demonſtrandum, quæ hactenus ab aliis ex alienis principiis demonſtrata ſunt, partim etiam ſine demonſtratione inſtar definitionum aſſumta. Geometriæ elementa pari induſtria tradit Noſter, ac majori quam communiter fieri ſolet cum cura methodi demonſtrativæ regulis

ſe

ſe adſtringens varia definit ab aliis prætermiſſa, variaque demonſtrat, quæ vulgo indemonſtrata ſupponuntur; qua in re minime culpandus æquo Lectori videbitur, quandoquidem præſtat omnia apodictice demonſtrare, quam laxiori arguendi ratione a methodi Mathematicæ rigore recedere, multa aſſumendo inſtar principii, quæ tanquam principiata ex certioribus principiis debuiſſent deduci. Hac in re præter ſummum Leibnitium etiam Cel. Laurentium Bellinum, inſignem Medicum, Matheſeos peritum, conſentientem habet Cl. Wolfius noſter: etenim in epiſtola, quam laudatus Bellinus ad Clariſſ. Antonium Vallisnerium Medicinæ Profeſſ. Patavinum dedit & quæ ſecundo Tomo Diarii Veneti inſerta eſt, ſuppoſitionibus ſe adeo infenſum profitetur ingenioſus Vir, ut ne quidem ullas in Geometriam admittendas cenſeat, cum viderit omnes accurate demonſtrabiles eſſe atque ex definitionibus tanquam genuinis principiis eliciendas. Itaque non abs re fecit Autor noſter, quod in gratiam tyronum multa demonſtravit, quæ titulo axiomatum in vulgaribus ſyſtematibus demonſtrationibus ſe ſubduxerunt; cum demonſtrationibus ejusmodi ſimpliciſſimis captuque facillimis methodi Mathematicæ vis incipientum animis ſenſim ſenſimque inſinuetur; altioribus vero a limine ſtudii Geometrici prolatis repellantur tyrones, animo deſpondentes fore, ut absque improbo labore demonſtrationum Geometricarum difficultates poſſint ſuperare. Et ut meditandi laborem eo magis leniret atque attentionem Juvenum excitaret, theoreticis practica inſperſit, adeo ut in elementis Geometriæ etiam contineatur fere univerſa Geometria practica in charta & campo exercenda, excepta ſola fortaſſe libellandi arte, quam alibi, in Mechanica puta, tradit. Utilior vero evadet tyronibus praxis Geometriæ, ſi elementis Geometricis perlectis brevem Trigonometriæ planæ tractatum diligenter & attente perlegent, quem Noſter Geometriæ elementari ſtatim ſubjungit: in eo enim, expoſito artificio conſtructionis Canonis Sinuum, Tangentium & Secantium, ejus uſus exemplis practicis illuſtratur &, quod præcipuum, nec tamen apud Autores obvium eſt, unum alterumque theorema exhibetur circa errores, quibus magnitudines ex obſervatis angulis trigonometrico calculo elicitæ deficiunt a magnitudinibus veris. A Trigonometria

progreditur Autor ad Analyſin, quæ duas partes complectitur, Analyſin ſcilicet finitorum & infinitorum. Prior pars verſatur duntaxat circa quantitates finitas, poſterior vero finitis terminis coarctari neſcia penetrat in ipſam infiniti abyſſum atque magnitudinum, ultra quam cogitari poſſint, magnarum & exilium proportiones atque affectiones examinat. Hæc Chymiæ inſtar quantitates in ſua principia ſeu elementa reſolvit, ac vice verſa quænam ex datis elementis naſci debeant magnitudines, ſubinde etiam definit. Apud Cl. Wolfium ab Analyſi Finitorum initium ſit, nam poſt claram explicationem algorithmi tam rationalium, quam irrationalium quantitatum uſus analyſeos ſpecioſæ in theorematum inventione oſtenditur atq; inter alia demonſtratio adducitur regulæ elevandi binomium ad poteſtatem indefinitam, quæ deinde ad quælibet polynomia extenditur, & poſt propoſitiones præcipuas circa combinationes & permutationes, numerosque figuratos, item circa progreſſiones arithmeticas ac geometricas, veniunt theoremata nonnulla circa ſummationem ſerierum numerorum naturalium ad poteſtates quascunque evectorum & numerorum figuratorum cujuscunque ordinis. Atque hactenus analyſin ejusque uſum tantum in abſtracto conſideravit doctiſſ. Autor: idcirco poſt recenſita argumenta ab ipſo pertractata, properat ad Applicationem Algebræ ad Geometriam atque ſolutis multis problematibus ad Geometriam elementarem pertinentibus, in Trigonometriam planam excurſum facit, ſolutionem difficillimi ejus Problematis circa multiſectionem anguli adducendo, deinde ex inventa formula indefinite multipli arcus in ſinubus, alias reperit in tangentibus & ſecantibus datas, contra quam inſignis Geometra Gallus de Lagny fieri poſſe arbitratur, qui in Actis Acad. Reg. Sc. 1705 expreſſe aſſeruit, inventionem arcuum multiplorum dati arcus tangentibus & ſecantibus determinandorum adeo eſſentialiter differre ab inventione eorundem arcuum multiplorum, ut nihil prorſus commune habere videantur; & qui ex ſinuum formulis canonem Tangentis pro arcu æque multiplici invenire præſumat, neceſſario proventurus ſit ad expreſſiones ſurdas nihil elegantiæ nec utilitatis habentes. Dehinc gradum facit Autor noſter ad evolvendas proprietates æquationum, earumque radices per appropinquationem, quoties accurate

rate haberi nequeunt, investigare docet, tum juxta propriam, tum juxta aliorum methodos; dimissaque postea æquationum consideratione generali & abstracta, ad doctrinam Locorum Geometricorum accedit; ad id enim ostensis analyticis calculis palmariis Sectionum Conicarum affectionibus, earum usus varios in resolutione & constructione Problematum Solidorum eleganter commonstrat. Non tamen solas sectiones Coni Euclidei contemplatur, sed eas etiam examinat, quæ ex conis bases alias quam circulares habentibus secantur; atque ab hisce curvis deinceps ad alias tam Mechanicas quam Geometricas cogitationes deflectit, scilicet ad Conchoidem, Cissoidem, quæ sunt curvæ Geometricæ vel, ut accuratius cum Ill. Leibnitio loquitur, Algebraicæ, tum etiam ad Quadratrices Dinostratis & Tschirnhusii, quæ cum communi linea sinuum a Robervallio, Pascalio, Fabrio, Angelo aliisque considerata in multis convenit, ad lineam sinuum a Cl. Leibnitio excogitatam, Cycloidem, Epicycloides aliasque curvas mechanicas seu transcendentes. Analysin finitorum excipit apud Autorem nostrum Analysis infinitorum Calculi differentialis & integralis elementa exhibens. Explicata enim calculi differentialis natura traditisque regulis quarum beneficio indeterminatarum quarumlibet & quocunq; modo compositarum elementa inveniuntur, seu ut alias dici solet, quantitates *differentiantur*, progreditur ad usum hujus calculi monstrandum in negotio tangentium ad curvas ducendarum, maximarum & minimarum ordinatarum in curvis inveniendarum, ad quod præstandum methodus de Maximis & Minimis appellatur. His expeditis transit ad alteram Analyseos Infinitorum partem calculum integralem complectentem. Hic calculus inversus est differentialis, nam in differentiali calculo a quantitatibus indeterminatis descendimus ad eorum elementa seu incrementa vel decrementa infinitesima; in calculo vero integrali e contrario ab elementis, quoties id fieri potest, regredimur ad quantitates seu magnitudines, quarum elementa analytice expressa habentur. Methodus differentialis magnitudines in sua elementa seu principia resolvit, integralis vero elementa aggregat, colligit atque ex elementis magnitudines componit. Etsi vero cujuscunque Quantitatis elementum semper inveniri potest, non tamen vice versa dato quolibet elemento analytice expresso pervenire datum est semper

ad Quantitatem integralem; atque hinc est quod calculus integralis multo quam differentialis minus generalis multoque difficilior sit: ejus tamen naturam atque summandarum quarundum quantitatum differentialium regulas particulares (generales enim repertæ hactenus non sunt) perspicue explicat Autor, adhibita subinde elementorum summandorum resolutione in series infinitas per methodos Mercatoris, Leibnitii atque Newtoni, easque in Quadraturis spatiorum curvilineorum, Rectificationibus Curvarum, in Dimensione Solidorum eorumque superficierum, &c. utiliter adhibet & variis modis circuli quadraturam inter alia per series exhibet, atque Leibnitianam $1 - \frac{1}{3} + \frac{1}{5} - \frac{1}{7} + \frac{1}{9} -$ &c. in infinitum exprimentem aream circuli cujus diameter sit 1, ex elemento arcus circuli per elementum tangentis arcus divisum per quadratum secantis dati scilicet ex $dx : 1 + x^2$, existente x tangente alicujus arcus circuli cujus radius sit 1, eleganter elicuit. Post hæc non omisit Autor de Methodo Tangentium inversa verba facere, item de calculo exponentialium, qui versatur circa potentias quantitatum, quarum exponentes sunt quantitates variabiles. Hinc transit ad tractationem calculi differentio-differentialis, cujus leges & usus exponit scilicet in punctis flexus contrarii curvarum, radiisque circulorum osculatorum vel evolutarum determinandis, ac tandem analysin totam Arithmetica infinitorum ex suis potentias numerosque figuratos summandi theorematis, quorum superius mentionem injecimus, deducta claudit. Analysi succedunt elementa Staticæ & Mechanicæ, multo plura continentia & selectiora, quam quæ in aliis libris ejusdem naturæ reperiuntur. Clariss. Autor cum Cel. Leibnitio ea ab invicem solicite distinguit, quæ expresse distingui communiter non sollent inter vires vivas & mortuas corporum. Ad vires mortuas simplices corporum gravitationes refert, vivas tribuendo corporibus actuali motu præditis; atque demonstrando, has vires esse in composita ratione massarum & duplicata celeritatum. Tractationem orditur a motu æquabili, dehinc pergit ad motum acceleratum corporum cadentium & retardatum eorundem ascendentium, horum motuum leges evolvit in hypothesi gravitatis uniformis. Deinde proprietates centri gravitatis & qua ratione in omnis generis figuris investigari de-

debeat, diversis exemplis docet. Centrobaricis succedit tractatio de motu rectilineo composito, postea de motu gravium in plano inclinato: quo loco post propositiones nonnullas subsidiarias, occurrit demonstratio decantati Isochronismi gravium in cycloidis cavitate cadentium propria sua gravitate, quæ demonstratio non abludit ab ea, quam Cel. Joh. Bernoullius in his Actis A. 1698 publicavit. Demonstrationi Leibnitianæ, quod vires vivæ corporum sint ut facta ex Massis in quadrata velocitatum, alia subjungitur quæ nondum in publicum venerat, a Cl. Bernoullio modo laudato Autori communicata, fundaturque ea in principiis motus compositi. Ponitur enim corpus aliquod velocitate ut *z* oblique impingere in elastrum sub angulo cujus sinus sit *r*, si radius ponatur *z*, adeo quidem, ut motus perpendicularis flectendo elastro adhibiti atque hac actione destruendi velocitas sit *r*, extincto ergo ab elastro motu perpendiculari solus parallelus supererit, cujus celeritas est ut $\sqrt{3}$. Hac celeritate igitur impingat in secundum elastrum primo simile & æquale sub angulo cujus sinus sit ad radium sicut *r* ad $\sqrt{3}$, adeo ut velocitas elastro perpendicularis atque adeo flectendo eodem destruenda iterum sit *r*, qua destructa remanet ut prius solus motus elastro secundo parallelus, cujus celeritas invenietur esse $\frac{1}{2}z$, cum qua impingat mobile in tertium elastrum, quale duo priora sed sub angulo semirecto, quo fiet ut destructa iterum celeritate *r*, elastro perpendiculari in ipsa actione qua hoc elastrum ad eundem tensionis gradum deducendum erat ad quem duo priora, supersit velocitas *r* elastro parallela quacum impingat quarto elastro prioribus simili & æquali sub angulo recto adeo, ut corporis motus & velocitas post tertium ictum residua *r* totus absumatur tensione quarti elastri. Jam cum corpus habens celeritatem ut *z* quatuor elastra tendere potest, priusquam ejus vis penitus absorbeatur, idemque corpus sed cum celeritate ut *r*, duntaxat unum elastrum ad eundem tensionis gradum quo singula quatuor priora perducere valet prinsquam ejus motus sistatur, liquet omnino vim corporis celeritatem *z* habentis quadruplam esse vis ejusdem corporis sed celeritate tantum subdupla *r* incedentis; hoc est corporum æqualium vires vivas esse in duplicata ratione velocitatum. Post hæc sequuntur capita de motu pendulorum, de centro oscillationis, de motu projectorum

jectorum, de motu corporum ex percussione tam elasticorum, quam eorum, quæ elatere carent, de vi centripeta & centrifuga, de machinis simplicibus & denique de machinis compositis, variis præsertim molarum generibus, & de resistentia in mechanis seu de frictione: quæ omnia, etsi scitu valde utilia & curiosa, sine nimia prolixitate non nisi summatim recenseri possunt, quod etiam de Hydrostatica, Aerometria & Hydraulica fieri oportet, etsi præcipua, quæ in hisce tribus Matheseos mixtæ partibus ab Autoribus prolixe traduntur, compendiosa nec minus clara ratione ab Autore nostro proferantur, a superfluis purgata atque tyronum captui accommodata. „In Hydrostaticis mentionem injicit *syphonis*, „quem vocat, *anatomici* ab aliquot jam annis, ut ait, a se inventi „& cum amicis communicati. Fieri, inquit, curavi ex lamina ferrea stanno obducta vas cylindricum & eidem a latere afferruminari jussi tubum (multo arctiorem & altiorem). Quodsi jam vesica; aut ventriculus, aut pellis animantium brutorum, aut aliæ „quæcunque partes membranaceæ corporis animalis inversæ basi „superiori superinducantur, eas non modo ingenti vi in hemisphæricam figuram expandit, sed & poros subintrans omnes „membranas & vasa ita dividit, ut, levi incisura facta, solis digitis „multo accuratius separentur, quam cultro anatomico. Jucundum „sane est spectaculum, dum non modo substantia membranacea „mire intumescit, sed & vasorum per eam dispersorum ramificationes & insertiones minimas distincte spectare, tunicasque, quæ „vulgo pro una habentur, in plures discerpere licet. Probe autem notandum est, quod si interior vesicæ aut reliquarum partium corporis animalis super vase extensarum superficies aquam „lambat, aqua per substantiam earum penetrare nequeat. Hactenus Autor, qui in altero Tomo (cujus jam magnam partem typis descriptam novimus) se acturum pollicetur de Optica, Catoptrica, Dioptrica, Perspectiva, Trigonometria Sphærica, Astronomia, Chronologia, Geographia, Gnomonica, Pyrotechnia, Architectura militari atque civili, & denique de Autoribus Mathematicis, ut adeo dubitandum non sit, si hi tractatus omnes secundi Tomi primo accesserint, nos habituros cursum Mathematicum omnibus, qui hucusque prodierunt, palmam præripientem.

JOH.

JOH. BERNOULLI MEDITATIO DE NATURA Centri oſcillationis, ejusque in Pendulis compoſitis, tam quæ in Liquoribus quam quæ in Vacuo agitantur, determinandi Regula, novo & certiori quam hactenus fundamento ſuffulta.

§. I. IN Actis Lipſienſ. Anni ſuperioris pag. 88 §. 23 mentionem feci novæ alicujus Methodi pro inventione centri oſcillationis, in quam incideram occaſione eorum, quæ de effectu actionis diverſæ gravitatis diſſerebam: promiſi equidem, me totum hujus rei fundamentum, quod explicare ob materiæ tractandæ copiam tum non licebat, alio commodiori tempore detecturum. Sed excidiſſet hæc ſpeculatio, ut fieri aſſolet, propter alias quæ poſtea mentem occuparunt meditationes, niſi refricuiſſet mihi memoriam Vir quidam eruditus & Mathematicus inſignis, cui ut morem geram atque adeo promiſſi fidem liberem, ſuadet ejus erga me humanitas & mea demerendi illam proclivitas.

§. II. Monendum eſt ante omnia, quamvis & ego quoque vectem mobilem conſiderem ſicuti quondam fecit Frater meus p. m. vid. Act. Lipſ. A. 1691 p. 317 & Comment. Acad. Reg. Scient. A. 1703 p. 78, magnam tamen eſſe diſcrepantiam inter utriusque applicandi rationem: ille etenim uniusmodi tantum gravitatem adhibet adeoque rationem momentorum ex duabus ſolis rationibus componit, nempe ex ratione ponderum & ratione eorundem diſtantiarum perpendicularium ab axe oſcillationis; ego vero diverſimodas gravitates per mentis fictionem conſtituo, ſeu tales quarum una quam alia potentiorem cauſam habeat, majoremque proinde accelerationem in corporibus cadentibus producat. Unde mihi momentorum ratio ex tribus conficitur rationibus; nimirum ex ratione diſtantiarum ab axe, ex ratione materiæ quantitatis quam vocabo *maſſam* vel *molem*, & ex ratione gravitatum acceleratricium; componendo namque duas poſteriores naſcitur ratio ponderum.

§. III. Quod cum obſervatum non ſit a Fratre, in calculum incidit multo intricatiorem quam par eſt, ut videre licet in loco citato Comm. Acad. Scient. A. 1703, qui calculi labor præcaveri poteſt introducta varietate gravitatis, qua corpora diverſimode accele-

rari concipiantur; quo fit ut pendulorum longitudines facillime transmutentur in alias vel longiores vel breviores ſervato interim pendulorum iſochronismo, atque ita pendulum compoſitum conſiderari poſſit tanquam repræſentans plura ſimplicia ſimul oſcillantia, ex quibus illud eligendum quod a gravitate naturali animatur.

§. IV. *Animare* hic & in ſequentibus nihil aliud eſt, quam ad deſcenſum *ſolicitare*, ita ut ſingulis momentis corporis imprimatur celeritatis gradus infinite quidem parvus ſed tamen major minorve pro diverſa gravitatis ſpecie.

§. V. Patet autem per gravitatem me hic intelligere non pondus alicujus corporis ſed ponderis cauſam, nempe vim acceleratricem quæ agit in corpora & per continuationem actionis in corporibus libere deſcendentibus dato tempore datam celeritatem producere valet; unde clarum eſt, ſi vocetur quantitas materiæ vel maſſa corporis, C; vis acceleratrix vel gravitas, G; pondus, P; diſtantia perpendicularis ab axe vectis, D; Momentum, M; fore $M = D \times P = D \times C \times G$.

Lemma I.

§. VI *Pendula ſimplicia, quorum longitudines ſunt ut vires gravitatis a quibus animantur, ſunt iſochrona.* Demonſtrationem hujus dedi in Actis Lipſ. A. 1713 Menſe Febr. Theor. III Coroll. I §. 6.

Lemma II.

§. VII *Sit corpus C, conſtans partibus f, g, h &c. quæ ſingulæ a ſuis peculiaribus gravitatibus p, q, r &c. animentur, ita ut pondera partium ſint fp, gq, hr &c. Erit pondus corporis C, = fp + gq + hr &c.* Hoc per ſe clarum eſt, partes enim ſimul ſumtæ conſtituunt totum.

Lemma III.

§. IIX *Poſitis quæ prius, corpus C, oſcillando ſive aliter deſcendendo acceleratur eodem modo, ac ſi animaretur ab una tantum gravitate quæ eſſet* $= \frac{fp + gq + hr \&c.}{C}$ Cum enim partes firmiter inter ſe connexæ ſupponantur, neceſſe eſt, ut unaquæque niſum ſuum deſcendendi diſtribuat & de eo communicet cum reliquis

BIBLIOTECA
DERECHO

Fig. 1.



Fig. 2



Fig. 3.



Fig. 4.



Fig. 5.



Fig. 6.



quis partibus pro ratione cujusque molis, unde communis nascitur nisus in quem omnes partiales distributi coalescunt; hic autem, ut ex vulgari alligationis Regula liquet, invenitur, dividendo summam ponderum partialium per summam molium hoc est per corpus ipsum *C*.

§. IX. Hisce præmissis centri oscillationis determinandi viam eo ordine exponam, quo in eam incidi. Consideravi statim pendulum rectilineum, & quidem primo compositum ex duobus tantum corporibus gravibus, sed æqualia hinc inde ab axe oscillationis intervalla obtinentibus. Hoc deinde ansam præbuit, considerandi quoque plura gravia pendulum rectilineum componentia in quibuscunque ab axe oscillationis distantiis. Tertio rem generalissime aggressus supposui pendulum compositum ex ponderibus quotcunque & quemcunque situm habentibus.

§. X. Quod ad primum attinet, esto (Fig. 1) *BAC* linea vel virga inflexilis & nullius ponderis (qualem imposterum semper intellectam volo) punctum *A* axis rotationis seu oscillationis, a quo in distantiis æqualibus alligata sint pondera inæqualia, *B* minus, & *C* majus. Hoc pacto prævalebit pondus *C*, & ex situ horizontali *AC* descendet certo tempore in situm *A*(*C*), tum alterum pondus *B* ex situ *AB* ascendet in *A*(*B*). Ut itaque invenirem hujus penduli centrum oscillationis, hoc est longitudinem penduli simplicis *AL*, quod eodem tempore in situm *A*(*L*) descenderet quo *BAC* in (*B*) *A*(*C*): vel quod angulum oscillationis *LA*(*L*) eundem cum *CA*(*C*) eodem tempore absolveret; ratiocinatus sum ut sequitur. TAB. II. Fig. 1.

§. XI. Gravitas agens in corpus *B* oppositum corpori *C*, eundem effectum præstat ob distantias æquales *AB* & *AC*, ac si corpore *B* sublato aliud ipsi *B* æquale adjungeretur corpori *C*, sed quod gravitate negativa esset affectum seu quod sursum urgeretur a vi acceleratrici æquali ei qua urgentur deorsum corpora quæ a naturali gravitate *G* animantur. Hinc remota parte *AB* oritur pendulum simplex *AC*, in extremitate *C* ferens corpus $C+B$ ex duobus *C* & *B* conflatum, quorum prius *C* a gravitate naturali seu $+G$, alterum vero a vi eadem sed negativa seu $-G$ animatur. Adeoque per Lemma III tota massa $C+B$ eodem ritu oscillabitur ac

si animaretur a gravitate $\frac{C \times G + B \times - G}{C+B} = \frac{\overline{C-B} \times G}{C+B}$.

Res igitur huc redit, ut quæratur longitudo *AL* penduli alterius simplicis animandi a gravitate naturali *G*, quod sit simplici huic pendulo fictitio isochronum: at vero per Lemma I pendulorum simplicium isochronorum longitudines sunt ut gravitates a quibus animantur, faciendo itaq; ut $\frac{\overline{C-B} \times G}{C+B}$ ad G (hoc est ut $C-B$ ad $C+B$), ita AC ad quartam $\frac{C+B}{C-B}AC$; huicque æqualem sumendo AL; erit AL longitudo penduli simplicis naturalis & isochroni pendulo fictitio AC, seu ipsi composito dato BAC: cujus igitur centrum oscillationis est in *L*. Quod primo erat inveniendum.

§. XII. Ut nunc præstemus alterum, quod generalius est, quodque in hoc consistit, ut centrum oscillationis determinetur in pendulo rectilineo composito ex quotcunque ponderibus & in quibuscunque ab axe oscillationis distantiis: Sit recta indefinitæ longitudinis agitata circa axem *A*. (Fig. 2) Primo clarum est ob lineæ inflexilitatem, puncti cujuslibet *P* tam velocitatem quam velocitatis incrementum se habere in ratione distantiæ AP; deinde liquet, vim ponderis alicujus *C* diffundi per totam virgæ vel lineæ longitudinem, ut & actionem gravitatis qua circulatio lineæ *AL* acceleratur, & ita quidem ut vis quam inde sentit quodvis punctum *P* se habeat ex natura vectis in reciproca ratione distantiæ *AP*, seu quod idem est, ut vis illa in *P* sit ad eandem in *C* vicissim ut *AC* ad *AP*: sic quippe momentum in *P* æquale est momento in *C*; vocabo autem hoc momentum quod in omnibus virgæ punctis idem est *virtutem agitativam*.

TAB. II. Fig. 2.

§. XIII. Ex hisce fluit, si sublato corpore *C*, quod a gravitate naturali *G* animari supponitur, ejus loco substituatur in punctum *P* corpus aliud quod animetur a gravitate $\frac{AP}{AC} \times G$, sed cujus massa sit $\frac{AC^2}{AP^2} \times C$; fore ut virga *AL* eadem qua prius virtute agitativa urgeatur, & idem quoque velocitatis circulantis incremen-

crementum acquirat: Nam momentum in P (per art. 2 & per hyp.) $= AP \times \frac{AC^2}{AP^2} C \times \frac{AP}{AC} G = AC \times C \times G =$ momento quod a corpore C produceretur cum gravitate naturali; & præterea quia gravitas agens in C eſt ad gravitatem in P (per hyp.) ut G ad $\frac{AP}{AC} G$, hoc eſt ut AC ad AP: erunt velocitatum incrementa in punctis C & P diſtantiis AC & AP proportionalia; adeoque linea AL eadem virtute agitativa urgetur & eodem modo acceleratur circulando ſive a corpore C per gravitatem naturalem G animato, ſive a corpore P $\left(\frac{AC^2}{AP^2} C\right)$ animato per gravitatem $\frac{AP}{AC} G$ urgeatur.

§. XIV. Quod autem de pondere C dictum eſt, idem & de alio quolibet in pendulo compoſito inhærente intelligi poteſt, quare omnia pondera quotquot ſunt per hujusmodi ſubſtitutionem fictitiam ad commune aliquod punctum P transferri poterunt, in quo unumquodque corpus peculiari ſua gravitate priſtinam virtutem agitativam lineæ AL imprimat, atque priſtinam etiam accelerationis circulantis gradum contribuat; ſit ut virtus agitativa totalis æq; ac velocitatis incrementum totale, in pendulo hoc ſimplici ſubſtituto, conſerventur ejusdem quantitatis ut erant in pendulo compoſito: adeoque, ut ambo pendula ſint ſibi mutuo iſochrona.

§. XV. Hinc jam pateſcit, centri oſcillationis determinandi negotium in hoc unico conſiſtere, ut corpora hinc inde diſperſa atque ſingula ab eadem gravitate, nempe naturali animata, ad commune punctum cogantur, mutando debite eorum & maſſas & gravitates. Hoc modo pendulum compoſitum ex ponderibus a ſe invicem diſſitis ſed ab eadem gravitate animatis transformabitur in pendulum ſimplex iſochronum arbitrariæ longitudinis, cujus pondus ex totidem corporibus ſed per diverſas gravitates animatis conſtat: huic poſtea ope Lemm. I & II aliud iſochronum pendulum ſimplex gravitatis naturalis facile invenitur.

§. XVI. Sit itaque pendulum rectilineum AL (Fig. 3) compoſitum ex ponderibus quotcunque æqualibus ſive inæqualibus C, D &c. Fingatur poſtquam ex ſitu quietis AL pervenit in ſi- TAB. II. Fig. 3.

tum $A(L)$, corpora C, D, &c. subito annihilari, aliaque totidem eodem instanti renasciin puncto P, quorum primum habeat molem $= \frac{AC^2}{AP^2}C$, alterum vero $= \frac{AD^2}{AP^2}D$, &c. atque animetur primum a gravitate $\frac{AP}{AC}G$, alterum a gravitate $\frac{AP}{AD}G$, &c. Liquet ex iis quæ in art. 13 & 14 explicavimus, virgam $A(L)$ ex hac substitutione nihil alterationis pati neque in quantitate virtutis agitativæ, neque in quantitate accelerationis circulantis momentaneæ; ideoque cum omnia persistant in eodem statu, pergit virga $A(L)$ agitari, ut feciſſet, si pristina pondera C, D, &c. mansissent: Habemus itaque pendulum simplex longitudinis AP, composito ACD isochronum; sed quia hoc simplex animatur a gravitate quadam, quæ naturali major vel minor erit, videndum porro quantæ longitudinis esse oporteat aliud pendulum simplex gravitatis naturalis, quod cum illo assumto simplici sit isochronum: quod ita indagamus ut sequitur.

§. XVII. Per Lemma tertium Gravitas, quæ animat corpus ex pluribus conflatum P, habetur dividendo summam productorum quæ fiunt a massis partialibus in suas respective gravitates ductis, per ipsam massarum summam seu per corpus P; sunt autem massæ illæ seu corpora partialia in suas respective gravitates ductæ hæc, nempe productum primum $= \frac{AC^2}{AP^2}C \times \frac{AP}{AC}G = \frac{AC}{AP} \times C \times G$; secund. $= \frac{AD^2}{AP^2}D \times \frac{AP}{AD}G = \frac{AD}{AP} \times D \times G$; tertium $=$ &c. adeoque summa omnium productorum $= \frac{AC \times C + AD \times D + \mathfrak{C}c.}{AP} \times G$ divisa per P seu per summam ipsorum corporum partialium quæ est $\frac{AC^2 \times C + AD^2 \times D + \mathfrak{C}c.}{AP^2}$ dabit $\frac{AC \times C + AD \times D + \mathfrak{C}c.}{AC^2 \times C + AD^2 \times D + \mathfrak{C}c.} \times AP \times G$ pro gravitate quæ animat corpus ex partialibus conflatum P: sic igitur vi Lemmatis primi ut factum est in art. 2 etiam hic dicemus, ut se habet hæc gravitas $\frac{AC \times C + AD \times D + \mathfrak{C}c.}{AC^2 \times C + AD^2 \times D + \mathfrak{C}c.} \times AP \times G$, ad gravitatem naturalem G (seu ut $AC \times C + AD \times D + \mathfrak{C}c. \times AP$ ad

ad $AC^2 \times C + AD^2 \times D + \mathfrak{C}c.$) ita penduli simplicis fictitii longitudo AP ad quartam quæ erit $= \frac{AC^2 \times C + AD^2 \times D + \mathfrak{C}c.}{AC \times C + AD \times D + \mathfrak{C}c.}$, cui proin æqualis sumta AZ dabit longitudinem penduli simplicis naturalis quod isochronum erit per Lemm. I alteri illi simplici fictitio AP & per consequens etiam dato pendulo composito ACD: cujus ergo centrum oscillationis est in Z. Q. E. I.

§. XIIX Atque hoc ipsum est, quod docet regula vulgaris Hugeniana contenta in libro de Horologio oscillat. Parte IV Prop. 5, in quantum quidem supponuntur pondera quæ pendulum componant esse in eadem linea recta, aut saltem quod perinde est in plano quodam in quo est axis oscillationis. Restat ut ejusdem regulæ, cujus certa demonstratio antea desiderabatur, bonitatem ex nostro principio deducamus pro pendulo composito ex ponderibus non in tali plano existentibus: Quo casu pondera erunt vel in ipso plano oscillationis recto, vel tanquam essent in eo considerari possunt & quidem in illis punctis hujus plani e quibus ductæ rectæ ad pondera sunt plano perpendiculares.

§. XIX. Concipiamus itaque planum verticale LMN (Fig. 4) per se nullius ponderis; hoc planum mobile sit circa punctum A; atque ei inhæreant variæ pondera C, D, &c. situm quemcunq; invariatum inter se servantia, dum ipsum planum hisce ponderibus oneratum circa axem A rotatur: manifestum est, retracto centro gravitatis ponderum C, D, &c. a linea verticali AM, planum postea dimissum in hoc situ non quieturum, sed impetu concepto ad motus accelerationem ultro citroque oscillationes suas instar penduli continuaturum, non secus ac si pondera C, D, &c. vectis alicujus brachiorum AC, AD, &c. extremitatibus applicata essent, atque hoc modo repræsentarent ipsum de quo jam agitur pendulum compositum. TAB. II. Fig. 4.

§. XX. Hujus itaque plani verticalis oscillationes ut investigemus, cujus nempe penduli simplicis oscillationibus sint isochronæ, & quantam hoc habere debeat longitudinem: Notandum primo, quod attinet ad situm hujus penduli quæsiti, gratis supponi a Fratre aliisq; eum situm talem esse, ut (quasi hoc per se pateret) congruat

gruat cum recta *AF* transeunte per centrum gravitatis *F* ponderum *C,D,*&c. Hoc enim utut verum sit, non supponimus, sed per ipsam nostram methodum, qua in re aliis antecellere arbitramur, verum esse invenimus.

§. XXI Jam vero intelligamus planum nostrum in ipsa oscillatione existere atque ad hunc quem figura monstrat situm pervenisse: fingamus ut supra factum, pondera omnia derepente tolli vel annihilari, eodemque instanti in alio aliquo puncto *P*, quod primo ad arbitrium sumimus, alia pro singulis substitui vel renasci æquipollentia, hoc est, quorum unumquodque sit debitæ molis & a debita gravitate animetur, ita ut plano oscillanti eandem virtutis agitativæ & accelerationis momentaneæ quantitatem imprimere pergat, quam tempusculo minimo ante hanc transmutationem habebat impressam a pondere jamjam annihilando pro quo tunc statim substitui concipimus.

§. XXII. Evidenter apparet, substitutione hac facta planum debere motum suum continuare eodem plane ritu saltem per minimum tempusculum ac si nulla facta mutatione manssissent pondera *C,D,*&c. Dico autem *per minimum tempusculum*, quia ut mox patebit corpora substituta in *P*, non ut in casu penduli rectilinei in quolibet plani situ invariatam semper obtinere magnitudinem & ab invariata gravitate animari debent; unde nec massa totalis *P* ex omnibus conflata invariatam habebit magnitudinem, nec ab invariata gravitate animabitur per integram durantem oscillationem, nisi in casu, quo locus puncti *P* sumitur in recta transeunte per centrum gravitatis ponderum, id quod ipsum nobis & situm & longitudinem penduli simplicis quæsiti determinandi rationem certam ob oculos ponit.

§. XXIII. Quoniam igitur *P,C,D,*&c. non sunt in eadem linea recta per *A* transeunte, adeoque directio gravium non æqualibus obliquitatis angulis ad brachia vectis *AP,AC,AD,*&c. applicantur; constat ex mechanica quod pro virtutibus agitativis ponderum *P,C,D,*&c. exprimendis jam non eorum distantias a puncto *A*, sed distantias perpendiculares *PQ*, *CR*, *DS*, &c. a verticali, *AM* oporteat multiplicari per ipsa pondera *P,C,D,*&c. nam rectæ *AP,AC,AD,*&c. non habent eandem inter se rationem, quam perpendi-

pendiculares $P\mathcal{Q}$, CR, DS, &c. nisi in casu quo P, C, D, &c. in eadem sunt recta cum puncto A, hoc est in casu penduli rectilinei, ubi pro perpendicularibus $P\mathcal{Q}$, CR, DS &c. sumsimus earum proportionales AP, AC, AD &c. vel quod eodem recidit & ad nostrum scopum aptius est, possunt servari ipsæ distantiæ AP, AC, AD &c. ut & massæ corporum P, C, D &c. sed resolvendæ sunt vires gravitatum in parallelas & normales ad brachia vectis AP, AC, AD &c. ex quibus sumendæ sunt vires normales quæ in C, D, &c. exprimuntur per $\frac{RC}{AC}G$, $\frac{SD}{AD}G$, &c.

§. XXIV. Quæ cum ita se habeant, virtutes agitativæ plano LMN impressæ a corporibus C, D, &c. designantur per producta distantiarum a puncto A, in massas, & in vires istas gravitatis naturalis normaliter ad distantias derivatas, hoc est per $AC \times C \times \frac{RC}{AC}G$; $AD \times D \times \frac{SD}{AD}G$; &c. seu per $RC \times C \times G$; $SD \times D \times G$, &c. Quare ut istis corporibus annihilatis eædem tamen illæ virtutes agitativæ etiamnum plano imprimantur a corporibus in P renascentibus & animandis per gravitates convenientes puncto P seu tales, quæ singulæ in plano producant easdem acceleracionis circulantis momentaneæ quantitates, quas corpora C, D, &c. a gravitate naturali animata produxissent, si non fuissent annihilata: ante omnia gravitates istæ in P pro singulis corporibus renascentibus sunt determinandæ, quod sic peragitur.

§. XXV. Ex eo quod punctis C, D, &c. a gravitate naturali G normaliter ad AC, AD &c. derivata, quæ est $\frac{RC}{AC}G$, $\frac{SD}{AD}G$, &c. accrescunt velocitatis incrementa momentanea, quæ se habere debent ad velocitatis incrementa puncto P accrescentia a gravitatibus corpora substituta in P animantibus & per resolutionem virium derivatis normaliter ad AP, ut se habent distantiæ AC, AD &c. ad distantiam AP: Invenio has gravitates (quas tantisper appellabo M, N &c.) instituendo has analogias $AC.\ AP :: \frac{RC}{AC}G.\ \frac{\mathcal{Q}P}{AP}M$; $AD.\ AP :: \frac{SD}{AD}G.\ \frac{\mathcal{Q}P}{AP}N$; &c. Ex iis enim prodeunt $M = \frac{AP^2 \times RC}{AC^2 \times \mathcal{Q}P}G$; N

G; $N = \frac{AP^2 \times SD}{AD^2 \times \mathfrak{Q}P} G$; &c.

§. XXVI. Nunc vero Maſſæ corporum ſubſtitutorum in P (quas nominare lubet T, V, &c.) determinandæ ſunt, quod fit ex æqualitate quæ eſſe debet inter virtutes agitativas a corporibus C, D, &c. ante annihilationem plano impreſſas, & eas a corporibus renaſcentibus T, V, &c. eidem plano imprimendas: Nam propter iſtam æqualitatem habetur per art. 24 $RC \times C \times G = \mathfrak{Q}P \times T \times M$; $SD \times D \times G = \mathfrak{Q}P \times V \times N$; &c. Unde $T = \frac{RC \times C \times G}{\mathfrak{Q}P \times M} = \frac{C}{AC^2}$ (ponendo pro M, ejus valorem in art. præced. inventum) $\frac{C}{AP^2}$; pariterque $V = \frac{SD \times D \times G}{\mathfrak{Q}P \times N} =$ (ſurrogando valorem ipſius N modo ante repertum) $\frac{AD^2}{AP^2} D$; &c.

§. XXVII. Maſſæ hæ ita inventæ ſeu corpora partialia, quæ conſtituunt Maſſam totalem in P, ſi ducantur in ſuas reſpective gravitates, in art. 25 determinatas, atque productorum aggregatum $\left(T \times M + V \times N + \text{&c.} = \frac{RC \times C \times G + SD \times D \times G + \text{&c.}}{\mathfrak{Q}P} = \frac{RC \times C + SD \times D + \text{&c.}}{\mathfrak{Q}P} G. \right)$ dividatur per ſummam maſſarum ſeu corporum partialium hoc eſt per corpus totale $P \left(T + V + \text{&c.} = \frac{AC^2 \times C + AD^2 \times D + \text{&c.}}{AP^2} \right)$ quod provenit $\left(\frac{T \times M + V \times N + \text{&c.}}{T + V + \text{&c.} \times \mathfrak{Q}P} = \frac{RC \times C + SD \times D + \text{&c.}}{AC^2 \times C + AD^2 \times D + \text{&c.}} + \frac{AP^2 \times G}{\mathfrak{Q}P} \right)$ dabit per Lem. III gravitatem quæ animat corpus totale P. Faciendo itaque vi Lem. I ut ſe habet $\frac{RC \times C + SD \times D + \text{&c.}}{AC^2 \times C + AD^2 \times D + \text{&c.}} \times \frac{AP^2 \times G}{\mathfrak{Q}P}$ ad G (ſeu ut $RC \times C + SD \times D + \text{&c.} \times AP^2$ ad $AC^2 \times C + AD^2 \times D + \text{&c.} \times \mathfrak{Q}P$) ita penduli ſimplicis fictitii longitudo AP ad quartam $\frac{AC^2 \times C + AD^2 \times D + \text{&c.}}{RC \times C + SD \times D + \text{&c.}} \times \frac{\mathfrak{Q}P}{AP}$, quæ erit longitudo penduli ſimplicis

ſimplicis naturalis AZ & iſochroni pendulo compoſito ACD, ſed quorum iſochroniſmus durat tantum per tempuſculum infinite parvum niſi in aliqua poſitione lineæ AP inter AC, AD &c. fiat ut quarta iſta $\frac{AC^2 \times C + AD^2 \times D + \&c.}{RC \times C + SD \times D + \&c.} \times \frac{QP}{AP}$, quæ alias variabilis eſt pro varietate anguli MAP, evadat conſtantis datæque longitudinis pro quovis angulo MAP.

§. XXIIX. Sed ut cognoſcatur, an & quæ ſit illa poſitio Lineæ AP inter AC, AD, &c. advertendum eſt (poſito F eſſe centrum gravitatis corporum C,D, &c. & ducta FE perpendiculari ad AM) quod $RC \times C + SD \times D + \&c.$ ſit $= C + D + \&c. \times EF$, ceu patet ex Staticis; adeoque quod quarta illa exprimi poſſit hoc modo $\frac{AC^2 \times C + AD^2 \times D + \&c.}{C + D + \&c. \times EF} \times \frac{QP}{AP}$; jam vero ultro quaſi in oculos incurrit, hanc quantitatem fieri conſtantem, modo conſtans ſit $\frac{AP \times EF}{QP}$; hanc autem conſtantem eſſe, quando AP tranſit per centrum gravitatis F, nemo non videt: eſt enim tunc $\frac{AP \times EF}{QP} = AF$; adeoq; quarta illa AZ ſeu longitudo penduli ſimplicis ipſi compoſito ACD iſochroni (ſubſtituto AF pro $\frac{AP \times EF}{QP}$) erit $= \frac{AC^2 \times C + AD^2 \times D + \&c.}{C + D + \&c. \times AF}$ = quantitati conſtanti ob conſtantes AF, AC, AD, &c. ut & C,D, &c.

§. XXIX. Atque hinc emergit regula Hugeniana pro inveniendo centro oſcillationis in pendulo qualicunque compoſito, quæ regula in propoſitione V part. IV Horol. oſcillat. his verbis concepta legitur: *Dato pendulo exponderibus quotlibet compoſito, ſi ſingula ducantur in quadrata diſtantiarum ſuarum ab axe oſcillationis, & ſumma productorum dividatur per id quod fit ducendo ponderum ſummam, in diſtantiam centri gravitatis communis omnium ab eodem axe oſcillationis, orietur longitudo penduli ſimplicis compoſito iſochroni, ſive diſtantia inter axem & centrum*

oſcillationis ipſius penduli compoſiti. Annon vero hujus regulæ veritas nunc longe firmiori fundamento ſit ſtabilita quam antehac factum, judicium ſit penes Lectorem harum rerum intelligentem: cum non ſolum non indiguerim precaria illa Hugenii hypotheſi, qua, *ſi pondera quotlibet, vi gravitatis ſuæ, moveri incipiant; non poſſe centrum gravitatis ex ipſis compoſitæ altius, quam ubi incipiente motu reperiebatur aſcendere*, axiomatis loco uſus fuerat, etſi non omnimodam evidentiam haberet; ſed neque etiam opus habui ut ſupponerem cum Fratre meo, ac ſi per ſe clarum eſſet, de quo tamen dubitari poſſet, ſcilicet centrum oſcillationis exiſtere in Linea centri (ut vocat Hugenius) hoc eſt in recta linea quæ per punctum ſuſpenſionis & per centrum gravitatis ducitur.

§. XXX. Præterea duo inprimis animadverto incommoda, quibus laborat modus demonſtrandi exhibitus in Comment. Acad. Scient. anni 1703 pag. 81 & ſqq. edit. Pariſ. Primum eſt, quod calculo analytico eoque ſatis operoſo utatur Frater in re quam ego ſola fere ſynthеſi (ut fieri par eſt in demonſtrationibus) abſolvo; alterum, quod ſupponat pondera *C* & *D* (vid. Fig. ibid.) quæ ipſi faciunt partes figuræ oſcillantis, æqualia, quo fit ut ipſius demonſtratio valeat tantum pro ejusmodi figuris in latus oſcillantibus, quarum applicatæ a communi quadam diametro biſecantur, neque igitur applicari poſſet ad figuras dimidiatas quales eſſent ſemiparabola, ſemihyperbola, &c. aut etiam conus, vel cylindrus per axem ſectus, niſi novo calculo id demonſtraret haud dubie multo difficiliori futuro quam quem adhibuit pro corporibus *C* & *D* hinc inde æqualibus ſuppoſitis. Hoc poſterius incommodum in noſtra doctrina evitatur, ut pote quæ rem univerſaliſſime pertractans & numerum & rationem corporum *C*, *D* qualemcunque æque facile admittit, ac ſi duo tantum & æqualia eſſent; quanquam & hoc monendum, pondera *C*, *D* &c. ut Hugenio atque Fratri ita & mihi conſiderari tanquam puncta ſeu potius ut moleculas infinite parvæ extenſionis reſpectu totius penduli.

§. XXXI. Accedimus nunc ad alteram partem hujus noſtræ Diſquiſitionis, quæ nempe agit de centro oſcillationis determinando in pendulis quæ ex diverſæ materiæ corporibus compoſita in fluidis vel liquoribus agitantur; ſuppono autem fluida perfectiſſima,

ctiſſima, hoc eſt talia, quæ deſtituta partium tenacitate motui corporum non reſiſtant, vi tamen propriæ ſuæ gravitatis imminuant gravitatem corporum demerſorum: hæc vero gravitatis naturalis imminutio in fluidis diverſa eſt pro diverſitate denſitatis corporum, denſiora enim minus amittunt quam rariora; unde, cum æſtimanda ſit ſola gravitas relativa ſeu exceſſus quo corpus magis tendit deorſum quam fluidum ambiens, manifeſtum eſt corporum heterogeneorum oſcillationes in fluidis eodem modo ſe habere, ac ſi pendula agitarentur in vacuo, ſed quorum corpora non ab eadem gravitate naturali, verum a diverſis gravitatibus animarentur.

§. XXXII. Ponamus itaque gravitates relativas a quibus corpora C, D &c. (Fig. 4) heterogenea in fluido animantur eſſe mG, nG, &c. hoc eſt, partes tantum gravitatis naturalis, intelligo enim per m, n, &c. partes unitatis: Quas ſupra art. 25 invenimus gravitates M, N, &c. in P ſubſtituendas nempe $M = \frac{AP^2 \times RC}{AC^2 \times QP}$ TAB. II. Fig. 4.

$G, N = \frac{AP^2 \times SD}{AD^2 \times QP} G$, &c. patet eas nunc ita fore $M = \frac{AP^2 \times RC}{AC^2 \times QP}$

$mG, N = \frac{AP^2 \times SD}{AD^2 \times QP} nG$, &c. adeoque $T \times M + V \times N +$ &c. erit

hoc $= \frac{RC \times C \times mG + SD \times D \times nG +}{QP}$ &c. $=$

$\frac{RC \times C \times m + SD \times D \times n +}{PQ}$ &c. G, quod diviſum per $T + V +$ &c. (ſicuti fecimus art. 27) dabit jam $\frac{T \times M + V \times N +}{T + V +}$ &c. $=$

$\frac{RC \times C \times m + SD \times D \times n +}{AC^2 \times C + AD^2 \times D +}$ &c. $\times \frac{AP^2 \times G}{QP^2}$, pro gravitate quæ animat corpus totale P. Ut igitur habeatur longitudo penduli ſimplicis in vacuo agitandi quod ſit iſochronum pendulo compoſito oſcillanti in fluido, ſumenda eſt vi Lemmatis I ut in modo citato art. 27 factum cernitur quarta proportionalis hujus analogiæ, ut

$\frac{RC \times C \times m + SD \times D \times n +}{AC^2 \times C + AD^2 \times D +}$ &c. $\times \frac{AP^2 \times G}{QP}$ ad G, (ſeu ut $RC \times C \times m + SD \times D \times n +$ &c. $\times AP^2$ ad $AC^2 \times C + AD^2 \times D +$ &c. $\times QP$

$\times \frac{QP}{AP}$) ita AP ad quartam $\frac{AC^2 \times C + AD^2 \times D + \&c.}{RC \times C \times m + SD \times D \times n + \&c.} \times \frac{QP}{AP}$ = (posito jam F esse centrum gravitatis non quidem totorum corporum $C, D, \&c.$ sed eorum tantum partium quæ sunt $mC, nD, \&c.$) $\frac{AC^2 \times C + AD^2 \times D + \&c.}{mC + nD + \&c.} \times \frac{QP}{EF \times AP} = \left(\text{ob } \frac{AP \times EF}{QP} = AF, \right.$ posito nempe AP transire per F $\left.\right) \frac{AC^2 \times C + AD^2 \times D + \&c.}{mC + nD + \&c. \cdot AF}$ = constanti alicui longitudini AZ.

§. XXXIII. Hinc pro pendulis compositis in fluido agitandis, hæc regula condi potest, Hugenianæ similis: *Dato pendulo ex ponderibus quotlibet composito atque intra datum liquorem agitando, si singulorum massæ ducantur in quadrata distantiarum suarum ab axe oscillationis, & summa productorum dividatur per id quod fit ducendo summam partium per m, n, &c. designatarum & ex ipsis massis sumendarum in distantiam centri gravitatis communis omnium illarum partium ab eodem axe oscillationis; orietur longitudo penduli simplicis sed extra liquorem agitandi composito intra liquorem agitato isochroni.*

§. XXXIV. Quodsi vero desideretur pendulum simplex in ipso quoque liquore oscillationes isochronas peragens; hoc obtinetur ope Lemmatis I faciendo tantum, ut se habet pondus absolutum materiæ ex qua pendulum conficere lubet ad pondus relativum ejusdem, seu quod habet intra liquorem, ita Longitudo per datam regulam inventa, ad Longitudinem penduli quæsiti: sed curandum est, ut ubi primum agitari incipit removeatur a perpendiculo vel linea verticali AM angulo MAP, qui sit æqualis ei, quem facit ab initio oscillationis linea centri ponderum non absolutorum sed relativorum, quæ habent corpora $C, D, \&c.$ in ipso fluido, in quo pendulum ex illis corporibus compositum agitatur; hoc enim nisi observetur, vibrationes duorum illorum pendulorum non erunt isochronæ, sed qui ex dictis angulis major est, etiam pendulum ad quod ille pertinet vibrationes suas longiori tempore perficit.

§. XXXV. Unde rursus liquet peccari ab illis, qui naturam

rum centri oſcillationes explicare ſuſcipientes ſupponunt, quod pendulum ſimplex compoſito iſochronum, & Linea centri in ipſo pendulo compoſito debeant æquales angulos conſtituere cum perpendiculo vel linea verticali tranſeunte per punctum ſuſpenſionis: ſiquidem id tantum obtineat in pendulis rectilineis in fluido, & in aliis quoque pendulis ſed extra fluidum oſcillantibus, quod per conſequens non inter axiomata ſed inter invenienda & demonſtranda reſervari oporteat.

§. XXXVI. Non neceſſe duco multis oſtendere formulam noſtram ſupra inventam $\frac{AC^2 \times C + AD^2 \times D + \&c.}{mC + nD + \&c. \ AF} = AZ$, ſeſe porrigere ad quosvis alios caſus oſcillationum qui excogitari poſſunt, ut ſi ex.gr. penduli compoſiti partes eſſent quidem ex materia homogenea ſed liquor conſtaret ex ſtratis diverſis in quibus ſingulæ partes agitarentur & quæ ſtrata eſſent heterogenea, vel ſi utcunque & pendulum & fluidum ex partibus & ſtratis heterogeneis componeretur: modo attendatur, quantam partem ponderis ſui unaquæque ex penduli partibus retineat in eo in quo agitatur ſtrato; hoc eſt quasnam unitatis partes faciant quantitates *m*,*n*, &c.

§. XXXVII. Neque etiam monere volo quid obſervandum eſſet, ſi quædam ex penduli agitati partibus extra fluidum eminentes, reliquæ vero in illo demerſæ ſemper manerent: Aerem enim in quo quædam ex corporibus pendulum componentibus agitantur conſiderari poſſe ceu ſtratum aliquod ad liquorem adhuc pertinens, Lectori tam obvium erit ut moneri non mereatur; in quo caſu fit ut quædam ex partibus *m*,*n*, &c. maneant æquales unitati, illæ nimirum, quæ reſpondeat penduli partibus in aere motis & nihil ſenſibile de ſuo pondere amittentibus.

§. XXXIIX. Pariter nihil difficultatis habere arbitror, ſi nonnulla corporum *C*,*D*, &c. ſunt vel ejusdem ſpecificæ gravitatis vel etiam minoris quam fluidum in quo movenda ſunt; nam oppido conſtat, in his caſibus quasdam ex quantitatibus *m*,*n*, &c. vel evaneſcere vel negativas evadere; evaneſcunt ſcilicet, ubi corpora in fluido nihil ponderis retinent ob æquipollentiam gravitatis ſpecificæ corporum & fluidi ambientis: ſed evadunt negativæ,

cum

cum gravitas ſpecifica liquoris ambientis præpollet gravitati ſpecificæ corporum in illo motorum, quæ proin quaſi levitant, hoc eſt a gravitate negativa animantur.

§. XXXIX. Plura alia ejusmodi, quæ ex hactenus explicatis, tanquam corollaria deduci poſſent curioſa & elegantia, plane non attingo, contentus univerſalem Oſcillationum Theoriam ex tam claro & ſimul fœcundo principio jam eſſe derivatam, ut nihil tam obſcurum tamque reconditum in hac materia videatur, quod non ejusdem principii ductu aſſequi liceat: quale quid antea ab Hugeniano aliove minus genuino vix ſperari poterat.

§. XL. Ceterum quod attinet ad compendia quæ mihi ſunt pro parte ab Hugenio ſed operoſe demonſtrata, ad levandam calculi moleſtiam in determinatione centri oſcillationis figurarum variarum Geometricarum, ſive in planum ſive in latus oſcillantium, ea cum aliis huc ſpectantibus nondum cognitis occaſione commodiore publici juris faciam.

ESSAY D'UNE NOUVELLE THEORIE DE LA Manoeuvre des Vaiſſeaux &c.

h. e.

TENTAMEN NOVÆ THEORIÆ MANUARIÆ Nauticæ, una cum quibusdam de eodem argumento epiſtolis; Autore JOHANNE BERNOULLI, Mathematum Profeſſore & Membro Academiarum Regiarum Scientiarum in Gallia, Anglia & Pruſſia.

Baſileæ, apud Johannem Georgium Kœnigium, 1714, 8. Plag. 15 Tabb. æn. 10.

MAnuaria nautica, quæ de diſpoſitione velorum, gubernaculi & navis agit, eſt pars Artis nauticæ longe difficillima, eademque longe utiliſſima: unde non mirum, quod argumentum tam difficile a nemine hactenus fuerit excultum. Equidem A. 1689 Nobiliſſimus *Renaldus*, vir experientia maritima apprime inſtructus, de manuaria nautica libellum edidit; ſed cum duobus principiis falſis de navium velocitate ac deviatione theoriam ſuam ſuperſtruxerit, facile apparet, qualia ex iisdem deducere licuerit. Falſitatem

ſitatem principii prioris jam olim obſervavit *Hugenius* & id publice impugnavit atque contra exceptiones *Renaldi* objectiones ſuas confirmavit: falſitatem poſterioris *Hugenio* non animadverſam nunc demum Vir ingenioſiſſimus *Bernoulli* pro ea, quæ ipſius eſt, perſpicacia detexit. *Hugenio*, Geometræ licet ſummo, ſufficiebat theoriæ *Renaldianæ* partem unam ſubvertiſſe: *Bernoullius* non modo integrum evertit, verum etiam regulas meliores pro erroneis ſubſtituit & quæſtiones difficillimas circa hoc argumentum obvias ſolvit.

Præmittit autem fundamenti loco nonnulla de actione fluido- Cap. 1.
rum contra ſuperficies corporum, in quas impingunt. Aſſumit ex Staticis, vires relativas, quibus fluida in ſuperficies planas ad torrentem diverſimode inclinatas impingunt, habere directionem ad eas perpendicularem & eſſe in ratione duplicata ſinuum angulorum incidentiæ, ſi ſuperficies ſint æquales, in ratione compoſita ex duplicata ſinuum angulorum incidentiæ & ſimplici ſuperficierum, ſi hæ fuerint inæquales; denique in ratione compoſita ex duplicata ſinuum angulorum incidentiæ, duplicata celeritatum & ſimplici ſuperficierum, ſi & ſuperficies, & fluidorum celeritates fuerint inæquales. Exponit deinde, quid intelligat per lineam vis motricis, nempe determinationem, juxta quam corpus impellitur. Differit de reſiſtentia, quam navis ab undis experitur & ſub finem angulum deviationis determinat, a *Renaldo* non advertente *Hugenio* falſo determinatum. Eſt autem angulus iſte, quem facit via navis cum mali principis ſtereobate (Gallis *la quille* dicto). Tractationem 2.
ipſam a caſu facillimo orditur, in quo navis figuram parallelogrammi rectanguli habere ſupponitur. Ut methodi *Bernoullianæ*, qua ex datis linea vis motricis, linea veli & ſtereobate mali principalis, invenitur linea deviationis, ideam quandam animo concipiat lector; ſolutionem caſus præſentis integram apponere juvat. Sit itaque rectangulum *PQRS* figura navis, *HM* ſtereo- TAB. II.
bates mali principis, *DC* lineæ veli, *BL* linea deviationis ſeu viæ Fig. 5.
navis, *MBL* angulus deviationis. Ponamus, navim impelli a torrente juxta lineam *BL* & a vento oblique juxta lineam *AB* impingente in quiete ſuſtineri: patet, quod aqua eadem vi agat in navem, ac ſi a vento in aqua tranquilla impelleretur, atque adeo vim iſtam

huic æqualem & directionem illius cum directione hujus eandem esse. Aqua feriens latera parallelogrammi *PS* & *SR* agit secundum lineas ad *SP* & *SR* perpendiculares & vires sunt in ratione composita ex duplicata sinuum angulorum incidentiæ & simplici laterum *PS* & *SR*. Concipiamus vires in punctis laterum mediis *N* & *M* esse collectas; erunt perpendiculares *NE* & *MH* directiones earundem. Quare si *BF* & *BE* sumantur in ratione modo assignata & parallelogrammum *BFOE* compleatur; erit per notissima Statices principia diagonalis *BO* directio virium & vires ipsæ erunt ut linea *BO*, cui in directum jacet linea *BG*, juxta quam ventus oblique impingens resistit, seu quod perinde est, vis venti per lineam *AB* impellentis velum erit ut *BO* & secundum eandem directionem aget. Producatur *RS* in *G*, erit *LM* ad *BM* ut sinus anguli incidentiæ in latus *PS* ad sinum anguli incidentiæ in latus *RS*. Est vero $BE : BF = LM^2 . PS : BM^2 . SR = LM^2 . BM : BM^2 . SM = LM^2 : BM . SM$. Sed ob similitudinem triangulorum *FBO* & *GBM* est $BE : BF = GM : BM$. Ergo $GM : BM = LM^2 : BM . SM$ & hinc $GM : SM = LM^2$, consequenter $GM : LM = LM : SM$. Datis igitur *LM* & *SM*, inveniri potest *GM*: datis vero *GM* & *SM*, invenitur *LM*.

Cap. 3. Linea deviationis *LB* seu angulo deviationis *LBM* determinato, per calculum analyticum celeritatem investigat Cel. Autor, qua navis rectangularis movetur. Reperit autem eandem ut quadratum *BL* per *BG* divisum, hoc est, tertiam proportionalem ad secantem anguli vis motricis *MBG* & secantem anguli deviationis *MBL*. Celeritatem navis maximam esse demonstrat, quando puncta *G* & *M* in *S* coincidunt, diagonali navis *BS* ad lineam veli *DC* perpendiculari, atque admodum ingeniose ope cujusdam lineæ curvæ geometrice determinat diversas celeritates ac deviationes, a diverso situ proræ ad velum dependentes. Et ne quicquam amplius desiderari possit ad optimam navis directionem, situm veli & sterobatis mali principis ad ventum lucrandum, vel arcendum &

5. navem per viam datam deducendam optimum accurate inquirit, & quomodo is per calculum analyticum erui possit, simul docet commodioris calculi gratia supponens, longitudinem navis *PS* tantam esse ut latitudo *SR* respectu ejus evanescat seu contemtibilis magnitudinis evadat. Denique optimam gubernaculi dispositionem

tionem determinat, ut maxima, qua fieri poteſt, promptitudine navis aliorſum verti poſſit. Reperit autem quantitatem anguli *FBA*, quem facit ſtereobates *HM* cum linea venti *AB*, eſſe 5° 44′; anguli vero *CBA*, quem facit linea veli *CD* cum linea venti *AB*, 3° 16′: poſterior nempe eſt complementum prioris ad rectum. Priori æqualem eſſe demonſtrat, quem vectis gubernaculi cum ſtereobate conſtituere debet. *Renaldus* angulum *FBA* 60, alterum *CBA* 30 graduum facit, priorem nempe juſto majorem, poſteriorem vero minorem. Enimvero cum navium figura uſitata a parallelogrammo multum differat, ideo Noſter alias adhuc figuras conſiderat, quæ ad illam propius accedunt, quamvis non diffiteatur, in praxi nonniſi difficillime ad veram figuram navium calculum inſtitui poſſe, quia in earum conſtructione figura Geometrica exacte conſervatur. Nimirum impoſſibile eſt regulam de deviatione navis univerſalem præſcribere, quemadmodum fecit *Renaldus*, propterea quod deviatio a figura navis tota pendet. Quare cum calculus in figuris a parallelogrammo differentibus multo difficilior evadat; manuariam nauticam longe difficiliorem eſſe apparet, quam ſibi perſuaſerat *Renaldus*. Cap. 6

Agit autem *Bernoullius* non modo de deviatione navis rhomboicæ; verum etiam ut ante in rectangula per calculum analyticum in velocitatem ejus inquirit & elegans inprimis theorema demonſtrat, vi cujus ex data via navis & linea veli invenitur ſitus ſtereobatis mali principis. Theorema tale eſt: 7. 8.

Sit *HPMQ* rhombus, cujus diagonales *HM* & *PQ* ſe mutuo interſecant in centro *B*; per punctum *B* deſcriptæ ſint hyperbolæ *ABC* & *αBδ*, illa intra aſymptotos *MI* & *MY*, hæc intra aſymptotos *PK* & *PZ*: per punctum quoddam in hyperbola una aſſumtum & verticem hyperbolæ *B* ducatur recta *OR* & per idem punctum ad angulum rhombi *M* recta alia *DM*; denique ex *B* ducatur recta *BG*, faciens cum *PB* angulum *PBG* angulo *BMD* æqualem: erit *BR* linea deviationis, *BM* ſitus ſtereobatis mali principis *BG* linea vis motricis & conſequenter recta, quæ ad eam perpendicularis, nec in figura exprimitur, linea veli. TAB. II. Fig. 6.

Antequam calculum in figura navis curvilinea inſtituit, de motu figurarum curvilinearum in fluido in genere agit: ubi inprimis directionem & quantitatem vis mediæ aquarum in ſuperficiem convexam impingentium aut 9.

(quod perinde est) eidem resistentium determinat, analysi *Leibnitiana*, hoc est, calculo differentiali usus. Postea hæc applicat exempli loco ad figuram navis, quæ ex combinatione duorum segmentorum circulorum æqualium juxta chordam communem resultat: hæc nempe figura ad figuram navium usitatam quam proxime accedit. Cap. 10. 11.

Et ut theoria usum in praxi præstare possit, una docet quomodo tabulæ calculo quidem operoso, sed multum profuturo, construi possint, per quas data quantitate deviationis statim invenitur situs veli & stereobatis mali principis; his vero datis via navis seu linea deviationis & angulus deviationis. Has tabulas utiliores fore monet, si una celeritas juxta regulas ab ipso traditas computetur. Per calculum suum ostendit, quod regula *Renaldi*, quam ad determinandam deviationem navis proposuit, a vero tantum abludat; ut ne in praxi quidem utcunque tolerabilis censeri queat, tribus adjectis rationibus, quibus probat, *Hugenium* ejus falsitatem non advertisse, sed eam pro vera habuisse. 12. De loco etiam commodissimo disquirit, ubi erigenda est malus, ut resistentia utrinque sit in æquilibrio: quod multum facit ad facilitatem incitandi navem. Enimvero quia locus variat, deviatione mutata; ideo commodissimum judicat, ut in medio erigatur, quo sit locis veris omnibus æqualiter propinquus. Inprimis etiam docet, quomodo axis resistentiæ mediæ in qualibet via determinetur, miratus quod nec *Hugenius*, nec *Renaldus* de hac quæstione cogitaverint. 13. Utitur in resolutione problematis calculo *Leibnitii* differentiali & inde constructionem Geometricam admodum simplicem elicit in eo casu, quo figura est arcus circuli: tum enim elementum axis integrabile esse ostendit. 14. Tandem de curvatura veli disserit, quam esse catenariam ipse primus jam A. 1692 in Diario Parisino ostendit, 15. & axem æquilibrii impressionum venti in velum figuram curvam habentis per theorema ope quarundam propositionum Staticarum demonstratum determinat. Monet vero, se cum *Renaldo* atque *Hugenio* supponere, celeritatem venti esse respectu celeritatis navis infinitam: alias enim ventus non eadem vi impelleret velum, quando jam est in motu, qua idem impellit, dum adhuc quiescit: quod quamvis in rigore Geometrico non subsistat, in praxi tamen errorem insensibilem producere censet. Licet enim ipsius

ipsius frater *Jacobus Bernoullius* in Actis A. 1695 p. 549 & 550 ostendere voluerit, errorem fore admodum notabilem in itineribus longis; eum tamen principiis nonnullis, quæ non facile conceduntur, calculum suum superstruxisse Noster judicat. Data hac occasione methodum novam determinandi curvaturam veli, lintei aut chordæ per actionem fluidi cujuscunque extensorum communicat multo diversam ab ea, quam alias de eodem argumento dedit, simplicem admodum, sed apprime profundam, & ad usus alios profuturam, qui inventorum *Bernoullianorum* character esse solet. Cap. 16.

Epistolæ tres, quæ Tractatui eruditionis profundæ subjunguntur, tertiam fere operis partem absolvunt. Primam scripsit Autor ad Virum Nobil. *Renaldum* d. 12 Jul. 1713, cum illius de theoria sua manuaria judicium per literas rogasset: unde ejus argumentum ex superioribus haud obscure colligitur. In secunda *Renaldus* d. 15 Sep. 1713 ad objectiones *Bernoullianas* quædam excepit & sua corrobare conatus est. In tertia denique d. 7 Nov. A. 1713 *Bernoullius* ad eam respondit, omnesque nebulas tandem discussit, ita ut confidat, se *Renaldo* ex asse satisfeciisse, quia nihil amplius opposuit. Ceterum rogat Autor Mathematicos doctos, Academicos præsertim Parisienses, ut maximo, quo fieri potest, rigore theoriam suam examinent; quam examine summorum ingeniorum dignam non inficiabuntur, quibus argumenti dignitas pariter ac difficultas fuerit perspecta.

SPECIMEN MATHEMATICUM DE MACHINA Planetaria, sive de Hypothesi Copernicana singulari machina illustrata, editum cum annexis quibusdam epistolis a CHRIST. CASP. HOPPENSTEDT, Med. D.

Helmstadii, apud Georg. Wolfgangum Hammium, 1714, 4. Plag. 6 1/2.

Christ. Hugenius, vir magnis in Matheſin meritis celeberrimus, ingeniosum admodum automaton secundum theoriam *Copernici* & proportiones *Keplexi* a se constructum in peculiari Tractatu, qui inter posthuma comparet, descripsit, in quo exiguo rotarum numero effecit, ut in tabulæ planæ superficie Planetæ quinque primarii,

marii circa Solem, Luna vero circa Terram curſus ſuos abſolverent, iisdem quibus in cœlo temporibus, atque in iis orbibus eccentricis, qui cœleſtium veram dimenſionem poſitumque exprimerent; ſervata quoque in ſingulis motuum inæqualitate, qua celerius feruntur in partibus a Sole minus remotis, & annotata denique exigua illa declinatione, qua ab Eclipticæ plano evagantur. Quamvis autem hæc machina non modo ceteras omnes, quas antea excogitaverant alii, longe antecellit; verum etiam ad eam perfectionem deducta, ut in annis viginti Saturnus tantum ſcrupulo 1. 34″, Jupiter 1. 9″, Mars 24. 0″, Venus 3. 37″, Mercurius 7. 47″, Luna 1. 31″ promoveri debeat, atque levi gyratione axis ſitus planetarum ad tempus quodcunque præteritum atque futurum determinari, iterumque ad præſens reſtitui poſſit; placuit tamen Cl. Autori etiam ſuas periclitari ingenii vires ac machinæ in quibusdam *Hugenianæ* ſimilis, in plerisque ab ea differentis, ſtructuram excogitare & antequam eam ederet, cum Viro Illuſtri *Leibnitio* communicare. Nullam vero rationem habet inclinationis planetarum, ad quam *Hugenium* ſimul attendiſſe ex ſuperioribus conſtat: neque machina Noſtri motu automatico, quemadmodum *Hugenianæ*, ſed tantum gyratione axis manu facta movetur. Contra Noſter motum vertiginis & librationis terræ, qua axis ejus conſtanter verſus Septentrionem dirigitur, atque omnium Satellitum Jovis & trium Saturni, una cum motu vertiginis Solis ac reliquorum planetarum primariorum repræſentat, quod ab *Hugenio* non factum. Rotarum proportiones inter ſe numerumque dentium non exprimit; quod tamen utrumque noſſe apprime convenit, ſi de perfectione machinæ judicium ferri debet. Ex allato vero exemplo, quo revolutiones rotarum Jovis & Telluris ad rationem 1: 12 accommodat, colligitur, quod non adeo ſcrupuloſe, quemadmodum *Hugenius*, in conſtituendo numero dentium rotarum procedat, ut machina inſtar ephemeridis perpetuæ haberi poſſit.

Duas Autor machinæ deſcriptioni annectit epiſtolas, quarum prima ad Virum ſumme reverendum *Johannem Andream Schmidium*, Abbatem Mariævallenſem & Profeſſorem Helmſtadienſem, altera ad Cl. *Joan. Georgium Steigerthalium*, Profeſſorem Medicinæ

cinæ Helmſtadienſem, ſcripta. Illa de Sole & ejus luce; hæc de Saturno & ejus annulo tractat. Lucem Solis a repercuſſione ætheris ad centrum ejus tendentis; annuli Saturnini apparentiam ab apertura facta per radios Solares Saturnum illuminantes in atmoſphæra ejus multis nubibus craſſioribus repleta non magna probabilitatis ſpecie derivat.

HISTOIRE DU CONCILE DE CONSTANCE.

h. e.

HISTORIA CONCILII CONSTANTIENſIS; Autore JACOBO LENFANT.

Amſtelodami, apud Petrum Humbertum, 1714, 4.

Alph. 4 pl. 17 fig. æn. 19.

INter Concilia ab omni ævo in Eccleſia Chriſtiana habita vix ullum eſſe inſignius Conſtantienſi, nemo facile infitiabitur, qui relatum legit, tres in eo Pontifices ſua fuiſſe dignitate exutos, ſchisma inter totum Chriſtianum orbem ſublatum, poteſtatem conciliorum in ipſos Pontifices ſtabilitam, interfuiſſe illi & Pontifices duos, quorum alter initio concilii exauctoratus, alter ſub exitum ejus creatus & inauguratus, & Imperatorem, conveniſſe in eo legatos ex omni Chriſtiani orbis parte, duos denique veritatis teſtes tum fuiſſe ex publico ſenatus ſacri conſulto interemtos. Quare laude digniſſimum ſuſcepit laborem Cl. Lenfant, qui nuper publice luci expoſuit iſtius Concilii hiſtoriam, eo modo concinnatam, ut menſuram hiſtoriæ accuratiſſime ſcriptæ abunde explere videatur. Sequitur enim ordinem chronologicum, quid quoque die ſit actum dictumve, diligentiſſime enarrans; accurato utitur in notandis hiſtoricorum erroribus judicio: neutri addictum ſe præbet parti, nihil ſcribens odio Romanæ eccleſiæ, nihil amore ſuarum partium: denique diligenter in margine oſtendit fontes, ex quibus hauſit. Nec enim quenquam autorem prætermiſit inconſultum, a quo quicquam memoriæ proditum eſſe de illo Concilio cognitum habuit. Unde non ceteros ſolum hujus temporis hiſtoricos evolvit, ſed maxime eos, qui ſingulatim in hac quaſi fabula deſcribenda verſati ſunt. Inter hos agmen ducit *Ulricus Reichenthal*,

thal, Canonicus Conſtantienſis, qui ipſe huic concilio interfuit, ejusque Hiſtoriam compoſuit Germanico idiomate, Auguſtæ Vindelicorum editam A. 1483, & A. 1536 & 1575 recuſam. Noſter tamen eum parum diligenter ſcripſiſſe judicat multosque admiſiſſe errores, (quorum duo ſtatim *lib. I §. 11 p. 19* monſtrantur:) ac præterea linguarum expertem fuiſſe, ratum, *hæreſiarcham* dictum eſſe quaſi *hæreſium arcam*. Deinde in conſilio habuit *Jo. Stumpfii* Hiſtoriam hujus Concilii, pariter Germanice ſcriptam, quam Reichenthaliana multo accuratiorem deprehendit. Hinc Germanicam *Theobaldi* Hiſtoriam belli Huſſitici perluſtravit, quam quidem laude debita non defraudat, notat tamen, autorem affectu in ſuam religionem abreptum nonnulla ſcripſiſſe a vero remota, e. g. Huſſo tribuiſſe, quod negaverit præſentiam realem & transſubſtantiationem in S. Cœna. Omnium maxime uſus eſt Actis hujus Concilii, auſpiciis Sereniſſimi Ducis, *RUDOLPHI AUGUSTI*, a Celeberrimo Viro, *Hermanno van der Hardt*, ſex Tomis editis A. 1700: quo ipſo anno ſplendidiſſimi hujus Operis recenſionem dedimus p. 241 ſqq. His aliisque adjutus ſubſidiis Cl. Autor Hiſtoriam horum Comitiorum ita ſeptem libris exponit, ut *primo* tradat, quid ab illo tempore, quo Joannes XXIII P. M. cum Sigismundo Imp. conſenſit ad convocandum Concilium, geſtum ſit ad illud usque tempus, quo Pontifex ille ex urbe Conſtantienſi evaſit: *ſecundo* pergat eo usque, quando idem Pontifex munere ſuo ſolenniter abdicatus eſt: *tertio* enarret, quid in caſu Huſſi actum ſit usque ad ejus condemnationem, adjectis quibusdam aliis, eodem temporis articulo tractatis in Concilio: *quarto* perſequatur, quæ poſt cremationem Huſſi acta ſunt usque ad Seſſionem vigeſimam ſextam, quæ in exitum anni 1416 incidit: *quinto* doceat, quæ geſta ſint in Concilio ac initio anni 1417 ad electionem usque Pontificis novi Martini V: *ſexto* telam pertexat ad ipſum hujus Concilii finem: *ſeptimo* denique ſeparatim exhibeat, quæcunque eo in Concilio ad emendandam Eccleſiæ faciem, ſive ad reformandam Eccleſiam, uti tum loquebantur, dicta fuerunt atque decreta. Hæc recenſuiſſe fortaſſe ſufficere poterat ad ſalvam lectoribus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudioſis movendam. Noſtro tamen more ſi ex ſingulis libris nonnulla delibaverimus, iisdem haud ingratum

Præf.

fore

fore prorſus confidimus. Sic ſtatim *Lib. I §. 3* ex Leonardo Aretino, Theoderico de Niem & Gobelino Perſona, teſtibus *συγχρόνοις & αὐτόπταις*, luculenter probat, Joannem XXIII Pontificem Romanum per omnem vitam vitiis flagitiisque fuiſſe inſignem & in omni ſcelerum genere volutatum. Nec tamen, pro ſuo ingenuæ mentis ſtudio, bubonem illum, qui forte appaſuit in Concilio Romæ ab iſto Pontifice celebrato, inter teſtes veritatis refert: quod quidem a Flacio factum eſſe meminimus; ſed rem illam in medio relinquit §. 6. Ceterum in Huſſi hiſtoria paſſim notat ſive errores ſive calumnias Varillaſii ac Maimburgii. Maxime §. 58 & 59 hoc hiſtoricorum par confutat, qui variis commentis perſuadere orbi conati ſunt, nihil a Concilio factum eſſe contra fidem Huſſo ab Imperatore datam. §. 62 oſtendit, errare eos, qui referant, Huſſum Conſtantiæ fuga ſibi conſulere voluiſſe: cumque duo ſcriptores *σύγχρονοι*, qui iidem eo tempore Conſtantiæ fuerunt, id narrent, Noſter fretus Actis publicis, ex quibus contrarium demonſtrat, ſuſpicatur, eos, cum aliquot annis poſt Concilium ſuam conſcriberent hiſtoriam, memoria lapſos fugam Hieronymi Pragenſis Joanni Huſſo tribuiſſe. *Libro II §. 20* docet, duos eodem tempore fuiſſe Hieronymos Pragenſes: Huſſitam vero illum Hieronymum fuiſſe virum doctiſſimum & ipſo Huſſo doctiorem, operamque dediſſe literis in Academiis Pariſienſi, Heidelbergenſi, Colonienſi & Oxonienſi. §. 57, 58 & 59 Wicleſi hiſtoriam recenſet ejusque in Concilio Conſtantienſi damnatos articulos. Inter alia meminit, Wiclefo tributam eſſe hanc doctrinam, quod *totus mundus ſit DEUS:* eamque, ne quis forte Spinoſismum Wiclefo hinc tribuat, ſano ſenſu interpretatur, non oblitus, eandem ſententiam a Wilhelmo de Wideword & Thoma de Walden tributam fuiſſe Manichæis, Petro Abælardo & Lollardis. §. 73 oſtendit, Matthiam quendam, Sacerdotem Pragenſem, publice in ſubtractionem calicis in S. Cœna invectum, & S. Cœnam ſub utraque ſpecie adminiſtrare auſum, in ſynodo Pragenſi A. 1389 ſententiam ſuam retractare coactum fuiſſe. Ex illo tempore ignem quaſi ſub cinere latuiſſe, donec aliquot menſibus poſt, quam Conſtantiam abiiſſet Huſſus, Jacobellus, Sacerdos Pragenſis, vir ingenio & morum integritate præſtans, incitante Petro Dresdenſi, reducere

Lib. I.

II.

p. 157.

271.

nſum calicis conſtituerit, & publice in templo docuerit, ſub utraque ſpecie, ut loqui moris eſt Eccleſiaſticis, communicandum eſſe. Huic obſtitiſſe ceteros Clericos vehementer, &, Jacobello acrius propugnante, Conſtantiam ad Concilium miſſſe theſes & libros Jacobelli. Hinc Noſter §. 73 probat, Jo. Huſſum haudquaquam eſſe reſtitutorem calicis in Bohemia, pluribusque confirmat argumentis, Huſſum nunquam Pragæ docuiſſe Communionem ſub utraque, adeoque, quicquid ſive boni ſive mali ex hac doctrina in Bohemia profectum ſit, non Huſſo, ſed Jacobello vel Petro Dresdenſi tribuendum eſſe. Illud vero non it inficias, Huſſum, poſtquam Conſtantiæ de facto Jacobelli reſcivit, ejus doctrinæ ſuum
Lib. III. adjeciſſe calculum. *Lib. III §. 16* errorem eorum redarguit, qui tradiderunt, Huſſum Conſtantiæ aliquando ſuas retractaſſe ſententias. Idem tamen §. 52 negat, Huſſum recte fuiſſe condemnatum pertinaciæ crimine. Pertinacia enim, inquit, fuiſſet, ſi doctrinas a ſe agnitas, poſt factam a doctioribus demonſtrationem erroris ex ſacris literis, repudiare noluiſſet: ſique adverſarii exhibitis teſtibus ſatis comprobaſſent; eum docuiſſe, quæ ſe docuiſſe negabat ac pernegabat. Atqui neutrum factum eſſe contendit. Ceterum quod attinet ad Jo. Huſſi doctrinas, Cl. Autor demonſtrat, eum omnino *orthodoxum* fuiſſe, hoc eſt, idem cum Romana illius ævi eccleſia ſenſiſſe, adeoque nequaquam hæreticum fuiſſe, ne Pontificiorum quidem ſenſu. Sic docet §. 53, quod jam ante §. 5 fecerat, Huſſum in doctrina de S. Cœna non receſſiſſe a ſententia Romanæ eccleſiæ, ſed cum præſentiam realem, tum transſubſtantiationem, ſtatuiſſe: §. 54, eum in doctrina de Sanctorum deprecatione pro nobis, itemque de igne purgatorio, pariter cum Pontificiis ſenſiſſe: §. 55, eum defendiſſe neceſſitatem confeſſionis auricularis, item de adoratione imaginum ita ſtatuiſſe, ut tum ſolebant & hodie ſolent Pontificii ſtatuere: quare Noſter refellit eos, qui ſcripſere, Huſſum oppugnaſſe advocationem imaginum, oſtenditque, eum & Gerſonem idem prorſus de hoc argumento docuiſſe: §. 56 oſtendit, Huſſum idem cum Pontificiis ſtatuiſſe de merito bonorum operum, item §. 57 de ſeptem Sacramentis, atque de traditionibus. Nam librum, quem Huſſus ediderit contra traditiones humanas, oppoſitum fuiſſe ceremoniis ſuperſtitioſis,

sis, sola consuetudine invectis, non autoritate ecclesiæ. Ex his Cl. Autor conficit, Hussum plane tenuisse sententias eo tempore in Ecclesia Rom. receptas, adducitque idem fatentes Florimundum Remundum & Rosweidum: quibus addimus Larroquanum, cujus eandem sententiam adduximus in his Actis *A. 1688 p. 252.* Ea re permotus Noster §. 59 disquirit, quam ob causam Hussus fuerit damnatus. Videri possit hæc esse damnationis causa, quod se opposuit expeditioni cruciatæ a Joanne XXIII indictæ. Sed Cl. Autor docet, nec hic Hussum se præbuisse hæreticum, sed tantum notasse ambitionem Papæ velamine religionis tectam, ceterum indulgentias approbasse, solo rejecto abusu. Suspicari quispiam possit, Hussi hanc fuisse hæresin, quod Missam administravit intra illud tempus, quo fuit excommunicatus. Sed Noster & hoc diluit. Nam quando Hussus statuit, injustam esse excommunicationem, ubi non fueris auditus & convictus, idem docuit cum præstantissimo quoque doctorum Ecclesiæ Romanæ. Nec illa vera causa damnationis Hussi fuit, quod a judicio Papæ appellavit ad judicium Christi vel Concilii. Namque id ipsum fecit Concilium Constantiense, ipsoque facto judicavit, Papam non esse infallibilem, sed judicari posse, immo puniri. Quid? quod Gerson librum scripsit, quo docet, licitum esse, in rebus fidei appellare a judicio Papæ. Porro nec in eo posita est causa damnationis Hussi, quod epistolam quandam hæresibus contaminatam scripserit lingua Bohemica. Nam Hussus semper questus est, illam epistolam fuisse depravatam. Denique nec ideo Hussus condemnatus est, quod statuit, civitatum rectores Clericis illis, qui vitam agant sceleratam, bona sua eripere posse. Nam eadem semper publica fuit doctrina universæ Ecclesiæ Gallicanæ. Quam igitur tandem ob causam ad tam dirum supplicium damnatus fuerit Hussus, inquirit Noster merito. Videtur ei primum id propterea factum esse, quod tam fortiter declamavit Hussus in enormia vitia Papæ, Cardinalium, Episcoporum, Monachorum & ceterorum Clericorum. Leguntur enim in MS. vetusto codice hæc: *quamdiu Hussus taxabat vitia secularium, omnes dicti tabant, eum divino agi spiritu: simul ac vero aggressus est Clericos, summum omnium odium incurrit.* Ceterum cum idem eodem tempore acerrimis fecerint ver-

bis Petrus Alliacenſis, Franciſcus Zabarella, Theodoricus de Niem, Nicolaus de Clemangis, Joannes Gerſon, immo ipſi inimici Huſſi in ipſo illo Concilio graviter accuſaverint avaritiam, ruditatem, ac Simoniam Clericorum, Noſter nec in hac quidem ſententia acquieſcit, ſed ad aliam delabitur conjecturam. Nimirum fortaſſe ea fuit damnationis vera cauſa, quod Huſſus ſtatuit, Eccleſiam Romanam non eſſe matrem & caput eccleſiæ univerſalis, Papamque & Cardinales non eſſe de eſſentia Eccleſiæ, ſed hanc iis carere poſſe. Sed nec hoc probat Noſter, cum idem docuerit Theodoricus de Vrie & Joannes Gerſon. Quid ergo? Noſter tandem §. 60 firmiter ſtatuit, duas fuiſſe cauſas, ob quas crematus Huſſus fuerit, (1) quod ſubſcribere noluerit condemnationi articulorum Wicleſi. Licet enim in doctrina de S. Cœna Wiclefo non aſſentiretur Huſſus, in eo tamen eum probabat, quatenus notabat vitia & abuſus Clericorum. Ubi tamen Noſter addit, hoc ſenſu illa tempeſtate omnes bonos fuiſſe Wicleſiſtas & Huſſitas, immo magnam eorum partem, qui membra fuerint Concilii Conſtantienſis. (2) Quod conciones ipſius & ſcripta oppido vehementia & acria, permultum contulerint ad turbas, quæ tum in Bohemia agitabantur. Id quod, judice Noſtro, negari non poteſt. Sed (ita pergit Cl. Autor) omnes illius ætatis ſcriptores originem hæreſeos Huſſi tribuunt perverſis Clericorum moribus. Ergo, inquit, aut pœna aut venia communis eſſe debebat utrorumque. Poſtremo hinc concludit, Huſſum procul abfuiſſe a doctrina Lutheri, quæ centum annis poſt pervaſit magnam partem Europæ. Qua occaſione §. 61 vulgarem examinat hiſtoriolam, qua Huſſus fertur ad judices ita dixiſſe ſuos: *Vos nunc torretis anſerem, ſed centum annis veniet cygnus, quem non poteritis interficere.* Cl. Autor hanc fabulam eſſe pronuntiat, nixus ſilentio συγχρόνων & αὐτοπτῶν, ejusque originem non obſcure ad quoddam numiſma, ſeculo XVI demum cuſum, refert. Pari modo falſum eſſe judicat, quod Huſſus dixiſſe fertur: *Centum annis revolutis Deo reddetis rationem & mihi.* Tandem ſtatuit Noſter, Huſſum non fuiſſe martyrem veritatum illarum, quas hodie contra Romanam Eccleſiam propugnamus: fuiſſe tamen egregium præcurſorem Reformationis, quam vulgo vocant. Progredimur ad *Librum IV*, hinc

Lib. IV.

quoque

quoque nonnihil decerpturi. §. 17 Bertrandus Vacherius exhortatur Concilium ad corrigendos mores Clericorum, avaritia insatiabili, ambitione indomita, crassa literarum ignorantia, summa pigritia, detestanda profanitate laborantium. Quales orationes passim in hoc opere sunt obviæ. §. 19 Jo. Gerson 25 thesium hæreticarum accusatur, ex quibus duas postremas adscribemus, quas fassus est Gerson, sed interpretatione mollire studuit. Scilicet vigesima quarta thesis hæc est: *Si Jo. Hussus, qui a Concilio declaratus hæreticus est & condemnatus, habuisset Advocatum, nequaquam potuisset convinci.* Vigesima quinta: *Malo Judæos & Ethnicos habere judices in causis religionis, quam Concilium.* §. 27 meminit epistolam procerum Bohemiæ ad Conc. scriptam, in qua inter alia dicunt, Hussum, nullius unquam hæreseos suspectum fuisse, sed semper & in doctrina & in moribus irreprehensibilem, & S. Scripturam interpretatum esse secundum sententiam Patrum ab Ecclesia approbatorum, atque omne genus hæreseos detestatum esse. §. 31 disserit de decreto Concilii, quod fides publica a Principe seculari hæreticis data non debeat esse fraudi religioni Catholicæ, nec impedire, quominus hæretici examinentur & puniantur. Putat vero, fidem publicam non tam fuisse violatam per ultimum Hussi supplicium, quam per ejus conjectionem in carcerem. Nam si concilium facto examine deprehendisset, Hussum esse hæreticum, tunc Concilium putat jus habuisse eum ad ignem damnandi. Sed (ita pergit) eum in carcerem conjicere nondum facto examine, ac profitentem se Concilii autoritatem agnoscere, ac retractaturum esse, si cujus hæreseos fuerit convictus, hæc vero est manifesta fidei publicæ violatio. Verum si rem hanc, tot agitatam controversiis, sine affectu & pro illo rerum statu pensitamus, videtur nec Cæsar nec Concilium accusari debere violatæ fidei. Concilium sane fidem violare non potuit, quia Husso nullam dedit: sed, quando eum in carcerem conjecit, jure suo usum est. Imperator vero nec ipse violatæ fidei reus est, quippe per quem Husso licuit Constantiæ esse incolumi. At, inquis, eum e manibus Concilii eripere debuit. Minime vero debuit. Nam secundum placita Ecclesiæ Romanæ divisum imperium cum Ecclesia Cæsar habet, adeoq; Imperator nihil cuiquam potest promittere in præjudicium Concilii. Dabimus exemplum geminum: si Papa, non consulto Leopoldo Imp.

Ragonium fide sua data Viennam ire jussisset ad dicendam causam, an Leopoldus injuste feciſſet, an fidem violasse dicendus esset, si illum carceri inclusisset debitoque affeciſſet supplicio, maxime cum certum esset, si libera ei esset abeundi facultas, eum ad suos rediturum ac Cæsari plurimum pariturum esse molestiæ? Nemo, opinor, dixerit, Imperatorem fidem violasse. Hinc sequitur, in Concilio Constantiensi contra legem de servandis promissis peccatum non esse. Ceterum fatemur, imprudenter feciſſe Hussum, quando ratus, se literis Imperatoriis instructum fore securum, Constantiam se contulit: fatemur etiam, erraſſe Concilii Patres, dum sibi jus esse putarunt, hæreses flamma abolere, in hæreticosque & ferro & igne
p. 396. sævire. Sed redeamus in viam ex hoc diverticulo. §. 77 refert vocem vulgo tributam Hieronymo Pragensi, qui ita suos sit affatus judices: *Appello ad judicem supremum, ut coram eo centum annis revolutis respondeatis mihi.* Cl. Autor non dubitat hoc in fabularum censum rejicere. Diserte enim testatur Poggius, (cujus de morte Hieronymi Pragensis epistolam §. 78 recenset,) Hieronymum dixisse, *eos esse aliquando coram Deo, quem fallere non possint, rationem reddituros.* Adeoque existimat Noster, *centum annos*
Lib. V. fuisse longo post tempore istis verbis additos. *Libri V* §. 44-49 de sectæ Flagellantium origine & progressu agit. Noster eam enthusiasmum fuisse statuit: ac fortasse ἐκ παραλήλου huc referri debent pueri aliquot abhinc annis in Silesia enthusiasmo precatorio (de quo pluribus agit Mericus Casaubonus *lib. de Enthusiasmo cap. VI*) laborantes. Ceterum in Flagellantes nihil statutum est in hoc Concilio, urgente licet Gersone: quod inde factum conjicit Noster, quod haberentur pro hominibus mentis emotæ ac fanatico furore percitis. Plura de secta Flagellantium lecturis commendat Cl. Schœttgenii libellum, quem perperam vocat *Schettingerum.* §. 82, quo commemorat, Ottonem Columnam in Concilio A. 1417 d. 11 Novembr. electum esse Papam, sumsisseque nomen Martini, observat cum Raynaldo, eum per errorem vocari Martinum V, cum tertius demum sit, ac duo Marini male annumerati fuerint inter Martinos. Verum dici posset, hunc esse errorem, quod Martini nomen in Marini fuerit depravatum. Certe Platina in Vita Martini II ita diserte scribit: *Sunt, qui hunc Marinum vocent, quos ego similitudine scriptionis acceptos puto.*

Ita-

Libri VI §. 44 docet, Martinum V Pont. Max. edidiſſe Conſtitutionem, qua declararit, nemini appellare licere a judicio Papæ in rebus fidei, ſed in ejus ſententia acquieſcendum eſſe. Sed hanc Conſtitutionem refutavit Gerſon edito libro, qui *§. 45* recenſetur, in quo is provocavit ad decretum plane contrarium Concilii Conſtantienſis in Seſſione quinta. *§. 47 & 71* oſtendit, cum hoc Concilium convocatum fuerit ad reformandam Eccleſiam in capite & membris, nihil tamen in eo mutatum eſſe, quod momentum trahat, adeoque exitum hujus Concilii neutiquam reſpondiſſe ſpei a Chriſtianis illius ætatis conceptæ. *Libri VII* initio acerbiſſimas eas- Lib. VII.
demque plurimas producit bonorum virorum querelas de corruptiſſimis Clericorum, maxime Pontificum, moribus: porro, quid actum ſit in Collegio Reformatorio, quod in hoc Concilio inſtitutum fuerat, edocet, ſigillatimque iſtius Collegii decreta recenſet. *§. 57* refert, quid in hoc Concilio actum ſit de emendatione Calendarii: qua de re cum altum ſit apud hiſtoricos hujus ſeculi ſilentium, copioſius hic eam enarrari videmus. Ceterum cum hujus argumenti non ſatis peritus eſſet Noſter, hanc Hiſtoriæ particulam deſcribendam dedit Cl. Vignolio, Membro Societatis Scientiarum p. 695 - 700.
Regiæ Berolinenſi, qui hic exhibet compendium libri a Petro Alliacenſi, Cardinale Cameracenſi, ſcripti de reformando Calendario. *§. 68* docet, quid in Concilio fuerit ſtatutum ad juvandam Judæorum ad ſacra Chriſtiana converſionem. Ubi primo deteſtatur crudelitatem, ſæpius a Chriſtianis in Judæos expromtam odio religionis ipſorum, & crimina iis afficta eo conſilio, ut bonis ſuis poſſent exui & interfici. Deinde plura Concilia pluresque Papas laudat, quod populari furori reſtiterint, eisque libertatem conceſſerint religionis. Obſervat, Judæos duorum potiſſimum criminum reos agi ſolitos eſſe, (1) quod infantes Chriſtianorum rapiant & necent: id quod Cl. Autor in medio relinquit, vereturque, ne ipſa Judæorum confeſſio hujus criminis non tam veritati ſit tribuenda, quam tormentis. (2) Quod hoſtias conſecratas contumelia affecerint. Dicit, ab hiſtoricis Brandenburgenſibus uno ore narrari, ſub initium ſec. XVI Judæos aliquot (utimur nos verbis Manlii in Melanchthonianis p. 88) ſacramentalem hoſtiam, a ſacrilego quodam emtam, pugionibus & cultellis confodiſſe, adjectis blaſphemiis, quod Chriſtianorum Deus nullum haberet ſanguinem: quo facto miraculoſe

culoſe promanarit ſanguis. Hos deinceps comprehenſos vivos fuiſſe combuſtos. Noſter hanc fabellam eſſe credit, adeoque triginta octo Judæos illos injuſte Vulcano conſecratos fuiſſe ſtatuit. Ceterum in præſenti Concilio Conſtantienſi nihil definitum eſt circa Judæos, niſi quod ſequens factum eſt decretum: *Quia, ut expertum eſt, quamplurimi Judæi, utriusque ſexus homines, per uſuram acquiſita reſtituere metuentes, ad Chriſtianismum ſuſcipiendum alias ſatis inclinati, ſeorſim abierunt, in ſua perfidia tanquam deſperati permanentes; ideo hac Synodus ſacroſancta decernit & ordinat, quod Judæus ad fidem Catholicam venire volens, nonniſi in quantum medietas ejus ſubſtantiæ, tam in mobilibus, quam immobilibus ſe extendit, eis, a quibus uſuras, ſi fuerſint, recepit, alioquin hæredibus ſecundum proportionem uſurarum receptarum, reſtituere teneatur: reliqua medietate ſibi & ſuis liberis absq; mendicitate educandis in modum eleemoſynæ mediocriter derelicta.* Finita ſic Hiſtoria *p. 709-734* exhibetur Diarium Concilii hujus, a Cl. Hardtio confectum, ſed aliquot in locis auctum mutatumve, a 9 Octobr. A. 1414 usque ad d. 20 Maji A. 1418. Subjecta ſunt denique Latina lingua *p. 737* Martini V Papæ Regulæ Cancellariæ, altero ſtatim poſt electionem die, nempe 12 Novembr. publicatæ: *p. 749* Germanicæ, *p. 758* Gallicæ, *p. 766* Anglicæ Nationis & Martini V Papæ Concordata: quæ omnia ex Hardtiano penu depromta ſunt. Apparet hinc, quantum adjumenti dederit Cl. Autor hiſtoriæ eccleſiaſticæ cultoribus. Eſt vero, ubi etiam hiſtoriæ literariæ ſtudioſos delectare poteſt hoc opus: cujus rei duo triave dabimus ſpecimina. Ut prætermittamus, quæ jam prædicta ſunt de duobus Hieronymis Pragenſibus, *lib. II §. 55* refert, Manuelem Chryſoloram Conſtantiæ mortuum eſſe, quo cum Card. Zabarella venerat, A. 1415 die 15 Aprilis. Ejus epitaphium in templo Dominicanorum Conſtantienſi hoc legitur: *Ante aram hanc ſitus Dominus Manuel Chryſoloras, Miles Conſtantinopolitanus; ex vetuſta genere Romanorum, qui cum Conſtantino Imp. migrarunt, Vir doctiſſimus, prudentiſſimus, optimus, qui tempore Generalis Concilii Conſtantienſis obiit, ea exiſtimatione, ut ab omnibus ſummo inter mortales ſacerdotio dignus haberetur, die 15 April. 1415. Conditus eſt apud Dominicanos.* Sic *lib. IV §. 79* de Poggio Florentino

tino dicit, ignotum esse, quam personam is sustinuerit in Concilio Constantiensi. Laudat ejus eruditionem: notat ejus intemperantiam in maledicendo aliis: corrigit quoque vulgarem errorem, docens, MStum codicem operum Quintiliani repertum a Poggio esse non Constantiæ, sed in turri quadam monasterii S. Galli. Scripsit is Historiam Florentiæ, de qua hi versus exstant:

Dum Patriam laudat, damnat dum Poggius hostem,
Nec malus est civis, nec bonus historicus.

Ibidem §. 84 Theodoricum de Niem, qui natus Paderbornæ in Westphalia plurium Pontificum fuit Secretarius, prætereaque fidelis & accuratus historicus, refert obiisse diem suum Constantiæ A. 1416 d. 4 Junii. Sed hæc hactenus.

A BRIEF ENQUIRY INTO FREE-THINking in Matters of Religion.

i. e.

BREVIS DISQUISITIO DE LIBERTATE Philosophandi in rebus ad Religionem spectantibus, & vulgo creditis ejusdem obstructionibus, utpote Symbolorum impositione, Mysteriis, & Autoritate antiquorum Patrum; Autore SAMUELE PYCROFT, A. M. & Collegii Cajo-Gonvillensis Cantabrigiæ Socio.

Cantabrigiæ, apud Edmundum Jeffery, 1713,8.

Pag. 150.

QUod in Actis superioris Mensis commemoravimus, novum eorum, qui in Sacris Philosophandi Libertatem nimiam in Anglia affectant, nomen, *Free-thinkers*, id præsenti Libello paucis, sed solidis & maturis ratiociniis inquisivit Clarissimus Autor, in ipsa Introductione professus, nihil rei sibi cum solitis apud Scriptores controversiarum artificiis, contumelioſe & sarcastice adversarios traducentibus risuique & odio exponentibus futurum, planis ac evidentibus rationibus rem suam unice acturo. Quem quidem controvertendi modum longissime a moribus Libertinorum istorum discedere, quibus nihil æque sit volupe, quam Clerum Ecclesiæ Anglicanæ & sacra omnia profanissime ac in-

dignissime exagitare, productis in prolixa Introductione multis contumeliarum speciminibus, graviter conqueritur. In ipso opere, ubique supposita Scripturæ S. autoritate, quam & ipsi, contra quos contendit, adversarii illibatam esse volunt, Libertatem philosophandi primum ipsam considerat, quam etiam in sacris nemini non jure suo competere concedit, at recte explicatam. Id enim, inquit, est libere de re quacunque philosophari, si sine præjudiciis & affectibus plenum ac perfectum examen doctrinæ institueris, fundamenta & partes ejus omnes, & quicquid eo spectat, ita ponderaveris, ut nihil prudens omittas, quod in hoc examine considerare oportuerit, ut proinde *libere philosophari* idem sit, quod *exacte & sine partium studio ratiocinari*. Enimvero nemo recte de re quacunque cogitaverit, nisi certas regulas ac mensuras ratiocinandi observaverit objecto convenientes, eaque postulata admiserit, ac subsidia adhibuerit, quæ natura rei, de qua agit, requirit. Unde circa res divinas divinitus nobis revelatas rite philosophaturo ante oculos haud dubie esse debere docet sequentia fere axiomata, quibus nimia libertas restringatur: Deum nempe, infinitis modis homine sapientiorem, in rebus divinis non nostris conceptibus convenienter necessario ubique agere, multo minus illius dictata ad nostræ rationis decempedam ullo modo exigi posse; quare non mirum esse, si in divinis revelationibus occurrant ἀνωμότητα, nobis perceptu aut dijudicatu nunc quidem difficilia, multo minus hanc sufficientem esse de istis dubitandi aut negative decidendi rationem; posse vero Deum certis actionibus, a quibus natura nihil ad nos videatur redundare beneficii, benedictiones adjungere hujus & futuri ævi, ut in Naamanis Syri exemplo, etsi nos istorum nexum non capiamus. Idem vero & recte cogitaturus in divinis revelationibus, positivas quoque leges eodem studio, quo æternas morales, in iis quæret, & inventas eodem numero cum his habebit, idem verba revelationis secundum verum sensum & consuetam eorum significationem dijudicabit, coactas interpretationes dedignabitur, denique ut verum sensum assequatur, quis eo tempore, quo scripta fuit revelatio, verborum fuerit sensus, scrutabitur, & omnibus, quæ dantur, Exegeseos adminiculis, quantum per vitæ ac studiorum rationem licebit, fideliter utetur, quæ

omnia

omnia longe diſtant ab illa quam adverſarii affectant, cogitandi Libertate. Eam vero cum obſtrui per *Symbola*, per *Myſteria*, per *autoritatem antiquorum Patrum* criminentur adverſarii, ea diſtinctis Capitibus vindicat Cl. Autor. Circa *Symbola* quidem, docet, divino jure Paſtores imprimis Eccleſiarum eſſe conſtitutos, ut, quicquid ad unitatem & puritatem fidei conſervandam ſpectat, id omne fideliter ac vigilanter exſequantur, ei vero fini obtinendo eo tempore, quo perverſe ſentientes verba Scripturæ S. artificioſe pervertunt, aut fallacibus evaſionibus aliis imponunt, ſymbolorum brevibus ſed ſtrictis & ad iſtud ſpeciatim tempus exactis verbis fidem repræſentantium uſum & perquam eſſe accommodatum, & nullo modo illegitimum. Fidem quidem eſſe liberum voluntatis aſſenſum, ſed neque Symbola quenquam ad minus liberum aſſenſum ſua natura cogere, neque abſurde dici poſſe ingerere rem credendam, quæ tibi videatur incredibilis, (ſiquidem eodem plane modo Apoſtoli quoque abſurdi dicendi ſint, Chriſtum *μωρίαν καὶ σκάνδαλον* prædicantes,) neque injuſte exigere fidem rerum, quæ ſunt ſupra rationem, dummodo cum revelatione exacte conſentiant, neque tandem ex ſe ipſis plura diſſidia gignere, quæ forte ex accidente inde poſſunt oriri, ipſi naturæ rei non imputanda, contendit. Imprimis cavillationes Synodi Nicenæ conſiderat, ac perverſam verborum *Euſebii* de vita Conſtantini L. 3 C. 13 ubi Imperatorem *ἐν μέρει ἀντιλαμβανόμενον τῶν παρ' ἑκατέρᾳ τάγματος λεγομένων ῥημάτων συναγαγεῖν τὲς φιλονεικως ἐνισταμένες* memorat explicationem, qua non nemo criminatus erat, Epiſcopos certe non ita in unam abituros fuiſſe ſententiam, niſi Imperator eos *ἐν μέρει* ſeparatim ad ſe vocatos artificioſe in partes ſuas traxiſſet (*had they not been cloſeted by the Emperour.*) Denique præcipuum arietem adverſariorum, quo Symbola a Spiritu S. ipſo haud dubie tradita fuiſſe, ſi neceſſaria illa exiſtimaſſet, urgent, convellit, principium eſſe Scripturam, in quo omnia ad reprimendos hæreticos ſequiori ætate neceſſaria non diſertis verbis potuerint exprimi, ſed ita ſaltim innui, ut ad temporis neceſſitatem ſtudio hominum deinceps eruerentur ac decernerentur, reſpondens. Ad *Myſteria* pergit, vocem a Tolando & Socinianis profaniſſime exagitatam, quorum cavillos ut devitet, totam quæſtionem in eo verſari

docet: an ea res, quarum *vera natura* ab *humana ratione* in præsenti statu *exacte* non intelligitur, non possint tamen certo sensu esse objectum *humanæ fidei*, & an doctrina, quæ ob deficientem *veræ rei naturæ exactam* notitiam nobis contradictoria videatur, revera pro tali sit habenda? Circa hanc vero quæstionem, ne mysteria admittant adversarii, quatuor potissimum urgent: *Primum*, nullas se habere in mysteriis ideas, quæ si deficiant, tum vanissime assensum posci. Hic vero Noster lubens concedit, sine ideis credere, idem esse ac nihil credere, in mysteriis vero fidei omnino habere nos ideas, etsi non adæquate & exacte naturæ rerum convenientes, & eo usque nostram fidem requiri, quæ ultra sint, in iis fidem locum nullum obtinere. Ita in mysterio v. g. Trinitatis habeo omnino ideam Dei, & ex ea pariter ac revelatione certo cognosco, non posse esse nisi unum Deum, interea ex revelatione percipiens, unum hunc Deum esse Patrem, Filium & Spiritum S. inde conceptum formo hunc, esse inter Patrem, Filium, & Spiritum S. certam distinctionem sive relationem, quæ cum essentiæ divinæ unitate consistat. En tibi ideam sive propositionem, quam omnino cognosco & cui eousque fides mea assentitur. Modum vero, in quo hæc relatio sive distinctio consistit, si credere juberer, tum certe credendum mihi foret id, cujus nullam habeo ideam. In eo igitur fides mea subsistit, exactam hujus distinctionis naturam talem esse, qualem ego nunc non possum mente concipere. Et sic in reliquis mysteriis. Urgent *porro*, si habeant Ideas, eas tamen apparere contradictorias, quarum fides rationi & sensui sit contraria, quibus respondet Autor, sine claris & tantum non adæquatis utriusque rei conceptibus nullam propositionem a nobis pro contradictoria posse haberi, jam vero in divinis neminem sanum eam conceptuum ac adæquatæ cognitionis claritatem sibi posse vindicare, quæ ad evidenter probandam in mysteriis divinis contradictionem sit sufficiens. *Præcipue* cum tam infinitus sit miraculorum naturæ numerus, quibus recte concipiendis humana ratio non sufficiat, quæ cum neutiquam cum mysteriis fidei conferri debere Libertini contendant, siquidem hæc sensui sint evidentia, fidei vero mysteria sub sensum non cadant, eam disparitatem neutiquam tantam esse, ut per eam vis instantiæ imminuatur, Noster affirmat. *Denique*, quod

quod nullus in his myſteriis ſcopus Deo dignus appareat, id quidem Autor confutat, partim quod æquum ſit, Deum non minus Fidei noſtræ, quam obedientiæ probationem inſtituere, partim, quod & ipſa illa myſteria infiniti in excitanda religioſa veneratione & pietatis fervore uſus eſſe manifeſto appareat. *Autoritatem Patrum*, tertium Libertati objectum peſſulum, ultimo loco vindicat Autor, breviter per triſeculares Patres eundo, eorumque merita & candorem ab antiquis jam agnitum, non, ut Libertini prædicant, heri demum a vanitate modernorum eruditorum mirifice elatum, aſſerendo, in quo tamen nihil eſt, quod magnopere nos poſſit morari. Ceterum quæ de Bentleji ſcripto excerpta paulo prolixiora nuper promiſimus, in proximum Menſem rejicienda ſunt.

MICHAELIS HENRICI GRIBNERI, LIPS. D. Pand. P. P. Collegior. Jur. Vitemb. Aſſeſſ. Principia Proceſſus Judiciarii, publici juris fecit J.C.F.A. qui differentias juris Magdeburgici adjecit. Accedit Diſſertatio epiſtolica de litium ambagibus in foro Saxonico recidendis.

Lipſiæ & Halæ, ex officina Ad. Sellii, 1714, 8.
Alph. 1 pl. 7.

Autoris, qui pererudite, quas de variis argumentis non paucas habuit, Diſſertationibus Orbi literario dudum innotuit, ſcopus eſt, prima Praxeos forenſis elementa ſolide proponere. Quamobrem in Prolegomenis de proceſſu in genere agit. Poſt libro I ordinarium proceſſum eo, quo in foris peragitur, ordine perluſtrat. Itaque cap. I ea, quæ fiunt ante primum terminum, duabus ſectionibus, altera de libello & ſupplicatione pro impetranda citatione, altera de citatione & termini notificatione exponit. Hinc cap. II quæ in primo termino ante litis conteſtationem fiant, declarat: poſt cap. III probationes per teſtes & documenta, cap. IV vero eas, quæ per jusjurandum fiunt, tractat. Inde, quæ fiant poſt probationem, cap. V oſtendit duabus ſectionibus, quarum prior in publicatione atteſtationum & probationum diſputatione, poſterior vero in ſententia definitiva occupatur. Tum quæ fiant poſt ſententiam definitivam, cap. VI ita enucleat, ut tribus ſectionibus remediorum ſuſpenſivorum & quarta executionis jura tradat. Denique ea, quæ in proceſſibus quandoque ſaltem occurrunt,

cap. VII addit, nempe Sect. 1 interventionem, Sect. 2 litis denunciationem & nominationem autoris, Sect. 3 reassumtionem litis, Sect. 4 commissiones, Sect. 5 reconventionem. Absoluto processu ordinario libro II extraordinarios aggreditur, & ubique suppositis iis, quæ cum ordinario conveniunt, reliqua in quibus ab eo differunt, tanquam exceptiones a regula priore libro tradita sedulo inculcat. Atque ita cap. I processum summarium, II eum, qui ex §. 8 Resol. Grav. competit, III matrimonialem & consistorialem, IV executivum, V cambialem, VI arresti, VII possessorium summarium & inhibitivum, IIX provocatorium, IX illum, qui in concursu creditorum obtinet, X criminalem pertractat. Singula ordine, breviter & accurate concinnata sunt, additis locis JCtorum Saxonicorum, potissimum Bergeri, Rivini & Menckenii, in quibus illi argumenta proposita latius persequuntur. Præterea errores communes passim annotantur. Ita reum comparentem & respondere detrectantem in legitima impedimenta, cum tamen illa nec possit nec teneatur probare, qui rite se stitit, male vulgo condemnari asseritur L. 1 c. 2 S. 2 §. 1 not. b, pariter contradictiones Doctorum quoad actus speciale mandatum requirentes & reliqui in doctrina de mandatis judicialibus nævi deteguntur d. C. S. 3 §. 6-9, porro eum, qui item prævia comminatoria non rite contestatur, pro confesso & convicto, sed quoad illa tantum capita, ad quæ minus recte respondit, habendum esse, adversus contrarios scriptorum dissensus defenditur d. C. S. 5 §. 3. Constituti quoque & moribus recepti juris defectus subinde arguuntur, veluti cum processus summarii & potissimum ejus, qui §. 8 Resol. Grav. præscribitur, incommoda L. 2 C. 1 §. 6 & C. 2 §. 4 monstrantur & quam parum juris rationi conveniat, ut ipsi probaturo, cui aliquid ante probationem in sententia injunctum per moram in ea purificanda admissam probatorium terminum sibi prorogare liceat, evincitur L. 1 C. 3 S. 1 §. 2 not. f. Potissimum vero observantiæ collegiorum Juridicorum eorumque inter se dissensus, adductis novissimis nec adhuc editis præjudiciis, enarrantur, quo pertinet, quod Garandæ præstationem in processu summario Vitembergensia Collegia secus ac Lipsiensia injungant L. 2 C. 1 §. 1 not. a, quod in processu possessorio summario juramenti delationi locum denegent Scabini Lipsienses, concedant

JCti

JCti Lipſ. & Vitemberg. L. 2 C. 7 §. 13. Atque ita genuina proceſſus judiciarii principia traduntur, quæ Autor quanquam privatis tantum auditorum ſuorum uſibus deſtinata poſtmodum arbitrio editoris permiſit. Is ergo differentias juris Magdeburgici ex utraque Proceſſus in Ducatu iſto recepti, & generali de emendanda in terris Pruſſicis & Brandenburgicis re judiciaria ordinatione, peculiaribus conſtitutionibus Codici juris Magdeburgici noviſſimi propediem proditurо inſertis collectas adjecit, ſimulque publici juris fecit J. E. R. ad A. L. O. diſſertationem epiſtolicam, in qua triplex ambages proceſſuum recidendi medium ſuppeditatur, I abrogatio omnium proceſſuum litibus intra breviſſimum tempus finiendis § 6, II inſignis proceſſus recepti immutatio §. 9, cujus nova & facilis ratio §. 10 traditur, III promotio celeritatis ambagumque remotio retento proceſſu hactenus recepto §. 12. Prioris medelæ periculum §. 7, 8 explicatur, alterius incommoda §. 11 monſtrantur. Quibus quanquam facile obviam iri poſſe §. 12 tradatur, tertium tamen facilius ſperandum eſſe §. 13 concluditur, adeoque circuitiones viginti tres, quibus varia proceſſus ordinarii capita laborant, modique illas tollendi a §. 14 ad finem breviſſimis indicantur, quas ſi praxis ſequeretur, dubium non eſt multum imminutum iri Proceſſuum prolixitates. Utrique opuſculo Indicem rerum locupletiſſimum ſubjecit editor, qui & Præfationem præmiſit, in qua de inopia compendiorum proceſſualium bonæ ſynopſeos virtutibus, quas ſimul recenſet, inſtructorum in tanta librorum practicorum multitudine diſſerit, eamque ſibi cauſam fuiſſe aſſerit, hæc Proceſſus Judiciarii principia utpote ea, quam requirit, concinnitate conſcripta edendi.

NOVA LITERARIA.

E Novi Diarii (*Journal Literaire*) quod Hagæ Comitum nuper edi cœpit, Tomo III P. I diſcimus, Patres Benedictinos e Congr. S. Mauri Pariſiis in eo nunc eſſe, ut *Theſaurum Anecdotorum novum* quinque Voluminibus in fol. prodant, quo varios Scriptores hiſtoriæ tum ſacræ tum profanæ e Bibliothecis hactenus erutos complectentur. Ibidem Cel. Montfauconius primum Operum *Chryſoſtomi* Tomum publicavit, idemq; colligit *Theſaurum*

rum antiquitatum, in quo adhibitis optimis Scriptoribus varia quoque antiquitatum monumenta in lucem producet. Illic & Kusterus Hesychium, & Daceria Odysseam Homeri a se Gallice translatam prelo submisit, prodiitque nova versio Gallica Iliadis a Dn. de la Motte carmine heroico, minus quidem feliciter, adornata. Abbas Renaudot, edita nuper Historia Patriarcharum Alexandrinorum, nunc Liturgias Orientalium Ecclesiarum præcipuarum prodere parat. Malebranchius contra autorem tract. *de Præmotione Physica* causam suam publice mox tuebitur. Parisiis quoque (quamvis Amstelodamum præferat) prodiit Bibliothecæ Simonianæ continuatio sub t. *Nouvelle Bibliotheque choisie* &c. 2 Vol. quem libellum ipsum adhuc Rich. Simonium, qui Mense Aprili A. 1712 e vita excessit, autorem agnoscere existimatur. Ceterum cum in eodem Diario enumerentur octodecim libelli sub finem superioris ac initium hujus anni Hagæ impressi, qui omnes causam Quenellianam tantopere hoc tempore agitatam concernunt, & ibidem apud T. Johnson prostant, rem non ingratam nos facturos Lectori putamus, si breviter eorum titulos hic subjiciamus: sunt vero 1 *Idée generale de la nouvelle Constitution contre le livre des Reflexions Morales* &c. 2 *Analyse exacte de la doctrine contenuë dans la Constit.* 3 *Regles de l'équité naturelle & du bon-sens pour l'examen de la Constit.* 4 *La Constitution UNIGENITUS*, qui libellus denuo prodiit sub tit. *Jugement des S. Peres sur les Propositions condamnées* &c. 5 *Memoire presentée à l'assemblée du clergé* &c. 6 *Memoire pour les Eveques* &c. 7 *Dissertation sur la Constit.* 8 *Reflexions sur les Propositions de la Constit.* 9 *Memoire sur les Propositions* &c. 10 *Cinq Memoires sur la Constit.* 11 *Memoire presentée a l'assemblée du Clergé* &c. 12 *Examen de la Constit. selon la methode des Géometres.* 13 *Lettre du P. Quesnel aux Cardinaux* &c. 14 *Seconde Lettre du même.* 15 *Memoires du même pour servir à l'examen de la Constit.* 16 *Second Memoire*, 17 *Troisi me Memoire*, 18 *La Constitution du Pape Clement XI* &c. *avec des observations.*

Indicem Generalem Decennii III & Supplement. Tomi IV & V jam pridem prodiisse, omnibus constare existimamus.

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipſiæ
Calendis Julii Anno M DCC XIV.

HISTOIRE D'ANGLETERRE, D'ECOSSE & d'Irlande.

i. e.

HISTORIA ANGLIÆ, SCOTIÆ ET HIBERNIÆ; Autore Dn. de LARREY.

Tomus IV.

Roterodami, apud Fritſchium & Bœhmium, 1713, fol. Alph. 11 pl. 19 & fig. æn. 18.

CUm de prioribus operis ſplendidiſſimi Tomis actum fuerit a nobis A. 1708 p. 441 & 498, nunc ultimum quoque Tomum, res inde a Carolo I usque ad mortem Wilhelmi III, quæ in annum 1702 incidit, complexum, quem quartum vocant Editores, priores quippe duos, qui mole ſua unicum æquant, pro uno nunc reputantes, ſtrictim perluſtrare par eſt.

Caroli I regimen infauſtum omina ſiniſtra prædixerunt. Mox enim Patre defuncto cum in locis publicis edito clangore tubarum tympanorumque Succeſſor Regni denunciaretur, is cui hoc negotii datum, cum *Heredem indubitabilem* dicere debuiſſet, *dubitabilem* errore quodam pronunciavit. In primo Statuum Angliæ Conventu, quem Parliamentum vocant, Rex, ſermone ad ipſos, uti moris eſt, habito ac vix ad finem perducto, corona caput nudaverat, quaſi diadema Regium, quod multi augurabantur, Parliamento ſubmiſſurus. Cumque ſolenni ritu inauguraretur, albo veſtimento indutus incedebat, Anglorum Regibus in iſtis ſacris haud uſitato, qui purpureo amictu ſplendorem auguſtæ dignitati

Pag. 4.

8.

17.

conciliare conſueverunt. Sed ad graviora transeundum eſt. Fons & ſcaturigo omnium malorum, quibus Carolus tandem oppreſſus eſt, procul dubio fuit matrimonium cum uxore Romanis ſacris
p. 10. 74. addicta. Ex hujus enim connubii legibus neceſſe habuit, claſſem ad ſubjugandos Galliæ Reformatos ſubminiſtrare, quo cives
78. ſuos religionis avitæ tenaciſſimos haud leviter offendit. Pontificii interea turbulentis conſiliis omnia agitabant, donec Carolus Clerum ipſorum ſeditioſum, imprimis Jeſuitas, otius excedere Regno juberet. Tum vero illi, quos Regina ſecum adduxerat, ipſam hortari, ut nudis pedibus Londino Tyburnum usque, locum ſupplieiis facinoroſorum deſtinatum, procederet, Deumque ſupplici prece oraret, quo Jeſuitis in Anglia diutius liceret commorari. Cujus rei indignitate Rex adeo commotus eſt, ut eos, qui Reginam ſecuti
89. fuerant, una cum ceteris ejiceret. Iram Buckinghamii in Gallos conceptam plerique amori illuſtri, ſed vetito tribuunt; accedebat vero teſte Noſtro, quod literas a Richelio datas accepiſſet, quibus ſolum titulo, *Monſieur*, ipſum alloquitur, nullo quoque, quod honoris cauſa fieri aſſolet, inter titulum & literas interjecto
91. ſpatio. Caroli II fata nunciaſſe dicitur ſtella, quæ dum Pater gratias Deo pro filio acturus ad eadem D. Paulo dicatam ſe conferret, comparens nitore ſuo Solem pæne ſuperare viſa fuit. Occaſione inaugurationis Scoticæ Edgarum primum fuiſſe obſervat Noſter, inter Reges Scotiæ, qui Seculo XII ab Epiſcopo tum temporis
115. San-Andreano ſacro ritu diadema Regium ſuſceperit. Notatur vero Laudi Archi-Epiſcopi Cantuarienſis ambitio, haud ultimi inter Caroli amiciſſimos, quæ eo proceſſit, ut Pontifex Tramontanus appellari fuerit conatus; certe Papiſmi clandeſtini ſuſpicio-
126. 216. ne admodum laboravit, quam literarum commercium cum Cardinale Barberino auxit. Rex autem eo infelicior, quod eos, quos
153. 173. amicos ſibi adjunxerat, vel rei præfecerat militari, inviſos populo, rebusque ſuis haud idoneos ſelegerit. Et Hibernorum quidem,
178. qui Romana ſacra colebant, ſeditio non exiguum momentum Regis exitio attulit, cujus ſi non autorem, conſcium ſaltem fuiſſe Regem, ſibi aliisque perſuaſerant turbarum Anglicarum autores,
209. præſertim cum ipſorum opera poſtmodum ad compeſcendos An-
191. glos uti Rex conſtituiſſet. Tandem erupit funeſtum Regi bellum,

ſub

ſub cujus primordiis ipſemet Hullum obſidione cinxerat, brevi ſe potiturum urbe ſperans, quod adjutore Digbio præfectum ipſius amplis promiſſis ſibi devinxiſſet; re vero detecta, & appropinquante exercitu Parliamenti, obſidionem ſolvere coactus eſt. Neque tunc rebus ſuis male conſuluiſſet, ſi Septentrionales Angliæ regiones in fide ſervaſſet; ſed eas inſigni errore derelinquens, Londinum urbem ſibi infenſiſſimam tendit, eoque modo hoſtibus invadendi Regni occaſionem præbuit. Interim Regina in Galliam profuga, cum navis Parliamenti partibus addicta acerrime inſequeretur, ſuis, ut ſe ipſam potius occiderent, quam hoſti crudeliſſimo dederent, acriter præcepit; ſecundis quidem ventis feliciter periculo erepta. p. 204

Cromwellius, Rege trucidato, id primum ſibi eſſe duxit, ut Hibernos rebelles ſub poteſtatem redigeret. Cumque aperta vi haud adeo ſe proficere cerneret, edixit, omnibus Hibernorum præfectis Pontificiorum Religioni addictis cum ipſis militibus regno exire liberum fore; quo comperto 25000 in Hiſpaniam, & 20000 hominum in Galliam brevi tempore transfretarunt. Sic Hiberniæ hominibus, Anglis nunquam non ſuſpectis, quodammodo purgatæ, & Iretonio in Cromwelli locum ſuffecto, (nam ipſe ad Scotos compeſcendos fuerat profectus) Hiberniam ſub jugum mittere proclive fuit. Reſpublica Anglorum (hoc enim modo vocari geſtiebat ipſorum regimen) legatos miſerat ad Fœderatos Belgas, quibus injunctum, ut duas inter Reſpublicas fœdus pangere, easque in unam quaſi Rempubl. compingere ſtuderent; quod cum Belgæ ſuperbe nimis, ut Anglis viſum eſt, reſpuerent, atrociſſimum inde bellum eſt exortum. Tandem cum Cromwellio omnia ex voto ſuc- cederent, Regiam dignitatem ambire cœpit, quod evidentibus argumentis Noſter probat. Mortuus eſt Cromwellius ex mœrore melancholico, ob defunctam filiam natu majorem Cleypoliam concepto; quam & ipſam dolor oppreſſerat ob ſupplicium D. Herwerti, in deliciis habiti, cui turbarum quippe autori fruſtra intercedente filia parcere Cromwellius noluit. 285. 309. 345. 356.

In Cromwelli locum ſuffectus filius Richardus, qui patre prudentia longe inferior, nec pietatis ſimulator, qua ille omnium fere mentes faſcinaverat, mox pravos mores prodebat, eoque bre- 367.

pag. 373. vi fasces deponere cogebatur. Tum vero Lambertus consilia nudare cœpit, ad tantum fastigium summa vi contendens, adeo ut Delegatos ad Parliamentum armata manu a Palatio West-Monasteriensi arcere fuerit ausus. Sed maxime ipsi obstitit Monckius Scotiæ præfectus, qui exercitu coacto omnes ipsius conatus irritos reddidit, monitusque a Nobili quodam Devoniensi Mauritio, Ca-
383. rolum II, quod antea forsan in mentem haud venerat, in Regnum restituit.

Carolus II redux matrimonio sibi junxit Principem Lusitanicam, quibus nuptiis accessit benedictio sacerdotalis a Clerico
421. Pontificio peracta, ne liberis ex ipsa prognatis, Regno Lusitaniæ ad illos devoluto, illegitimorum vitium posset obtrudi. Anno 1661
445. Scotis levi opera persuaserat, ut Presbyteris, quos multo sanguine antea defenderant, ejectis Episcopos ubique reciperent, idemque negotium tanta violentia peractum, ut illos, qui montes inhabi-
507. tant, *Highlanders* dicuntur Scotis, ad Presbyterianos vexandos evo-
547. caret. Cumque hi 1679, trucidato Archiepiscopo San-Andreano seditionem concitarent, Monmuthius furorem ipsorum magna virtute repressit, mox quidem Eboracensis invidia revocatus. Hos tamen Episcopos saltem precarios dixeris, cum Regi liberum esset, il-
648. los, sicubi visum foret, Episcopatu privare; & Wilhelmo III quidem ad Regiam dignitatem evecto 1689, Presbyteri pristinum locum
471. occupabant. Postea bellum inter Anglos & Belgas exarsit, ubi notandum prælium navale 1672 commissum; cujus amissi culpa Duci Eboracensi tribuitur, ex hesterna crapula adhuc lecto decumbenti, unde Belgis opportunum tempus datum, Anglos improvisos
475. adoriendi. Num Ducissa Eboracensis morti vicina sacris majorum relictis Catholicorum religionem fuerit amplexata, in ambiguo est; id verissimum videtur, vel crebris mariti flagitationibus modeste cessisse, vel totam fabulam post mortem ipsius fuisse
527. conflictam. Detestanda Catholicorum conjuratio in Carolum II A. 1678 detecta fuit, cujus invidiam ut a se amolirentur, atque Presby-
550. terianos criminis suspectos redderent, pia quadam fraude chartas
571. hoc facinore repletas in ædes ipsorum abjici curarunt; nec ante quieverunt, donec conflictæ conspirationis 1683 Protestantes accusarent. Ceterum silentio hic non prætereundum, quod notat Autor,

tor, Hiſpanorum Pro-Reges haud una vice primi Ordinis Legatos ad ſummos Imperantes ablegaſſe, quod olim Principes ſummo imperio gaudentes ſibi ſolis vindicare videbantur. pag. 565.

Jacobum II ſub ipſis Regni auſpiciis ſolio excutere auſus eſt Monmuthius, ſiniſtro tamen eventu. Pugna quippe commiſſa, ab equitibus infami proditione deſertus, cum equeſtris exercitus pulvere pyrio globisque careret, gravi clade affectus, fugaque ſalutem quærens, captus eſt & capite plexus. Hoc ſucceſſu elatus Jacobus, Catholicis indies magis magisque favere cœpit, nec veritus eſt, Nuncium Pontificis ſummo honore excipere, fruſtra obſtante Lege antiquiſſima *Præmunire*, regnante Richardo II lata, qua cautum, ne delegati a Pontifici, niſi conſenſu Parliamenti prævio, in Angliam appellerent. His accedebat odium in Proteſtantes infenſiſſimum, & conſilia Anglorum libertati maxime adverſa, de quorum ſucceſſu infelici non eſt ut dicamus. 604. 613.

Wilhelmus III regno potitus, ut injurias a Gallis illatas ulciſceretur, bellum ipſis indixit, *Galliæ* Regis titulum ſibi tribuens, Ludovicum XIV vero *Gallorum* Regem nuncupans, quod Anglis in ejusmodi negotiis eſſe ſolenne obſervat Noſter. Hoc in bello obiit Schombergius ductor exercituum fortiſſimus, in prælio ad Boinam, vel ab illis, quos Jacobus cuſtodiæ corporis ſelegerat, globulis trajectus, vel a nonnullis, quos Galli ſubornaverant, ut multi ſuſpicati ſunt, ex inſidiis cæſus. Interea ſupererant haud pauci, qui Jacobi partibus clam atque palam faverent; ridenda plane diſtinctione Jacobum Regem de jure, Wilhelmum vero cum conjuge Maria Reges de facto appellitantes, eoque juramentum fidei ipſis denegantes, quos inter nomen profitebantur Archi-Epiſcopus Cantuarienſis, Epiſcopi Elienſis, Ciceſtrienſis, Bathoniæ & Wellæ, Nordovicenſis, Petroburgicus, & Gloceſtrienſis. Hi licet moniti, cum in pervicacia perſiſterent, loco tandem moti, aliique ipſis fuerunt ſurrogati. Hæc dum aguntur, Wilhelmus ad exercitum contra Gallos ducendum cum claſſe mare tranſiens præſentiſſimum mortis periculum ſubiit, Godereenſis Miniſtri induſtria feliciter ſervatus. Namque cum adverſo vento & denſiſſima nebularum caligine oborta applicare claſſem ad Belgarum littora prohiberetur, otii impatiens in ſcapham inſiliit, vi fluctuum 668. 685. 694. 710. 1691 689.

ultra 18 horas huc illuc jactatam, dum interim classis frequenti tormentorum fragore Regem in discrimine versari indicaret. Idem mente præsagiens Minister ille, cui nomen Van der Poel, se cum servo ardentem facem gestante ad littus maris contulit, sclopeto majori iteratis vicibus explosо nautas, quo dirigendus esset cursus, edocens, cujus ope demum Rex salvus in terram evasit. Eodem anno exercitus Regis miraculo pæne ab internecione est servatus.

712. Lucemburgius enim, Gallorum exercitui præfectus, scelestos quosdam eo largis promissis induxerat, ut currum igniariis bolidibus onustum atque tormentis & munitione bellica undiquaque circumdatum accenderent, quibus disruptis & igne latius sparso non magna solum strages erat metuenda, sed Lucemburgio quoque facile fuisset, exercitum omnis rei bellicæ penuria laborantem funditus delere. Quatuor tamen milites ardentem currum feroci impetu in patentes campos abstraxerant, quorum industria factum, ut duo saltem bolides absque ullo detrimento dilicerentur. Pugnæ ad Steenkerken 1692 amissæ causam narrant alii, quod altera

719. exercitus pars sub Athlonii signis militans, & a via longius aberrans, prælium tardius commiserit; alii Solmensis invidiam in Wurtembergicum, cui suppetias tempestive non tulerit, accusant;

718. alii denique Scribam Bavaricum proditionis reum faciunt, qui

727. suspendio punitus. In Landensi prœlio 1693, cum tormenta quæ insignem antea Gallorum stragem ediderant, dubium casu, an proditione, haud amplius exploderentur, Galli iterum victores abiere; tanta vero cum circumspectione retro pedem tulit Fœderatorum exercitus, ut non Lucemburgius solum cum suis in admirationem raperetur, sed & Rex Gallorum, Lucemburgium pugnasse haud dissimilem Condæi, Turennium autem retrocedendo imitatum fuisse Arausionensem, judicarent: enimvero Condæum pugnæ magis, Turennium aliis expeditionibus bellicis idoneum judicant Galli.

Demum Acta, quibus Com. Straffordii famæ consulitur, sub finem subjecit Autor celeberrimus, aliis Historiæ hujus continuationem modeste commendans.

J. VIGNOLII DISSERTATIO DE ANNO primo imperii SEVERI ALEXANDRI AVG. quem præfert

præfert cathedra marmorea S. Hippolyti Epiſcopi in Bibliotheca Vaticana. Addita Epiſtola ad ANTONIUM GALLANDIUM de numo quodam ANTONINI PII iterum edita & recognita.

Romæ, typis Franc. Gonzagæ, 1712, 4.
Plag. 14.

QUi Romanam hiſtoriam ad Chronologiæ diligentius exigunt rationes, ſuos imperio Elagabali annos primumque inde ſucceſſori Severo Alexandro aſſignaturi, variis difficultatibus, quibus ægre ſe expedire poſſunt, premuntur. Dio & Herodianus, qui facem eas excutientibus præferre merito debebant, diſſenſu, qui iis non tantum inter ſe, verum etiam cum aliis monimentis illorum temporum ac numis potiſſimum intercedit, efficiunt, ut poſt repetitos etiam conatus Virorum doctorum res æque incerta, impedita, obſcura, atque antea, videatur. Certe Cl. Valſcchio, qui in diſſertatione de Elagabali Tribunitia poteſtate V, qua de in Actis noſtris A. M DCC XII Menſe Septembri p. 408 diximus, ſummam ad tenebras has diſpellendas diligentiam attulit, negotium non feliciter ſucceſſiſſe demonſtrat Cl. Vignolius. Conjectarat ille, Herodianum ſex annos imperio Elagabali tribuentem eorum primum non a Macrini fuga, ut Dio, ſed a Caracallæ interitu numeraſſe, numos autem Elagabali anno V inſignes ita explicaverat, ut ab initio eos non primi ſed ſecundi anni nota ſignatos fuiſſe oſtenderet. Sed vero in A. U. DCCCCLXX, qui eſt A. C. 217, atque Id. April. cum incidat interitus Caracallæ, cumque inde ad cladem Macrini annus duntaxat ac menſes duo effluxerint, illi additi ad annos tres, menſes novem & dies quatuor Dionis, quibus ille imperium Elagabali terminis circumſcribit, ne quinquennium quidem, nedum ſexennium Herodiani efficiunt. Nam ex integris annis quatuor atque aliis duobus dimidiatis Macrini imperio decerptis, fruſtra ſtatuit Valſechius ſexennium ſuum conſtruxiſſe Herodianum, qui Macrini imperio diſerte annum tribuit. Ita generatim Valſechii ſententiam infirmat Vignolius. Sed & ad argumenta, quæ illi evincendæ adduxit, ſigillatim reſpondet.

Primo igitur Antonini Caracallæ filium ſe & Severi nepotem dixit

dixit Elagabalus; inde infert Valſechius, a morte Caracallæ eum imperii initium deduxiſſe. Negat hoc Noſter inferri poſſe, propterea quod aliter ſe nuncupare Elagabalus nequivit tanquam Caracallæ filius a militibus ad Imperatoris majeſtatem evectus, quodque hoc pacto & Alexandri imperium non a morte Elagabali, ſed ab ejusdem Caracallæ fuiſſet inchoandum, cum & ille ſe Antonini filium & Severi nepotem, idque meliori jure, dixerit. Quod porro Elagabalus in literis ad Senatum rapti Macrinum imperii inter alia inſimulat, id ratione interemti Caracallæ, non ſui habita eum oſtendit facere. Sibi enim raptum eſſe imperium non potuit dicere neque Cæſar tum dictus, neque, quantum conjicere licet, habitus pro Caracallæ filio, cum rerum Macrinus potiretur. Quanquam, quomodocunque ea ſe res habeat, ſaltim id manifeſtum eſt, ob eam cauſam Elagabalo non poſſe tempus tribui, quod Macrinus imperando transegit. Odium, quo tanto in Macrinum flagravit, ut annum, quo imperium adeptus eſt, conſulatu ejus, quem una cum Advento inierat, ſignari noluerit, quin & nomen ejus e faſtis, ſubſtituto ſuo, eraſerit, equidem agnoſcitur a Vignolio, ſed ſatis id illi haud eſt, ut imperium annuum Macrini, conſenſu militum & Senatus geſtum approbatione, eundem ſibi vindicaſſe, affirmanti illud Valſechio credat. In inſcriptione Gruteriana, quæ pag. 300 legitur:

IMP. . . . . SEVERVS . . . . .
COOPTATVS
C. BRUTTIO. PRAESENTE. T. MESSIO
EXTRICATO
VI COS.
P. R. C. ANN. DCCCCLXX.

nomen Macrini ex parte eraſum eſſe, non ob odium duntaxat, ſed vel maxime, quod Auguſtus eſſet perperam dictus, id quod contendit Valſechius, Vignolius negat ratione ſubnixus, quod ita & Imperatoris titulum eradere, qui ſalvus manſit, imo & totam inſcriptionem perdere oportuiſſet ac tuto legere, quod de titulis Alexandri ſtatuis appoſitis factum eſſe Lampridius in vita Elagabali

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA

henditur, maxime ſi vel Conſulatus vel aliud quid ſit additum, quod aliquo ei pacto repugnet. Emendat etiam obiter diſſertationem de Antonini Pii columna, ubi in numo inſcriptionem:



Imperatoris titulum eradere, qui ſalvus manſit, imo & totam inſcriptionem perdere oportuiſſet ac tuto legere, quod de titulis Alexandri ſtatuis appoſitis factum eſſe Lampridius in vita Elagabali

i teſtatur. Vni id nominis odio deberi, ex ſervatis *Imperatoris* & *Severi* (adſciti poſt Imperatoris dignitatem impetratam nominis) verbis colligit, quemadmodum & Macrinum non Auguſtum cooptatum, ſed in collegium quoddam, quod & illi hanc inſcriptionem dedicaſſe exiſtimat, cooptatum dici arbitratur. Numum Juliæ Paulæ, primæ quam Elagabalus duxit, uxoris, quem in ſubſidium vocat Valſechius, huc non pertinere, & Vignolius luculentis evincit argumentis & res ipſa loquitur. Cum enim caput Juliæ Paulæ atque inſuper figuram nudam, quam genium potius, quam Imperatorem adventantem interpretatur Vignolius, equo inſidentem exhibeat, ipſe autem non Latinus ſed Ægyptius eſſe deprehendatur, facile patet adventum eum Imperatoris celebrare haud poſſe, quo ſublato & omnis vis argumentandi ex litera r, h. e. anno tertio, qui in numo notatus eſt, perit. Dionem, ſe a Macrino in fugam verſo initium numerandi annos imperii, quod geſſit Elagabalus, ducere, profeſſum non propterea, quod credideriit a morte Caracallæ & duci illud poſſe, ſed quod & a die XVII Maji, quo Imperator a militibus electus eſt, duci poterat, ulterius Vignolius oſtendit. In veteri Romanorum Imperatorum catalogo, qui ad calcem Græcorum Romanæ hiſtoriæ ſcriptorum minorum editus eſt, quod Macrinus non habetur, argumentum, ex quo effici quicquam poſſit, nullum ſuppeditat, quod & Galba, Otto aliique Imperatores ibidem deſiderantur, quodque catalogus ipſe a ſequioris ævi græculo aliquo, in Romana hiſtoria hoſpite, compoſitus autoritatem nullam obtinet. Inſuper catalogo huic alium licet opponere eidem, loco, quem diximus, præmiſſum, in quo Macrinus diſerte nominatur. Denique ad Oroſium provocat Valſechius, ſed ſcriptorem unius plerumque anni vel duorum triumque metachroniſmo laborantem merito Vignolius repudiat. TAB. III. Fig. 1.

Jam ad numos pergendum, quos ut ſententiæ ſuæ favere exiſtimavit Valſechius, ita adverſos illi quam maxime eſſe Noſter demonſtrat. Largitur equidem Valſechio, tribunitiam poteſtatem non ſemper primam denotari, ubi ſine numero expreſſa deprehenditur, maxime ſi vel Conſulatus vel aliud quid ſit additum, quod aliquo ei pacto repugnet. Emendat etiam obiter diſſertationem de Antonini Pii columna, ubi in numo inſcriptionem:

Antoninus Aug. Pius P. P. Tr. P. Cos. VII certum aliquem annum deprehendi negarat posse, tribunitiamque potestatem secundam designari ostendit. Nihilominus numum Elagabali, ubi literæ P. M. TR. P. COS. II. sunt expressæ, ad tribunitiam potestatem primam rejicit, quod consulatum Elagabalus secundum inierat, cum adhuc prima tribunitia decurreret potestas. Quare si ille sententiæ Valsechii non diserte repugnaverit, saltim ad stabiliendam eam nihil argumenti complectitur. Præterea vero numus est Elagabali apud Mediobarbum ex Angelono, qui præfert literas P. M. TR. P. II. COS. III. LIBERAL. AVG. S. C. qui cum tertium consulatum, quem A. U. DCCCC LXXIII gessit, cum secunda tribunitia potestate conjungat, non potest imperii annos ab A. DCCCC LXX deduxisse Elagabalus, quæ sententia est Valsechii. Hanc difficultatem superaturus idem ex recentiore Angeloni editione COS. II legendum esse voluerat. Qua in editione cum Bellorius aliam prorsus heic numum cum priore confusum enaret, Vignolius veterem sequitur, in qua legitur COS. III. simi-
TAB. III. Fig. 2. lemque numum exhibet, cujus Fr. Antonius Remedius Monachus Carthusianus ei copiam fecit. Simul observat pluribus, liberalitatem Augusti non primam heic sed quartam denotari, observationemque adeo de tribunitia potestate, qua de supra diximus, ad liberalitatem quoque extendit. Quo pacto ut omnem dubitandi rationem de vera lectione COS. III. in numo Angeloni Valsechio tollit, ita & de congiariis Elagabali, quæ sex numerat, contra Vaillantium disputandi optimam occasionem nanciscitur. Concludit igitur nondum ad dirimendas rixas veterum Autorum & numorum, quibus inter se contendunt, attulisse Valsechium, quod operæ sit pretium, utpote quas, quamcunque iis sedandis diligentiam adhibuerit, nec dum deferbuisse opinatur.

Sub finem demonstrat, non felicius Pagium operam ea in re posuisse, qui, ut numos cum Dione conciliaret, ab anno itidem superiori vel saltim a Kalendis Januar. currentis anni, quemadmodum loquuntur, quo dictus est Imperator, Elagabalum annos suos numerasse statuit. Ab anno superiori eos haud numerasse illum, contra Cl. Valsechium disputata satis declarant. Sed neque a Kalend. Januar. eos fuisse numeratos, Vignolius ostendit. Adduxerat

duxerat Pagius numum cum verbis P. M. TR. P. III. COS. III. P. P. in quo Elagabalus quadrigis vectus exhibetur, quod ad proceſſum conſularem Conſulatus III initio obitum Vir ille doctus retulerat, quo tempore ſi tribunitiam poteſtatem III Elagabalus numeravit, omnino a Kal. Jan. A.U. DCCCC LXXI imperii annos deduxerit, neceſſum eſt. Sed Vignolius non tantum ad alios proceſſus toto anno celebratos eum numum referri poſſe, quod & Valſechius fecit, ſed etiam ad proceſſum initio anni obitum plane non pertinere oſtendit.

His expeditis ſuam ſententiam declaraturus de cæde Elagabali deque initio imperii Alexandri ſucceſſoris diſputat, quorum neutrum in Martium anni 222 poſt C. N. incidere tuetur, quin Idib. April. atque adeo media ætate adhuc Elagabalum ſuperfuiſſe quintumque imperii attigiſſe annum evincit. In Dione adeo numeros partim transpoſitos, partim depravatos exiſtimat, cumque in editis codicibus legatur ἔτεσι τρισὶ καὶ μησὶν ἐννέα καὶ ἡμέραις τέτρασιν, legendum cenſet ἔτεσι τέτρασιν μησὶ δὲ καὶ ἡμέραις τρισίν. Herodianum conjectat ſcripſiſſe εἰς πέμπτον ἔτος, quod aliam manum in ἕκτον mutaſſe exiſtimat. Eadem ratione in marmore S. Hippolyti errorem agnoſcit, in quo XIII April. Alexander Imperator jam compellatur. His addita eſt epiſtola ad Antonium Gallandium Vir. Cl. de numo Antonini Pii, de qua in Act. A. 1709 p. 467 cum dictum ſit, merito eo lectorem ablegamus, maxime cum in altera hac ejus editione, quam cum prima contulimus, nihil ferme quam ſtylum mutarit Cl. Vignolius, cetera ſuo loco, paucisſimis exceptis, reliquerit.

DE ANNIS IMPERII M. AURELII ANTONINI ELAGABALI & de initio imperii aç duobus conſulatibus JUSTINI junioris diſſertatio apologetica ad numum ANNIÆ FAUSTINÆ tertiæ ejusdem ELAGABALI uxoris.

Patavii, typis Seminarii, 1713, 4.

Alph. 1 pl. 3.

NOvum producimus Valſechii adverſarium in eadem ferme de annis imperii Elagabali cauſa, Philippum a Turre, Epiſco-

pum Adrienſem, qui in epiſtola de numo Annię Fauſtinæ, Diarii literatorum Italiæ Tom. IV p. 361 inſerta, Pagium ſecutus impugnatum ſe ab Valſechio viriliter defendit non tantum, verum & ipſe hoſtem aggreditur, atque ex munimentis ſuis propellit. Qua in re ut auxilium Cl. Vignolio tuliſſe poſſit videri, ita tantum tamen abeſt, ut ejus in caſtra cœco tranſeat impetu, contra eundem ut arma ſtringat, quod Pagii & ipſe ſententiam oppugnavit. Sed cui deſtinata maxime eſt hæc ſcriptio, certamen cum Valſechio ante omnia propius conſiderabimus. Hujus opinionem telis, quæ ipſe ſuggeſſit in diſſertatione ſua, convellit doctiſſimus Præſul. Numos Elagabali attulit Valſechius, in quibus exprimuntur congiaria ab eodem Imperatore diſtributa cum inſcriptione TR. P. II. COS. II. Congiaria illa Elagabalus poſt menſem Aprilem A.U. DCCQC LXXII, quo ipſo fatente Valſechio Romam advenit, quanquam adventum eundem in Julium Noſter rejicit, diſtribuerit, neceſſe eſt. Quo tempore cum tribunitia poteſtas II illi tribuatur, non poteſt fieri, ut annos imperii a morte Caracallæ, quod eſt, ab anno DCCCC LXX numeraverit. Urget ulterius eruditiſſimus Præſul, Valſechii ſententiam vel ideo minus ſe tueri poſſe, quod, cum tot Elagabali numi ad nos pervenerint, nullus inventus adhuc dum eſt, qui tribunitiam poteſtatem III cum conſulatu II, quartam cum tertio & quintam cum eodem conjungat, cujusmodi ſecundum Valſechium cuſos omnino eſſe oportet.

His præmiſſis ad argumenta Valſechii eadem ferme ratione, qua Vignolius, reſpondet. Neque tamen operam luſerit, qui utriusque reſponſiones conferat, utpote mutuo ſe ſubinde illuſtrantes. Sic ut vel uno id probemus exemplo, quando ex rapto imperio Macrini argumentatur Valſechius, Elagabalum imperii tempus, quod ille exegit, ſibi vindicaſſe, Vignolus multis diſputat, cuinam Macrinus rapuerit imperium, Caracallæne an Elagabalo? ac poſt multas ambages ἀνακολαθίαν argumenti demonſtrat. Ea vero unice, & noſtro quidem judicio rectius doctiſſimi Præſulis induſtriam occupat, qui totus eſt in exemplis congerendis raptorum imperii, quorum ſucceſſores annos quos in rapto etiam imperio exegere, neutiquam ſibi vindicarunt. Neque vero eorum, quæ objecit Valſechius, unum ſemper idemque cum Vignolio ſolvit,

vit, sed & alia, ad quæ ille suæ non adversa multum sententiæ non respondit. Cujusmodi est, quod ut explicare ante Valsechium nemo satis potuit conjugis Elagabali, quique iis celebrandis cusi sunt, numos, ita conjectura de annis imperii a morte Caracallæ numerandis optime, vel ipso fatente Autore nostro, omnibus difficultatibus satisfacit. Veruntamen cum ex commodis, quæ opinionem aliquam sequuntur, veritatem ejus, si aliunde probari illa nequeat, haud liceat evincere, nihilo & inde, quæ Valsechius in medium attulit, veriora merito existimat. Maxime cum non alia desit ratio numos illos explicandi, quam ex consuetudine Ægyptiorum annos Imperatorum numerandi (Ægyptii enim sunt nummi, qui negotium facessunt Viris doctis) depromit pluribusque confirmat. Mensem enim Thot Ægyptii, a quo annum sunt orditi, die XXIX Augusti post pugnam Actiacam, cum antea anni initium a nullo certo die duceretur, inchoarunt, ante quem diem numerasse eos annum, vel mediocre temporis spatium, quod Imperatores Romani regnando exegerunt, demonstrat. Unde hoc Diagramma annorum Imperii Elagabali apud Ægyptios constituit:

Annus I	definit XXVIII Augusti	Anno Christi	CCXVIII.
II incipit	XXIX Augusti A.	C.	CCXVIII.
III incipit	XXIX Augusti A.	C.	CCXIX.
IV incipit	XXIX Augusti A.	C.	CCXX.
V incipit	XXIX Augusti A.	C.	CCXXI.
Elagabalus moritur	mense Martio A.	C.	CCXXII.

Cum quo quidem calculo conjugia Elagabali, prout in numis designantur, facile componit doctissimus Præsul. Ceterum consentit cum Vignolio de corrupto Herodiano, qui sexennium imperio Elagabali tribuit. Sed scriptum pro τέταρτον, ἕκτον opinatur. Id vero inde confirmat, quod nemo Scriptorem illustrem sequitur totidem annos imperio Elagabali assignando, quodque Græci Scriptores plurimi quadriennio acquiescant.

Hæc ad impugnandam spectant sententiam Valsechii: sed & suam contra ejusdem objectiones Noster propugnat. Nempe, Dionem annos tres, menses novem, dies quatuor Elagabalo imperante annumerantem verissima tradere in dissertat. epist. de numo Anniæ Faustinæ, de qua jam diximus, affirmarat, ratione

adducta, quod imperium Elagabali certis utrinque finibus conclusum in longius temporis ſpatium extendi nequeat. Neque enim pugnam Macrini, a qua numerandi initium facit Dio ante Julium a. v. 971 Chr. 218, nec mortem Elagabali & exordium imperii Alexandri poſt Idus April. A. U. 975 Ch. 222 collocari poſſe. Prius ex Lampridio, Dione & numis Ægæenſium probat, poſterius ex marmore S. Hippolyti, quod non modo corruptum non putat, ſed & præferendum eſſe alii, quod Panvinius lib. II Faſtorum & ex eo Gruterus Inſcript. p. 85 adducit, quod cum adverſa marmori S. Hippolyti complectatur, ſuſpectum multis modis reddit. Inde adeo diem X vel XI Martii anni 975 putat & mortem Elagabalo & imperium Severo Alexandro attuliſſe. Qua ratione cum Elagabalus nondum quadriennium attigerit, diſpiciendum, quo pacto numi cum Tribunitia poteſtate V ſint explicandi; nam numos uxorum, in quibus imperii anni nimis extenduntur, Ægyptio computandos more eſſe, jam ſupra vidimus. Explicaturus illos Pagius non unam viam iniit, interque cetera exiſtimavit, Elagabalum primum imperii annum primamque tribunitiam poteſtatem a Kal. Jan. A. U. 219 inchoaſſe, quod collegerat ex numis, in quibus proceſſum conſularem initio anni obitum exprimi ſibi perſuaſerat. Hanc rationem annos Elagabali imperantis numerandi & doctiſſ. Præſul ſecutus eſt, ea potiſſimum de cauſa, quod Elagabalus Macrini nomen e faſtis A. C. 218 eradi juſſit, tanquam ſi a Kal. Jan. ejusdem anni ipſemet conſulatum geſſiſſet, unde concluſerat, voluiſſe eundem Tribunitiam poteſtatem & imperii annos ab iisdem Kalendis veluti per anticipationem numerare. Hic Valſechius ex numis Pagii, quos teſtes ſententiæ citat, probari eam haud poſſe, contenderat, monueratque ad conſulares proceſſus eos pertinere poſſe, alio prorſus tempore, quam initio anni inſtitutos. Id largitur Autor noſter, ſed nec idoneam eſſe cenſet rationem, cur numos illos ad proceſſus Kal. Jan. inſtitutos ſpectare ſit negandum, quum eorum longe major quam ceterorum fuerit celebritas. Quin & fortius urget Valſechium eo numo, qui verba P. M. TR. P. V. COS. III præfert, qui ſi vel maxime proceſſum conſularem Kal. Jan. celebratum non deſignet, ſententia tamen ipſius Valſechii, Elagabalum Martio menſe extinctum eſſe ſtatuentis, Pagii

gii a Kal. Jan. ductum imperium confirmat, cum toto illo tempore, ab Kal. Jan. ad tempus mortis nulla ſibi ratione tribunitiam poteſtatem V tribuere potuerit Elagabalus, niſi imperii eum annos longius, quam geſſit imperium, duxiſſe ſtatuamus. At protrahi eo usque haud poſſunt, quo Valſechius exiſtimavit, ergo tantum ad anni 218 Kal. Jan. ſunt protrahendi.

Hæc dum ſcriberet Noſter, delata in manus ejus eſt diſſertatio Cl. Vignolii, quæ cum & ipſa ſententiam Pagii conetur labefactare, eidem ſatisfacere allaborat. Profert illa mortem Elagabali ad initium Julii A. C. 212 atque inde numos Trib. poteſt. V explicat, rejecto marmore S. Hippolyti, quod ante XIII April. Elagabalum e vivis exceſſiſſe docet, quemadmodum ſupra docuimus. Quo marmore cum tanquam fulcro nitatur ſententia Pagii, id quidem vindicare ab ſuſpicionibus Vignolii, quemadmodum & Dionis lectionem ſervare, ſuum eſſe credidit. Ceterum ſe alienum adeo a ſententia Vignolii haud eſſe, ingenue fatetur.

Sed hinc ad Valſechium Noſter redit, contra quem anticipationes imperii, quas exempli cauſa adduxerat in epiſtola, cujus ſæpe mentionem fecimus, propugnat. De Juſtini imprimis junioris ratione annos numerandi magno eruditionis apparatu cauſam agit ſuam, ut demonſtret, medio eum Novembri anni DCXV accepiſſe imperium, ſed ejus annos a Kal. Jan. ſequentis anni numeraſſe, quam ejus ſententiam minus intellectam Valſechius variorum inſimularat errorum, cujus accuſationem proinde doctiſſimus Præſul incredibili humanitate depellit.

Notatu heic dignum eſt ſpecimen, quod ære expreſſum ex eo ſiſtimus, inſtrumenti venditionis fundorum & ædificii in agro Arimenſi, ſcripti Ravennæ, Imperatore Juſtino juniore A. C. 572, cujus avtographum in papyro ſeu cortice Ægyptiaco apud Juſtum Fontaninum V. Cl. eſt, quodque præ omnibus, quæ hodie extant, æſtimandum Noſter cenſet, velut integerrimum a capite ad calcem; quamvis papyrum nonnihil ſemeſam fateatur. Papyri ejus longitudinem æquare palmos Rommanos architectonicos XII, latitudinem autem ſesquipalmam non excedere obſervat. Character eſt plane Gothicus, qualis Ravennæ obtinebat, quo tempore Longobardi in Italiam irrupetunt. Similis eſt in *charta plenariæ ſecuritatis*, TAB. III. Fig. 3.

quam

quam Mabillonius in Supplemento diplomatico exhibuit p. 73. Ceterum cum ex ſcripto Valſechii nihil attulerimus, quod ad Præſulis noſtri ſententiam convellendam ſpectet, neque nunc in defenſione ejus percenſenda multum immorabimur, ſive iſta, ſive alia, quam ſubjecit, de numo Anniæ Fauſtinæ, cujus epocham corruptam agnoſcit, ſed Principum uxores etiam poſt repudium ac mortem dictas Auguſtas fuiſſe erudite, ut cetera, tuetur. His omnibus ſententiam novam attexuit de annis imperii Elagabali, qua exiſtimat Elagabalum die XVI Martii (non Maji ut vulgati Dionis & Xiphilini codices habent) A. U. 318 ſalutatum ab militibus Imperatorem fuiſſe, indeque eum deduxiſſe imperii annos, quorum quintus cum immineret, numos ſextiduo ante natalem imperii, ut eo diſtribuerentur, eſſe percuſſos. Id quod inde reddit veroſimile, quod cum in numis Elagabali annorum antecedentium cujusvis generis figuras & ſymbola obſervare liceat, numi quinti anni in parte averſa ſemper vel proceſſum conſularem vel ſacrificium præferunt. Sed præter opinionem Heliogabalum initio anni quinti haud ſuperfuiſſe arbitratur. Ceterum obſervavimus, doctiſſimum Præſulem jam ante, quam monimenta veteris Antii ederet, de Patriarchatu Aquileienſi opus contra Baronium aliosque, qui ſchiſmaticæ ei originis maculam inuſſerunt, agitaſſe, ſed illud non unis impedimentis, ut loquitur ipſe, præpeditum conquieſcere juſſum eſt.

REMARKS UPON A LATE DISCOURSE of Free-Thinking.

i. e.

ANIMADVERSIONES IN NUPERUM DISCURSUM de Cogitandi libertate, in Epiſtola ad F. H. D. D. Autore PHILELEUTHERO LIPSIENSI.

Londini, apud Joh. Morphew & E. Curll, 1713, 8. Plag. dimidiat. II.

CONtra Diſcurſum de *Cogitandi Libertate*, (*Freethinking*) quem Menſe Majo recenſuimus, Tolando vulgo tributum, eodem anno, quo prodiit, viginti ſcripta peculiaria & amplius lucem conſpe-

conſpexerunt; ut ſermones ſacros, qui pariter hinc inde illum ad examen revocarunt, jam taceamus. Inter illa vero & ob ſolidam & multifariam eruditionem, & ob ſales jucunde interſperſos, eminent Animadverſiones, quas jam præ manibus habemus, quasque Angliæ ſuæ decus, Richardus Bentlejus ſub nomine rurſus Philelcutheri Lipſienſis publicavit. Epiſtolam illis præmiſit nomini ipſius ficto convenientem, in qua inter alia obſervat, quod totus Diſcurſus ille rhapſodia ſit locorum ex antiquis & novis ſcriptoribus, ad omnem religionem perſtringendam, a multis collectorum; atque inde etiam in fragmentis, ut antehac in Menandro, operam ſuam ſe collocare debere, declarat. Nos præcipua inde jam enarrabimus. Circa definitionem Libertatis cogitandi Cl. Autor obſervat, nihil in illa contineri de libertate, & hoc ſaltem ineludere, *cogita & judica prout invenias*; quod & omnes mente capti faciant. pag. 10.

Characterem vero *Libere-Cogitantium* Sectæ non in definitione *cogitantium* reperiri, ſed in vero ſenſu adverbii *libere*; quod re ipſa eandem apud ipſos notionem habeat, quam *audacter, inſolenter, arroganter, fidenter*, inſimulque propenſionem ad paradoxa & perverſa complectatur. 11.

Nihil planius eſſe per totum librum, quam quod Autor ejus ſingularitatem, chimæras, & contradictiones, differentiam ſpecificam, & partem eſſentialem in compoſitione *Libere-Cogitantis* fecerit. 12.

Si Origenes, Eraſmus, Grotius &c. aliquid contra receptam doctrinam protulerint, ſtatim illos eſſe *Libere-Cogitantes*, in reliquis vero ſcriptis, in quibus cum communi ſententia conveniant, proſcribi illos tanquam non cogitantes, (*Unthinkers*) ex parte cogitantes, (*Halfthinkers*) & *Libere-Cogitantium* inimicos. 15.

De argumentis, quibus Anonymus probaverat, uniuscujusque eſſe libere cogitare, juxta definitionem ejus judicat Cl. Bentlejus, quod plane ſupervacanea ſint; cum nulla Religio, nulla Secta illud neget. Ignorantiam vero ejus & contradictiones paſſim in illis occurrentes oſtendit. 18.

E. c. quando p. 9 ſcripſerat, Homerum Poema ſuum æternitati deſignaſſe, opponit, Homerum ſcripſiſſe particulatim cantilenas & rhapſodias ſibimet invicem reſpondentes, ut illas diebus feſtis, aliisque ſolemnibus ad ſublevandam inopiam cantitaret: Iliadem pro viris, & Odyſſeam pro fœminis eſſe compoſitam. Illasque cantilenas poſt quingentos demum annos tempore Piſiſtrati in formam Epici poematis col-

lectas esse. Neque ullo verbo in Homero peccat, quod immortalitatem operi suo præsagiat aut promittat, id quod postea Virgilius, Horatius, Ovidius, Lucanus, & Statius fecerint. Quando p. 13 asserverat, Paganos credidisse, Deum similem esse bovi, vel feli, vel plantæ, ad Ægyptios ipsum respexisse, & Deum eadem notione, iisdemque attributis, quibus Christianis hodie concipitur, hic concepisse putat Cl. Bentlejus; atque sic inde sequi, Ægyptios lege prohibuisse, immortalem aut omnipotentem felem occidere, &, cum immortalitas ejus & Deitas mortua fuerit, divino illam honore coluisse. Hoc tamen tam absurdum esse, ut non dubitandum sit, quin vel ineptissimos Paganos in Ægypto ejus rei puduerit. Hoc saltem Ægyptios, ex agricultura potissimum viventes, lege declarasse, ut omnes belluæ, ex quibus utilitatem in illa caperent, pro sanctis, sacris & inviolabilibus haberentur; ita ut saltem civilis & politicus cultus fuerit in Legislatoribus, & in ipso vulgo parum sacri habuerit. Patres, quos Anonymus p. 13 dixerat pariter Deum materialem credidisse, defendit Cl. Bentlejus, asserens, quod attributa divina, infinitam potentiam, sapientiam, justitiam, & bonitatem in eadem nobiscum amplitudine crediderint; sed essentiam ejus non magis, ac nos, expiscari potuerint. Vidisse illos, Scripturam Deum appellare *Spiritum*, & mentem humanam *Animam*: utrumque in sensu primitivo denotare materiam aeream: & omnia vocabula, quæ lingua Hebræa, Græca vel Latina olim suppeditare potuerit, vel nunc etiam quæcunque lingua suppeditare possit, ad substantiam Dei vel animæ significandam, vel metaphorica esse, vel mere negativa. Non ergo mirum esse, quod primis temporibus Patres quidam substantiam divinam materiam vel corpus esse crediderint; præsertim cum vera corporis notio non definita & fixa fuerit, & tam late patuerit, quam ens. Sic Stoicos defendisse, Qualitates & Passiones, Virtutes & Vitia, Artes & Scientias, imo & Syllogismos & Solœcismos esse corpora. Anonymus porro p. 29 Libertati cogitandi tribuerat, quod Diaboli regnum in obsessionibus & veneficiis visibiliter in Anglia destructum sit. Reponit Cl. Bentlejus, quod, licet quis e Clero Anglicano neque velit, neque possit in genere affirmare, quod nunc vera exempla sagarum & veneficorum non dentur, tamen pauciora ab illis narrentur, quam alias tam a plebe quam nobilibus. Ante Reformationem

p. 21, 22.

p. 33.

mationem homines non ob Papatum, ſed ob ignorantiam, extraordinaria ſymptomata Diabolo adſcripſiſſe. Hanc ſuperſtitionem tum temporis univerſalem fuiſſe, neque Sacerdotum arte inſtillatam, ſed humanæ naturæ velut ingenitam. Non ergo Sectam *Libere-Cogitantium* vel Atheorum, ſed Medicinæ & Philoſophiæ progreſſum Sagarum fabulas in Anglia diminuiſſe. Circa Sectionem II, qua Anonymus argumenta produxerat ad probandum of- p. 34.
ficium & neceſſitatem libere de quæſtionibus Religionis cogitandi, in genere animadvertit Cl. Bentlejus, quod ſi libertas cogitandi eo ſenſu accipiatur, quo ipſe accipiat, adſcribens illam Chillingwortho, Tayloro & Tillotſono, omnia illa concedi poſſint; ſed ſi accipiatur ſenſu illo interiori, quo membra ſocietatis ipſius accipiant, tanquam verbum ad ſignificandum hodie Atheiſmum idoneum, (*as a modish and decent word for Atheiſm*) tum omnia argumenta meras impoſturas, & conſequentias inde deductas levis momenti eſſe, & eruditionem exiguam Autoris prodere. Et hoc etiam Noſter peculiariter oſtendit. Sic loca Ciceronis, 35. ſqq.
Horatii, atque Virgilii contra ſuperſtitionem prolata a ψευδεπιγνώμοσι Anonymi erudite vindicat, verumque illorum ſenſum ſup- 40. ſqq.
peditat. E. c. in illo Virgilii:

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Atque metus omnes, & incxorabile fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumque Acherontis avari,

oſtendit, deſcribi Epicuræum, & tribus lineis præcipuas opiniones Epicuræorum præclare comprehenſas eſſe, nempe, quod non ſit divina providentia, neque fatum, neque divinatio, neque animæ immortalitas. Dixerat Anonymus p. 46, omnes ſacerdotes, tempore Chriſti, ipſi & Evangelio ipſius adverſos fuiſſe, & Chriſtum, privilegia infallibilitatis non niſi Apoſtolis ſuis dantem, non potuiſſe certum eſſe, impoſterum Sacerdotes aliquos aliter ſe habituros eſſe. Sed certum ea de re fuiſſe Chriſtum Noſter probat ex 50.
Matth. XVI, 18. Deinde oſtendit, aſſertionem ejus plane abſurdam eſſe; ita enim illum ratiocinari: Quoniam Judæorum & Gentilium Sacerdotes Chriſto & Evangelio ipſius adverſi fuerunt; ergo certus ille eſſe non potuit, quod aliqui propriorum ipſius Sacerdotum aliter ſe habituri ſint. Hunc Syllogiſmum eundem eſſe

cum illo: Quoniam omnes Sectæ Zenoni oppositi erant, cum primum Sectæ Stoicæ Autor esset; ergo certus esse non poterat, quod
p. 53. Stoici sectatores ipsius aliter se habituri sint. De Pentateucho Samaritano, quem Anonymus p. 53 plane differre retulerat ab illo, quo nos utimur, e variantibus Lectionibus a Marino & Waltono publicatis observat Cl. Bentlejus, quod non magis ab hoc discrepet quam Terentius, Tullius, Ovidius a semetipsis in variis MStis.
54. Cumque Anonymus videatur Chronicon Samaritanorum Libris Historicis V. T. anteponere, Noster relationem de illo e Cl. Relandi Dissertatione de Samaritanis, illud longe recentioris ætatis
59. inter alia declarantem, subjungit. Canonem Scripturæ incertum reddi a Clero, Anonymus p. 85 judicaverat exinde, quod Grabius, Millius, alii illum non ante sexagesimum annum post mortem Christi factum esse docuerant; sed reponit Noster, per Canonem nihil aliud intelligi, quam plenam Collectionem Scriptorum Sacrorum, ut sint Regula, Signum & Systema Christianorum. Jam vero secundum Doctores illos & manifestam facti historiam omnes N. T. libros non absolutos esse ante annum Christi XCVII, h. e. sexagesimum annum post mortem Christi. Libros ergo ante non colligi potuisse, quam fuerint scripti. Omnes libros in Canonem receptos data occasione scriptos esse. intra annum LII &
60. XCVII. Et durante hoc intervallo unumquemque librum in locis, ad quæ missus, vel in quibus notus fuerit, æque sacrum & Canonicum immediate fuisse, ac postea. Neque Ecclesiam cunctatam esse Canonem, vel Collectionem illorum facere; cum duobus annis post scriptum Johannis Evangelium Canon Evangelicus, & decem abhinc annis Epistolicus fixus fuerit. Ad illustrandam vero imbecillitatem argumenti Anonymi, Cl. Bentlejus dicit, varios Martialis & Horatii libros secundum illius ratiocinationem incertos esse, cum collectio illorum post viginti demum, quam
62. scripti dicantur, annos & supra facta fuerit. Millium pronunciaverat Anonymus p. 88 variantes Lectiones plusquam triginta mille collegisse, ut textum Scripturæ redderet precarium. Cui æque ac Whitbyo idem ante illum adserenti & addenti, quod Millius Reformationem Pontificiis, & Religionem Atheis exposuerit, respondet Cl. Bentlejus, Millium non composuisse lectio-

nes

nes illas, ſed e variis exemplaribus exhibuiſſe. Nunquam rem facti clare expoſitam veram Religionem ſubvertere poſſe. Si ex unico tantum MSto N. Teſt. publicatum eſſet, multa errata & omiſſiones irreparabiles nos habituros eſſe. Singulari Dei providentiæ & beneficio tribuendum eſſe, quod tot MSta N. T. adhuc inter nos reperiantur, ex Ægypto, Aſia, & Eccleſiis Occidentalibus ad nos allata; cum tam diſtantia locorum, quam librorum numerus demonſtret, quod neque fraus, neque mutatio vel interpolatio unius exemplaris per aliud, neque omnium per unum illorum fieri potuerit. In profanis Autoribus, quorum unicum ſaltem MStum conſervatum ſit, ut Vellejo Paterculo & Heſychio, tantum mendorum numerum occurrere, ut acutiſſimi & doctiſſimi Critici, qui inde a duobus ſeculis tollere illa aggreſſi ſint, ampliſſimam adhuc meſſem aliis reliquerint. Terentium omnium Autorum Claſſicorum optime ſe jam habere: vetuſtiſſimum exemplar ejus aſſervari in Vaticana ad Poetæ propriam manum proxime accedens; & tamen aliquot errorum centurias in illo occurrere, qui aliorum exemplarium ope tollendi. Se varia illorum contuliſſe, & in Autore illo, libro N. T. longe minori, variantium Lectionum viginti millia inveniſſe, & certum eſſe, ſi numerus MStorum Terentii dimidia parte minor numero MStorum N. T. conferatur ſecundum omnes minutias, quæ in N. T. notatæ ſint, in illis plures quam quinquaginta mille variantes Lectiones repertum iri. In MStis N. T. non ſolum omnes minutiſſimas variationes obſervatas eſſe, ſed etiam textum Græcum cum omnibus antiquis verſionibus, imo & citationibus Græcorum & Latinorum Patrum per quinque ſecula viventium collatum eſſe. Non ergo mirum eſſe, quod variantes Lectiones numerum triginta millium ſuperent. Si Millius viveret, ipſum Whitbyo confeſſurum, quod textus N. T. a Rob. Stephano e MStis editus, quique a Whitbyo pro Sacro & Originali quoad ſingula verba & ſyllabas acceptus videatur, interdum variantibus Lectionibus incertus, imo manifeſte falſus redditus ſit; ſed tum ſimul additurum eſſe, quod verus textus Sacrorum Scriptorum, deperditis Originalibus, jam non in unoquoque MSto vel editione inveniatur, ſed in omnibus diſperſus ſit. Valde probabile eſſe, quod, ſi Stephanus uti potuiſſet

p. 62.
63.
64.
67.
68.
69.

MSto Alexandrino, pro Εὐρακλύδων Act. XXVII, 14 posuisset Εὐρακύλων. Venti enim Εὐρακλύδων dicti nusquam alibi mentionem fieri: vocem compositam esse ab εὖρος *ventus* & κλύδων *fluctus*, atque adeo a priori probabile esse ex disparitate duarum idearum, quod in compositione jungi non potuerint: neque similis compositionis exemplum dari. Sed Εὐρακύλων cum contextu & omnibus loci circumstantiis optime convenire. Equidem secundum
p. 70. Vitruvium, Senecam & Plinium, qui Eurum ab Oriente brumali, & Aquilonem inter exortum solstitialem & septentrionem flare referant, ventum *Euroaquilo* dictum, esse non posse; sed Eurum heic accipi debere, ut Gellius II, 22, & Poetæ Latini acceperint, pro vento, qui ab oriente verno, id est, æquinoctiali veniat, & pro eodem cum Salano: & sic in Tabula duodecim ventorum secundum antiquos, inter cardinales Septentrionem & Eurum duos speciales esse ventos *Aquilo* & Καικίας dictos. Ultimum, teste Seneca Nat. Quæst. V, 16, apud Latinos sine nomine fuisse. Nautas tamen Romanos illum, cum inter Aquilonem & Eurum fuerit, nomine composito *Euroaquilo* exprimere potuisse, eadem analogia, qua Græci ventum inter Eurum & Notum medium Εὐρονότον vocaverint, & qua Angli hodie dicant *South-East*, *North-East*. Atque inde rationem patere, cur Lucas illum ἄνεμον τυφωνικὸν, *ventum tempestuosum, vorticosum* appellaverit. Hunc enim Cæciæ characterem esse in climatibus illis, ut appareat ex versu illo Proverbiali:

Ἕλκων ἐφ' ἑαυτὸν ὁ Καικίας νέφη.

72. Addit doctissimus Bentlejus, textum N. T. & in aliis pulchrum magis, aptum & exactum futurum esse, si MSta ejus adhuc residua pariter collata fuerint: & Religionem inde nihil detrimenti capturam, imo variationes forsitan plane synonimas futuras esse vulgaribus Lectionibus, & in modernis Versionibus vix animadversum iri. Sic neminem ægre laturum esse, si aliquis in MSto pro προσέχεται 1 Tim. VI, 3 inveniret προσέχεταϊ vel προσίχεται, vel, quod magis sperandum sit, προσέχει; cum προσέχειν
73. λόγοις *attendere, observare, obedire* occurrat 2 Petr. I, 19, Prov. I, 24, Jer. VI, 19, & alibi apud LXX, προσέχειν ῥήσει, ῥήμασι, νόμῳ, ἐντολαῖς, & προσέχειν τοῖς λεγομένοις Act. VIII, 6, τοῖς λαλη-

μένοις

μένοις, XVI, 14, τοῖς ἀκεδεῖσι, Hebr. I, 1, μύθοις Tit. I, 14: imo etiam pariter cum ἑτεροδιδασκαλεῖν junctum sit 1 Tim. I, 4. Quamvis enim sensus vocis προσέρχεται loco citato verbis adjacentibus ita fixus sit, ut nulla versio circa illum erraverit; tamen proprietatem ejus non apparere in Originali, neque simile phraseos exemplum dari. Similiter forte aliquem in MSto pro ἀσεβεῶν Ep. Jud. v. 18 lecturum esse ΑΣΕΛΓΕΙΩΝ, cum hæc vox pariter 1 Petr. IV, 3 & 2 Petr. II, 18 cum ἐπιθυμίαις conjungatur: & p. 74.
in ἐκ ἀντιτάσεΐας Jac. V, 6 pro ΟΥΚ, ΟΚΣ, quod in antiquis Codicibus semper pro ὁ Κύριος inveniatur. Sic enim Jacobum & antea locutum esse IV, 6, & Petrum 1 Ep. V, 5, ex Prov. III, 34: imo sic connexionem cum versu sequenti bene se habere. Circa locum Victoris, de quo Anonymus p. 89, varia animadvertit acutissimus Bentlejus. Ut illa, quæ falsum Anonymi de illo judicium, falsamque ejusdem versionem concernunt, & quæ de ipso, quod a Victore refertur, facto observationibus a Millio in Proleg. p. 98 datis, ab Anonymo tamen suppressis, adduntur, ad proban- 80. sq.
dum, generalem Evangeliorum mutationem fieri non potuisse, jam taceamus, hæc præterire non possumus, quod Anonymus ver- 82.
bum præcipuum in Victore omiserit. Hunc enim dicere *Constantinopoli* Evangelia emendata esse. Non ergo generalem emendationem esse. Deinde Noster se non credere profitetur de Imperatore Anastasio impium illud & stolidum factum. Illum, quod hæreticis adhæserit, & male Remp. administraverit, omnes odio prosecutos, & sic istud, quod ulterius illum invisum reddere potuerit, cum gaudio amplexos esse. Falsæ, quam Victor retulerit, historiæ originem & occasionem peti posse e Liberati Diaconi Victoris συγχρόνε Breviar. Cap. XIX, ubi Macedonius CPolitanus Episcopus ab Imp. Anastasio expulsus dicatur, tanquam Evangelia falsasset, & maxime in Apostoli loco 1 Tim. III, 16, in ΟΣ QUI, Ο in Θ verterit, & fecerit ΘΣ. (Sic enim tam ratione, 83
quam ex Hincmari Opusc. cap. XVIII Noster restituit Victorem.) Inde colligi posse, Anastasium imperasse, ut veræ lectiones restituerentur, omniaque CPoleos exemplaria conquisita & emendata esse, tanquam ab idiotis librariis conscripta. Hanc historiam 84
narrando additiones accepisse, maxime, cum in Africam pervenesit,

rit, & propoſitum adfuerit criminandi Anaſtaſium; nempe juſſiſſe illum, ut Originalia emendarentur tanquam ab idiotis Evangeliſtis compoſita. Neque rei probabilitatem imminui, quod Victor de Evangeliis tantum loquatur. Nam ita etiam Liberatum & Hincmarum referre, quod Macedonius Evangelia falſaverit, cum in ſpecie Epiſtolæ ad Timotheum mentionem faciant. Imo augeri adhuc illam, quod nemo Autorum illorum utrumque de Anaſtaſio referat. Hic vero Cl. Bentlejus filum eruditiſſimarum Animadverſionem contra *Libere-Cogitantem* Anonymum abrumpit, ſpem faciens, fore, ut & in reliquam Diſcurſus ejus partem aliquas edat. Quam etiam, ut ad nos perlatum eſt, quoad ſecundam partem jam implevit, tertiam adhuc additurus. Si illæ ad manus noſtras pervenerint, pariter excerpta inde eum L. B. communicabimus. Nos interim accuratius hæc quam comptius referre maluimus, ne in exprimenda Autoris mente falleremus.

JOANNIS VAN DE WATER, JCTI, OBSERvationum Juris Romani Libri tres: in quibus multa Juris civilis capita emendantur & explicantur ac nonnulla aliorum Autorum loca illuſtrantur.

Trajecti Batavorum, apud Guilielmum van de Water, 1713. 4. Alph. 2 plag. 5.

MIttit iterum feraciſſimum bonæ mentis ſtudiorum Belgium, non ebur, ſed quæ ad culturam Juris Romani potiſſimum pertineant. Et commode nunc accidit partes hasce imponi Clariſſimo Viro, in foro Batavo verſanti & clientum cauſas agenti. Videns enim in Ded. ad Sen. Ultraj. in prima ſtatim ætate, adfallacia parumque non raro ſubacta Interpretum recentiorum reſponſa perperam convolari, & judici ſub pallio communis opinionis obſtrepi, atque inani JCti aut Advocati titulo ſuperbire illos, qui ineptam minimeque neceſſariam eſſe ſolidam Romanarum legum cognitionem in jure dicundo arbitrentur, rationes illarum ab origine cauſisque primis repetere, diſcernere atque expendere, generoſo conſilio maluit. Tunc enim conſulentibus reſponſa magis matura ac firma poſſe ſuppeditari, & eadem opera nobis innoteſcere, quam fœde atque indigne Veterum Prudentum ſcripta a librariis olim ſint habita, & quam multa non ut oportuit, perce-

percepta fuerint atque expoſita, rectiſſime arbitratur. Recitabimus autem priora quædam capita. Diſſidium Scævolæ in L. 3 pr. & L. 14 D. de Tranſact. ut componat, ſuſpicatur, lectionem Florentinam in L. 14 mendo inſigni atque inveterato, quod forſitan paulo poſt Juſtiniani tempora irrepſerit, ideoque in Baſilicis etiam ſit repetitum, commaculatam. Sic ergo collocat verborum ordinem: *Si iidem creditores eſſent, qui tranſactionem, feciſſent* propter incertum ſucceſſionis, *pro parte hereditatis, quam uterque in tranſactione expreſſerit, utilibus actionibus conveniendus eſt.* Ad hunc enim ſcopulum impegiſſe omnes interpretes, quod verba iſta retulerint ad poſtremam partem textus, quæ tamen ad priorem pertinere autumat. Deinde obſervat, Scævolam in L. 3. pr. afferre Reſcriptum Imperatorum *de jure ceterorum*, qui non ſimul transegerint. Notaſſe hic autem aliquem in margine L. 14 ad verba illa: *Si iidem creditores eſſent*, & admonuiſſe lectorem, *ſecus eſſe, ſi alii eſſent creditores*, de quo caſu loquatur Scævola in L. 3, Gloſſema hoc ipſum poſtea textum L. 14 invaſiſſe, neque eſſe Scævolæ, ſed indocti hominis fœtum, qui per ſeculorum intervallum pro legitimo fuerit agnitus, ac nunc demum ſit reſecandus. Quod ſi quis retinere cupiat lectionem Florentinam, ulterius conjicit, Tribonianum mutatis Scævolæ verbis alia ſuppoſuiſſe, atque juri recepto, (de quo in L. 3) æquitatis colore, intuendo in L. ult. §. 1. C. de petit. hered. derogaſſe, ne heres legitimus ab interpellatione creditorum liberetur, qui tamen æqualem cum ſcripto portionem abſtulerat. Non reperiri etiam in Reſponſis Scævolæ, *utilibus actionibus conveniendus eſt*, ſed ſæpius, *utilem actionem habet.* Sapere id ergo immunditiem ſeculi Tribonianei. Et hoc κριτήριον fuiſſe expoſitum a Noſtro pluribus in Diſſ. Inaugur. c. 2. Similiter audacia deſcriptorum ipſum etiam Prætoris album fuiſſe corruptum in L. 1 §. 1 D. depoſ. *Quod neque tumultus neque incendii neque ruinæ neque naufragii cauſa depoſitum ſit, in ſimplum; earum autem* rerum, *quæ ſupra comprehenſæ ſunt, in ipſum in duplum, judicium dabo.* Mendoſe ait ſcriptum, *rerum*, & ſcribendum, *cauſarum.* Prætorem enim ſolummodo diſtinguere tempus actionis depoſiti, quæ nunc in ſimplum, nunc in duplum detur: res autem non enumerare. Juvare ipſius emendationem Cap. I. II.

Græcos, ἐκ δὲ τῶν αἰτιῶν. Scholion, εἰ δὲ μία τῶν προειρημένων αἰτιῶν συνέβη, si vero una dictarum causarum extiterit, non
Cap. III. πραγμάτων. Nunc injuriam illatam Ulpiano, interpretanti istud Edictum Prætoris, in L. 1 §. 4 Depos. *cum vero extante necessitate deponat, crescit perfidiæ crimen, & publica utilitas coercenda est, vindicandæ reipublicæ causa, est enim inutile, in causis hujusmodi fidem frangere.* Certissimum signum corrupti textus esse multiplicem lectionum varietatem. Atque has inter laudatur conjectura Francisci Ramos del Mançano, Anteccessoris apud Salmanticenses, allata a Ferdinando Aria de Mesa, itidem Hispano, *Lib. 2. Variar. Resolut. c. 34 n. 5.* Is enim mallebat, *publica vilitas:* quomodo apud Plinium *lib. 9 ep. 6,* Salvianum *lib. 4 de Gubernat. Dei,* Apulejum *Florid.* Scio, inquit Noster, vilitatem pretii tribui ibi moribus, matrimonio, honoribus. Sed multum differre ista a coercendo crimine perfidiæ. Inspicienda autem sunt simul hic verba Salviani, *quidam matrimonia honorata sortiti, alias sibi rursum servilis status Conjuges sumunt, deformantes* sancti connubii honorem *per degeneris* contubernii *vilitatem.* Et paulo ante: *Hoc concubinarum quasi genus est castitatis, uxoribus paucis esse contentum, nam ancillas suas multi uxores putant. Atque utinam sicut putantur esse Quasiconjuges, ita solæ haberentur uxores.* Ubi Cunradus Rittershusius in Commentar. *Nota, concubinas dici a Salviano quasi conjuges. Sic etiam concubinatus recte* quasi matrimonium *appellabitur* &c. Legit ergo Noster, *crescit perfidiæ crimen, ob publicam utilitatem coercendum & vindicandum reipublicæ causa.* Retinentur hic eædem voces; quarum extremæ partes forte per abbreviationem & compendium fuerint exaratæ, & facili lapsu ignari amanuensis perperam deinceps descriptæ sint. Accedere Scholion Græcum, καὶ διὰ τὸ δημόσιον χρήσιμον χρὴ τιμωρεῖσθαι τὸν ἄπιστον, & *propter* (ob) *publicam utilitatem oportet perfidum coerceri,* καὶ ἐπὶ συμφέροντι τῆς πολιτείας ἐκδικεῖσθαι πάντα, & *ea vindicari, quia reipublicæ interest,* h. e. *& reipublicæ causa vindicandus est.* Ceterum an pro *inutile* legendum sit, *incivile,* an vero *inutile* exponendum, repugnans utilitati publicæ, pernitiosum, iniquum, atque adeo retinenda scriptura Florentina, non vult manus Noster cum quoquam conferre. Vidimus acu-

tas

tas emendationes. Jam rationem etiam, quæ legum anima eſt, in eo quod Julianus ait *L. 45 §1 D. de condit. inſtitut.* perſcrutatur. Verba Juliani: *Eum, qui ita heres inſtitutus eſt, ſi ſervum hereditarium non alienaverit, caventem coheredi implere conditionem. Ceterum* ſi ſolus heres ſcriptus ſit, ſub impoſſibili conditione *heredem inſtitutum videri.* Non claret, inquit Noſter, cur non & altero caſu præſtanda ſit cautio, & cur conditio hic habeatur pro impoſſibili? Exiſtimat igitur, ex ipſo conditionis tenore lucem non exiguam elici poſſe. Si enim heres ſolus ex aſſe inſtitutus ſit, nullius intereſſe, conditionem impleri, ſed continere illam nudum præceptum de non alienando, quod jure civili nullum habeat effectum, adeoque civiliter habeatur pro impoſſibili. Ovum ovo non eſſe ſimilius, quam hæc expoſitio ſit Reſcripto Impp. in L. 114 §. 14 D. de Legat. 1. *niſi invenitur perſona, cujus reſpectu a teſtatore vetita ſit alienatio, nullius eſſe momenti ſcripturam, quaſi nudum præceptum reliquerint, qui talem legem teſtamento non poſſunt dicere.* Non omnes porro Interpretes recte deprehendiſſe mentem Tryphonini in L. 109 D. de Condit. & Demonſtrat. ſalvum enim & Tryphonino & Scævolæ conſervari honorem, ſi ſequamur Gloſſam & Duarenum in Comm. ad L. 122 D. de Verb. Oblig. ſive in *Scævola.* Nunc vero in eam etiam inquirit rationem, quare raptor plectatur, ex Edicto de Vi bonorum raptorum, pœna tripli, fur manifeſtus in quadruplum? cum raptor majori dignus vindicta ſit. Et reſpondet, Prætorem nihil quicquam cavere voluiſſe de raptore in ipſo facto deprehenſo: ibi enim adeſſe actionem utiliorem furti manifeſti in quadruplum. Loqui ergo de raptore non deprehenſo, & hunc ſubire pœnam tripli; quum actione furti nec-manifeſti conveniendus eſſet tantum in duplum. Sicque gravius puniri raptorem non deprehenſum, quam furem nec-manifeſtum. Illuſtratur autem hic una Juſtinianus in princ. J. de Vi bon. rapt. deinde Ulpianus in L. 52 §. ult. & Papinianus in L. 80 §. 3 D. de furt. Pro acumine ingenii iterum emendat Noſter L. 52 §. 3 pro ſocio. Cum enim Illuſtris D. Bynckershœkius L. 2 c. 10 aſſeruiſſet, in MSt. ipſius perſpicue ſcribi, *damna, quæ imprudentibus accidunt*, h. e. *damna fatalia ſocii non cogentur præſtare*: tanquam una eſſet & continua vox: legiſſet autem diſtincte,

Cap. IV.

V.

VI.

damna, quæ in prudentibus accidunt, i. e. quæ etiam in prudentibus ipsis accidunt, & nulla prudentia possunt evitari; statim Noster, fortasse exaratum fuit, *damna, quæ ἐν prudentibus accidunt*, pro, *etiam*. Duo Autor emandat porro in L. 65 D. de A. R. D. Nam in §. 1 scriptum erat, *ripæ fluminis, & litora mari proxima*. Mavult autem Noster, *ripæ fluminis, ut litora*. Sic enim rectius intelligi vim concludendi, ab exemplo litorum maris petitam. In §. 3 & 4 videntur ipsi nomina Pauli & Labeonis ὑστέρου πρότερον facere. Ordinem ergo invertit, eo modo: §. 3 *Labeo: si insula*. §. 4 *Paulus: si id*. Alias enim affirmare Labeonem §. 4 id, quod §. 1 negasset. Abunde diximus pro instituto nostro. Videmus enim, pulcherrima æmulatione decora subinde excitari ingenia, & quum singula sint erecta, contendere inter se potius de principatu & palma, quam de laude, quæ plane est communis omnibus, & ad maturitatem studii hujus non potest non viam bene sternere. Ceterum quæ occasione hujus libri ad nos perscripserit Consultiss. Wæchterus, proximo Mense exponemus. c. 7.

GODOFREDI Bönigks, *LIPS. PHIL. ET J. U. D. Digesta Juris Civilis Romani in Ordinem naturalem reducta ad usum fori accommodata & in VI libros divisa.*

Lipsiæ & Halæ, prostant in officina Adami Sellii, 1714, 8. Alph. 3 plag. 20.

CUm per aliquot lustra Pandectas exponeret Autor, expertus est, ut in Præfatione refert, difficultates, quas perversus ordo, quo Juris Justinianei compilatores in illis componendis usi sunt, studiosæ juventuti creare solet. Quibus quia medelam afferri optabat, de opere Digestorum in formam concinnam, brevem & institutio docentis æque ac captui discentium adaptatam redigendo sæpius cogitavit. Quod consilium cum exequi tentasset, enatum est præsens opus, quo juris privati, quod vulgo secundum seriem Titulorum, Pandectis Juris Romani in corpore Juris Civilis contentorum, doceri solet, compendium commodiore methodo exhibere sibi proposuit. Id ut consequeretur, omnes Titulos Digestorum ad sex classes revocavit; ac singulis peculi-

peculiarem librum destinavit. Libro primo præmissis quatuor titulis generalibus de Justitia & Jure, de Origine Juris, de Legibus & de Constitutionibus Principum, Jus Personarum & eo pertinentes materias Adoptionum, Matrimonii, Tutelarum, Peculiorum, Fisci &c. pertractat. Libro secundo de Jure Rerum, de Dominio, Servitute, Pignore, Possessione & Interdictis agit. Libro tertio circa Jus Successionum, Testamenta, Legata, Fidei commissa, Bonorum possessiones, Collationes, Hereditatis petitiones occupatur. Libro quarto Jus Conventionum, agendo de Pactis, Contractibus, chirographariis, consensualibus, verbalibus, nominatis & innominatis, veris & quasi, Usuris, Fructibus, Solutionibus & Compensationibus, exhibet. Libro quinto Jura Delictorum, privata & publica de injuriis, furtis, rapina, crimine Majestatis, homicidii, falsi, parricidii, peculatus, modo procedendi in Criminalibus, Abolitione & Restitutione, persequitur. Libro sexto Jus Litium sistit & non solum de Actionibus, Conditionibus, Transactionibus, & Compromissis in genere, sed etiam Actore & Reo, Feriis, Dilationibus, Advocatis, Procuratoribus, Probationibus, Sententia, Concursu Creditorum in specie dispicit. Coronidis loco de Remediis contra sententiam, Appellationibus & Restitutionibus in integrum, tractatur. Singuli libri pluribus Titulis constant; alicui Pandectarum titulo, cujus & inscriptionem retinent, respondentibus. Numero tamen multo sunt pauciores, cum & eos Pandectarum titulos, qui de Jure obsoleto agunt, levi saltem brachio tetigerit, & illos, qui generaliore titulo jam continentur, eadem opera simul exposuerit, neque adeo peculiaria illis capita destinaverit. Sic maximam partem libri 40 Pandectarum, de statu libertinitatis potissimum tractantis, Libri primi Titulo quinto, quo statum hominis interpretatur, inserviit. Titulo 17 Libri 49 Pandectarum de castrensi peculio, Libri primi Titulo 25, ubi de peculio generatim disseritur, locum assignavit, & sic porro in reliquis. Quo ipso id studuit consequi, ut nec ullum Digestorum Rubrum penitus prætermissum discentium notitiæ prorsus eriperetur, nec multum operæ collocaretur in argumentis, quæ in compendio paucis tantum tetigisse sufficeret. In singulis titulis ita versatur, ut præmissis summariis perbrevibus, primo

cujusvis tituli cum præcedente connexionem oſtendat, dein argumentum ipſum pertractet, tandemque uſum hodiernum a plerisque Juris Romani ſanctionibus ſubtilioribus ipſius judicio alienum addat, ſubjectis generalibus juris axiomatibus, quibus doctrinæ propoſitæ probantur atque illuſtrantur. Ipſam argumentorum tractationem a definitionibus ac diviſionibus inchoat, atque illis differentias, quibus res definitæ ab aliis maxime cognatis diſtinguantur, his vero diſcrimina, quibus membra diviſa inter ſe diſtant, ſedulo ſubjicit. Tum quid circa res, quas tractat, juris ſit, ordine maxime naturali per breviſſimas poſitiones docere ſtudet. Omnia vero qua poteſt brevitate proponit, utque ſingula eo manifeſtius in oculos incurrant, ita exprimit, ut quaſi in Tabulas redacta videantur. Quod in diviſionibus ac ſubdiviſionibus tradendis potiſſimum obſervat. Accedit Index materiarum Alphabeticus. Præmiſſi ſunt alii duo, quorum prior ordinem titulorum hoc compendio comprehenſorum, additis omnibus Pandectarum titulis, qui in illis exponuntur, exhibet, poſterior titulos Juris Romani adjectis numeris ac libris, quibus tum in D. tum in hoc compendio evolvendi, ordine alphabetico recenſet. Ceterum in legibus ac Doctoribus allegandis admodum parcus eſt Conſultiſſ. Autor, nec multum immorari ſolet controverſiis juris ventilandis, ſuam plerumque ſententiam pauciſſimis expoſuiſſe ac rationibus muniviſſe contentus.

DAVIDIS SIGISMVNDI Büttners, *CORALliographia ſubterranea, ſeu Diſſertatio de Coralliis foſſilibus, inſpecie de Lapide Corneo*, Horn- oder gemeinen Feuer-Stein.

Lipſiæ, apud Fridericum Groſchuffium, 1714. 4
Plag. 9 tabb. æn. 5.

IN Actis A. 1711 p. 222 & 223 jam commendavimus Cl. Autoris in colligendis foſſilibus figuratis ſolertiam, ut adeo nonniſi apprime curioſa in Phyſica, quam edendam meditatur, diluviana ab eo publicatum iri confidamus. Specimen ejusdem hortatu Patroni cujusdam nunc ſe ſiſtere fatetur in Coralliographia ſubterranea,

ranea, cujus potiſſimus ſcopus eſſe videtur, ut doceat (id quod ante a nemine obſervatum conſtat) lapidem corneum ſeu pyriten culinarem, quo ad eliciendum ignem utuntur, eſſe Corallium antediluvianum. Rejicit in ipſo ſtatim limine quasdam circa foſſilia figurata opiniones, quas in Opere de Ruderibus diluvii teſtibus majori conatu jam evertit, de luſu nempe naturæ, archeo, auro ſeminali cum exhalationibus in poros terræ delato, quæ tanquam illorum cauſæ nonnullis allegari ſolent. Ipſe a partibus eorum ſe ſtare profitetur, qui eadem pro ſubmerſis animalibus, ac vegetabilibus habuere, propterea quod animaliter (ut cum ipſo loquamur) & vegetabiliter characteriſata. Ut autem corallia foſſilia tanto facilius cognoſcantur, ea cum marinis conferenda eſſe judicat & ideo hæc primo loco deſcribit. Definit corallia marina, quod ſint partim ſtirpes, partim effluvia petricoſa, quæ intra aquam ad fundum ac parietes ſaxoſos exoriuntur & ſuccum viresque auctrices inde trahunt. Dividit nempe ea cum *Rumphio* in genus lignoſum ac lapidoſum: utriusque varias ſpecies recenſet. Notat inter alia, ſe apud *Kreichaufium* mercatorem noſtratem vidiſſe corallium in conchæ teſta ortum; alibi aliud in cochlea. Se obſervaſſe in corallio Malayce *Batu Parudan* dicto partes ſupra partes ad modum fluorum cryſtallinorum exoriri, aliorumque lapidum deſtillititiorum, ubi ſemper novæ partes ſuperinducuntur tempore prioribus & hæ illis quaſi inveſtiuntur. Se a *Brucknero*, chirurgo Hamburgenſi, accepiſſe corallium globoſum fiſtulisque radioſis ſive aſtriformibus inſtructum; in cujus ſuperficie caveæ oviformes apparent, intus exuviis conchicis latentibus: unde colligit, corallia, cum creſcunt, mollia eſſe. A corallis marinis ad foſſilia progreditur, quæ magno numero muſæum ejus exornant, &, cum qua ſpecie verorum unumquodque conveniat, indicat. In gratiam curioſorum nonnulla exhibemus, quæ præ ceteris obſervatu digna videntur. Siſtimus igitur globum corallinum, quem tantæ integritatis judicat Noſter, quanta a marinis in ſtatu integro exſpectari poteſt, tubulos, apices, baſin, qua per modum fungi in matrice ſaxoſa inhæſit, totamque ſtructuram exteriorem intuenti diſtincte monſtrantem, ab *Hermanno*, Paſtore Maſſellenſi in Sileſia acceptum & marino a *Kreichaufio* mercatore

Cap. I.

II.

III.

TAB. III. Fig. 4.

TAB. III. tore noſtrate muſæo Autoris adjecto ſimillimum : corallii punctati
Fig. 5. particulam furcatam ex editiore ſabuleto prope Querfurtum, cujus
6. ſpeciei multa marina in pharmacopoliis reperiuntur : fragmentum
maſſæ lapideæ ramulis corallinis repletæ, a Cl. *Mylio* noſtro pro-
pe Lipſiam in piſcina quadam repurgata repertæ & inter amicos
7. diſtributæ, cum *Carang-Goyla Aſiatico* conveniens : corallium
globoſum & quodammodo preſſum, ductibus erroneis, gyratis
ac contortis, in Principatu Olsnenſi prope Maſſellas ab *Herman-
no* repertum, idem cum maſſa corallina Indis *Patu papudan* dicta,
qualem ex dono *Bruckneri* ſupra laudati Autor poſſidet : utram-
Fig. 8 & 9. que faciem ramorum collateralium, nodoſorum, zonulis elegan-
tioribus inſtructorum ac leviter ſtrictorum adhuc intra maſſam
cretaceam, ex arenofodina Querfurtenſi, teſtem naturæ corallinæ
10 & 11. omni exceptione majorem, judice noſtro : utramque faciem co-
rallii fiſtuloſi ac luridi, in quo etiam ab oculis fugitivis, eodem ju-
dice, omnia in coralliis marinis obvia notantur, in arenoſo mon-
11 & 13. te prope Querfurtum reperti : denique foſſile, quod ab *Herman-
no* e Maſſellis transmiſſum Noſter cum marino albo vulgari adeo
Cap. IV. exacto convenire cenſet, ut ex mari depromptum videatur. Fos-
ſilibus corallinis ſubjungit varias ſpecies lapidis cornei, quas inter
maxime curioſæ ſunt, figuras domunculorum echinorum mari-
norum, aculeorum echininorum albidorum ac nodulis inſtructo-
rum, conchularum marinarum ſtriatarum impreſſas, immo be-
TAB. III. lemniten & echiniten continentes. Sufficit nobis exhibuiſſe du-
Fig. 14 & 15. os, quorum alter echiniten integrum continet, ad fiſſuram
montis prope Querfurtum a filio Autoris repertum ; alter vero fi-
Cap. V. guram exactiſſimam ab aculeo echini ſibi impreſſam. In naturam
coralliorum foſſilium inquiſiturus monet, non ſemper tutum eſ-
ſe, ut ad eam detegendam analyſi chymica utamur, quamvis non
diffiteatur, eadem non infeliciter uſum eſſe *Joh. Samuelem Caro-
lum*, Medicum quondam Oeringenſem, in oſſium foſſilium Can-
ſtadenſium qualitatibus perſcrutandis, quoniam foſſilia in ſtratis
humidis facile putreſcunt, in arenoſis ac tophaceis calcinationem
ſubeunt, in ſolidioribus ſucco cryſtallino ac aliis mineralibus ad-
implentur : quod poſtremum exemplo lignorum foſſilium alumi-
ne, bitumine, luna, marte, vitriolo impregnatorum confirmat,

quæ

quæ inter alia iſtiusmodi cimelia conſervat. Axiomatis igitur loco aſſumit, *nullum foſſile characteris animalis ac vegetabilis, veri ac perpetui, eſſe originaliter minerale, ſed petrefactum vel mineraliſatum*, & ideo ex identitate ſtructuræ corallinorum marinorum & foſſilium naturæ identitatem colligit. Oſtendit nimirum exemplis foſſilium ante delineatorum, quod perinde ac marina in baſi quadam radicali inhæſerint, ab initio mollia extiterint, quædam indolem dendricam prodeant, quædam ramoſa, quædam ramis deſtituta, quædam nodoſa, quædam gyris elegantioribus exornata, quædam ſtriata, quædam punctata, quædam fiſtuloſa, quædam ſtellata, quædam poris tam majoribus, quam minoribus, atque fiſtulis collateraliter adunitis, tubulis, vel ductibus erroneis, inſtructa, quædam globoſa & gibboſa, quædam placentiformia, quædam ſpongioſa, exiſtant. Nec leve argumentum cenſet, quod coralia foſſilia pro diverſorio agnoſcant ſtrata ſuper ſtrata materiei mari propriæ fluctuatim ſuperinvectæ, quæque inter foſſilia originis marinæ ſocia, conchyliorum puta ſpecies varias, murices, turbines, oſtreas, nautilos, echinos marinos, articulos ſtellarum marinarum, dentes mandibulas, vertebras, ſcapulas aliaque oſſa crocodili marini. Lapidem corneum nihil aliud eſſe quam corallium antediluvianum probat ex ſtructura cum externa, tum interna, quam in lapide corneo non aliam, quam in coralliis marinis eſſe oſtendit, ita ut nihil reperiatur in hiſce, quod non æque in illo exhibeat. Monſtrat truncum, ramos tam integros, quam truncatos, cruſtam albidam, cavitatem in præruptis ramis calcariam, reſidentia in eodem tanquam matrice corallia placentiformia ac reticulata, fruticiformia, globoſa &c. Lapidem quoque corneum ab initio fuiſſe mollem inſtar coralliorum marinorum inde infert, quia echini marini, aliorumque marinorum figuræ vi ſuperiorum eidem impreſſæ cernuntur. Atque hinc rationem reddit, cur in arenofodinis inter alia marina, conchilia puta rariora, antalia, aſterias, belemnitas, lapides Judaicos &c. & nonniſi fruſtulatim etiam in ſtratis nunquam apertis vel disruptis reperiatur. Oſtenſurus tandem corallia foſſilia & lapidem corneum ex mari per diluvium univerſale in has oras delata eſſe, loca, ubi reperta ſunt, quæ poſſidet ac in præſenti opuſculo ſane eleganti repræſentavit, deſcribit. Cap. VI. VII.

Alia nimirum depromta sunt ex arenofodina Lipsiensi, alia ex Querfurtensi varietate marinorum abundante, ac locis vicinis, stratis præsertim Kuckenburgensibus, alia denique ex stratis Mas-
Cap. IIX. selensibus principatus Olsnensis in Silesia. Denique diluvii universalitatem sequentibus potissimum argumentis adstruit: quod strata super strata per universum mundum ex sedimento turbidi fluidi exorta sint, & in iis, elatioribus præsertim, reperiantur creaturæ supra terrestres indigenæ & peregrinæ, ac inprimis marinæ exoticæ & incognitæ, etiam in locis a mari procul disitis, certe his in oris corallia, quæ Asiæ ac Americæ natales debent.

DISCURSUS DE DILUVIO MAXIMO OCcasione inventi nuper in Comitatu Laubacensi & ex mira metamorphosi in mineram ferri mutati ligni, cum observationibus Geodæticis, Aeroscopicis, Hydrographicis & aliis, præsertim quoad Terram sigillatam hujus loci & limum novo modo in verum ferrum mutatum &c. curatius institutus & explicatus a JO. GEORGIO LIEBKNECHT, Mathem. P.P.O. Accessit D. JO. GOTHOFREDI GEILFUSII de Terra sigillata Laubacensi erudita Tractatio Latinitate donata.

Giessæ, apud Jo. Ott. Meyerum, 1714, 8.
Alph. 1 pl. 2 & Tabb. æn. 3.

IN Actis A. 1710 p. 484 & seq. ex literis Cl. Autoris ad Cl. *Wolfium* datis exhibuimus metamorphosin ligni in mineram ferri per experimenta comprobatam, quæ digna visa fuit Autori Novellarum literariarum, sub titulo *Memoirs of Litterature* singulis hebdomadibus Londini prodeuntium, ut eandem eodem adhuc anno d. 27. Nov. f. 152 iisdem insereret. Cum itaque Cl. Autor partim inde, partim ex literis virorum celebrium, quibuscum frusta illius ligni communicaverat, intelligeret, suas de ipso observationes non displicuisse rerum naturalium curiosis; quæ tum compendiosa ratione (qualis nimirum sufficit intelligentibus) propositæ sunt, ea
Cap. I. nunc prolixiori verborum ambage repetere voluit, additis simul aliis, ut in libri molem excresceret tractatio. Orditur adeo eandem ab ipso Deo ex structura mundi cognoscendo & inde progreditur

ditur ad creationem mundi, terræ præsertim ac lucis primigeniæ, ad statum integritatis hominis lapsumque subsecutum, ad diluvium denique Noachicum & terræ ab eo statum describendum. Sed cum lignum ferrificatum repertum fuerit in Comitatu Laubacensi prope oppidum *Laubacum* aquis sub terra ad profunditatem 70 circiter pedum immersum, puteo in usum orphanotrophii munificentia Illustr. Comitis Solmensis *Friderici Ernesti*, Judicii Cameralis; quod Wetzlariæ est, Præsidis, in loco elatiori extructi effosso; aquæ temperiem & terræ constitutionem in illo territorio describit, ubi inter alia notatu digna sunt, quæ de terra Laubacensi sigillata & de mineris ferreis ibidem obviis annotat. *Becherus* in Physica subterranea Autor est, *Helmontium* juniorem asseruisse, sibi innotuisse modum, ex quovis limo & sulphure ferrum in magna quantitate producendi, sed nullis a se precibus eo adigi potuisse, ut eundem communicaret; se ipsum autem postea ex oleo lini & limo ferrum produxisse. Experimentum *Becherianum* modo simplicissimo repetiit *Godofredus*, limum arefactum in pulverem comminuens & oleo lini permixtum in massam redigens, globulos confectos in crucibulo igne aperto urgens atque adustos in mortaria conterens, quo facto nigras observavit particulas a magnete attractas, quemadmodum legitur in Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum A. 1704 p. 382 & seqq. edit. Batav. & idem experimentum in limo Laubacensi non sine successu repetiit Cl. Autor. Enimvero cum hactenus demonstratum non sit, non dari in natura particulas alias præter ferreas, quæ a magnete trahuntur; operæ pretium faciet, qui aliis experimentis docuerit, particulas illas a magnete attractas esse revera ferreas. Multas Autor observationes multaque experimenta recensет, quibus probat, fossile suum olim extitisse verum lignum & nunc Marte esse impregnatum. Sed cum de his jam sufficienter dictum sit in his Actis loco supra citato, in præsenti non nisi figuram exhibemus frustuli oblique secti, in quo circuli, per quos accrementa annua distingui solent, admodum conspicui. Cum apud Anglos celeberrimus *Woodwardus* in erudito Geographiæ Physicæ specimine hypothesin eorum, qui fossilia figurata ad diluvium Noachicum referunt, argumentis admodum speciosis confirmasset; Cl.

Cap. II.

III.

TAB. III. Fig. 16.

Scheuchzerus eandem quoque excoluit, mutuas operas mox conferentibus *Bayero* atque *Buttnero*, quemadmodum ex Actis A. 1709 p. 23, A. 1710 p. 451, A. 1711 p. 222, & Supplem. Tom. 3 Sect. 1 p. 7 & seqq. apparet. Noster itaque eorum exemplum imitaturus ex suo quoque ligno diluvii Noachici universalitatem evincere conatur, contendens nimirum in isto diluvio arborem prostratam & sub terris sepultam fuisse. Additur Tractatus exiguus de terræ sigillatæ Laubacensis proprietatibus & virtutibus bezoardicis providoque usu olim idiomate Germanico a *Geilfusio* editus, nunc vero ab Autore in Latinum translatus.

JO. CONRADI CREILINGII, PHYSICÆ & Mathematicæ in Universitate Tubingensi Professoris Ordinarii, Compendium Physicarum Definitionum.

Tubingæ, apud Joh. Georg. Cottam, 1713, 8. Alph. 1.

PRodit nunc altera vice Cl. Autoris compendium definitionum physicarum, multo quam antea auctius, in quo non modo omnes voces, quæ per singula Physices capita occurrunt, verum etiam illæ, quarum in Chemia, Botanica & Anatomia, imo & in Astronomia usus est, explicantur. Ita vero concinnavit has definitiones, ut simul hypotheses Physicorum passim ingredi faciat. E. gr. Fulgur definit per lumen ab accensione glomerum fulminantium, vel etiam tenuioris materiæ sulphureæ, fulmen plerumque antecedens & ob inconstantem aeris motum, undulans, absque sonitu oculum perstringens. Vitam esse ait actuale animæ corporisque organici intime connexorum per mutuas actiones passionesque commercium. Asbestum describit, quod sit lapis filamentosus, colore viridi nigricante instar plumularum divisibilis, ob lentam & crassam visciditatem partium homogeneam earumq; arctum rectilineum contextum in vaporem resolvi nescius, solus ab igne immunis & incombustibilis, puriorque inde rediens, qui lini instar pecti, neri & pro lubitu ad vestimenta incombustibilia præparari potest, in morbis mulierum & contra venefica utilis quibusdam creditus, ex India & Turcia allatus. Instar Lexici

cujusdam

cujusdam Physici hoc opus esse poterat, si indicem vocum explicatarum juxta ordinem literarum alphabeticum addidisset.

CURATIONIS VERNO-AUTUMNALIS, PURgationi, Venæsectioni, Vomitioni, &c. inimitentis, Abusus, Autore JOHANNE BAPTISTA WERLOSCHNIG, de & in Pernberg; Styr. Prasberg. S. R. I. Equ. Phil. & Med. D. Inclyt. Austr. Super. Statuum Med. & Physf ord. eorundemque Med. Prof. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Collega, d. METRODORO, ac inter Labac. uperof. Academico FOECUNDO.

Francofurti, apud Dominicum a Sande, 1713, 8. Alph. 2 plag. 5.

OMnem equidem purgationis & venæsectionis usum e foro Medico proscribere Autor Clariss. non intendit, illum solummodo hoc in opusculo taxat, quo sanorum pars maxima, dum vere & autumno nimis licentiose eo utitur, sanitatem sibi vitamque adimit; quam suam demonstrationem Physico-Medicam ratione, experientia, & autoritate Hippocratis & Galeni non solum, sed & illustrium per Europam etiamnum viventium Virorum corroborat; quemadmodum in calce Epistolæ ad Autorem hoc de argumento scriptæ una cum hujus responso leguntur. Dissertationem ipsam in tres partes dividit, in quarum I purgationem, in II venæsectionem, in III vomitionem, hasque prophylacticas examinat.

In Parte igitur I, ubi de Vernali & Autumnali purgatione agit, in nomen & definitionem purgationis ejusque & purgantium medicamentorum divisionem inquirit, monstratque, quis homines, consequenter Medicos, purgationes docuerit, in purgationis Majalis originem & Autores inquirit, quos Medicos avaros indoctosque esse dicit: Humores enim, pituitam, bilem, melancholiam, &c. quos per ejusmodi purgationem evacuare & imminuere nitimur, res fictas & fabulas aniles nuncupat; imo cacochymiam, super qua purgationes struuntur, ens chymæricum vocat. Cum porro vere tota rerum natura in motu se exferat, autumno vero constringat, & in suæ conservationis putamina reponat,

Part. I. Cap. I. II. III. IV. V. VI. VII.


image
not
available

CUm quævis B. Ittigii opuſcula pereximia ſint, digniſſimaque, quæ ab interitu vindicentur, Cl. Editor magnam apud eruditum & Chriſtianum orbem init gratiam, quod illis colligendis edendisque operam impendit. Hoc faſciculo *quatuor* continentur Programmata contra varios recentiorum errores, Schediaſma item de ſcriptis ad notitiam Conciliorum & Canonum ſpectantibus, nec non *quinque* varii argumenti Exercitationes, quæ ſub Diſputationum forma primum prodierunt. Contemplanti verba Davidis Pſalm. XCVI, τὸ a nonnullis interpretibus & Eccleſiæ Doctoribus interpolata: *Dominus regnavit a ligno*, probabilis videtur *Nic. Fulleri* aſſertio, nempe quod primum pius quidam lector verba *a ligno* in ora libri ſui e regione veluti ἐξηγητικὰ apoſuerit, iis poſtmodum in ipſum textum, cum pluribus arriderent, translatis. Exercit. II hominem illum, quem Propheta Pſaltes Pſ. VIII, 6 ad breve tempus Angelis minorem factum, poſtea vero gloria & honore coronatum aſſerit, non ad Davidem, ſed ad Chriſtum referenda eſſe, cum ex ſumma gloriæ, quæ a Davide delineatur, excellentia, tum ex Apoſtoli Pauli interpretatione & conſenſu docet Hebr. II, 9. Quibus verbis erudite examinatis, confirmataque recepta lectione, in genuinam inquirit diſtinctionem, & verborum ordinem, quem leviſſima trajectione ſibi conſtare ait, ſi nomen Ἰησοῦν ante verbum Βλέπωμεν ſtatuamus, hoc modo: τὸν δὲ βραχύτι παρ' Ἀγγέλους ἠλαττωμένον Ἰησοῦν βλέπομεν, κ. τ. λ. Obſervat præterea, Apoſtolum, cum in reliquis ſuis Epiſtolis plerumque vel ſolo Chriſti nomine utatur, vel nomina Jeſu & Chriſti conjungat, ſæpius tamen in hac ad Hebræos epiſtola ſolum Jeſu nomen poſuiſſe. Cum enim Hebræi ante converſionem ſuam acerrimi nominis hujus hoſtes fuerint, voluiſſe nunc Apoſtolum eos ad reverentiam hujus nominis tanto diligentius excitare. Pelagium dicit Chriſtum pro infantibus mortuum negaſſe, ſtatuiſſe: que, eos nec peccatum habere, nec Medico indigere. Unde erroris convincit *Mareſium*, qui dogma de univerſali Chriſti merito Pelagianorum pelagus nominarit, quaſi Pelagianus error ſit docere, quod Chriſtus pro omnibus mortuus fuerit. Pelagianos enim ita nequaquam docuiſſe. Exercit. III nova fanaticorum quorundam noſtræ ætatis purgatoria deſcribit, eorumque argumenta

menta examinat atque refellit. Poſtea enarrata *Guil. Poſtelli* vita in recenſendis ejus erroribus multum operæ ſtudiique ponit, cumque non Pariſienſem, ſed Barentonium fuiſſe commonſtrat. Hominibus juſtificatis & in gratia jam conſtitutis remiſſionem peccatorum vere conferri poſſe probat ex iterata remiſſione peccatoris Luc. VII, 47, 48, cui peccata jam remiſſa fuerant. Negat, Simonem Phariſæum eundem eſſe cum Simone leproſo. Illum enim in Galilæa, hunc in Judæa Chriſtum convivio excepiſſe, Evangeliſtas etiam non de una eademque muliere loqui, ſed de diverſis, nec ullum in Evangeliſta veſtigium deprehendi peccatricem illam Mariam Magdalenam fuiſſe. Sub finem adjectus eſt catalogus Librorum MStorum Latinorum, ſucceſſu temporis edendorum, e quibus ſelecta Hiſt. Eccleſ. Capita a tertio ad ſextum usque ſeculum præ ceteris exſpectantur.

JO. ANDREÆ SCHMIDII, D. P. P. ABBATIS Mariævallenſis, Decas Diſſertationum Hiſtorico-Theologicarum.

Helmſtadii, ex typographeo Hammiano, 1714, 4. Alph. 2 plag. 4.

SUmme Reverendus Autor laudabili multisque jam exemplis probato conſilio Diſſertationes ſuas Hiſtorico-Theologicas, in Academia Julia publicæ diſputationi ſubjectas, conjunctim recudendas curare cœpit, primam nunc exhibens earum decadem, ſperansque fore, ut nova ſingulis ſemeſtribus decas ſubſequatur. In præſenti volumine quæ exhibentur, earum *prima* agit de euchariſtia mortuorum, *ſecunda* de altaribus portatilibus, *tertia* de curatione morborum per oleum ſanctum, *quarta* de Quietiſtis XVI & XVII ſeculi, *quinta* de Baptiſmo per arenam, *ſexta* de Eccleſia virgine, *ſeptima* de elinguatis myſterium Trinitatis prædicantibus, *octava* de ſyllabicis in loca Rom. XI, 36 & 1 Cor. IIX, 6 ſumme injuriis, *nona* de bibliothecis Eremitarum veterum, *decima* denique de Apoſtolis uxoratis. Singulas breviter more noſtro perſtringemus. *Diſſ. I* agit de illo veterum more, quo mortuis vel panis & vinum euchariſticum traditum & infuſum, vel cum illis in ſepulcro reconditus eſt panis vel calix. Poſtquam ex priſcis monu-

monumentis eum morem probavit receptum fuiſſe in ipſa eccleſia Catholica, in originem ejus inquirit, rejectaque Albaſpinæi opinione, eam refert ad opinionem ex *Joan. VI, 53* deductam de abſoluta neceſſitate euchariſtiæ. Qua eadem de cauſa infantibus quoque euchariſtiam fuiſſe exhibitam, qui mos adhuc in Græca eccleſia viget, arbitratur. Hinc allatis rationibus docet, pravum eſſe illum morem & inſtitutioni ſacramenti hujus adverſum. *Diſſ. II* diſputat primo de origine & notione vocis ἀντιμήνσιον, quæ recentioribus Græcis ſignificat *altare portatile*. Hinc eorum uſum non hodie ſolum in Eccleſia Romana eſſe frequentiſſimum, ſed jam vetuſtiſſimis temporibus invaluiſſe, oſtendit : ac materiam eorum, figuram, conſecrationem, (cujus ritus fuſius recenſet,) & uſum deſcribit. Uſus ſcilicet eorum eſt in locis non conſecratis, ubi ſacra non poſſe fieri putantur, niſi ſuper altari rite conſecrato. *Diſſ. III* locis *Marci VI, 13* & *Jacobi V, 14* de curatione, qua ægroti priſtinæ ſanitati reſtituuntur, explicatis, cujus ſententiæ ſubſcriptorem, quod ad priorem quidem locum attinet, ipſum Bellarminum adducit, profert Eccleſiæ doctores medii ævi, qui ea loca accepere pro regula, ſecundum quam presbyteri ægrotos oleo ſacro debeant inungere, ut ita convaleſcant. Exempla quoque affert ex Latina eccleſia, eumque morem etiamnum in Orientali eccleſia vigere, manifeſtum facit, ſimulque docet, hanc ægrotorum unctionem a Pontificiorum unctione extrema longiſſime differre. Hinc de ratione hoc oleum conſecrandi agit, & aliis circa illud uſurpatis ritibus. Ceterum cum in locis Marci & Jacobi effectus olei ſupernaturalis & miraculoſus intelligatur, id quod Summe Rev. Autor demonſtrat, hinc facile apparet, unctionem ſacram ægrotorum pari modo per ſuperſtitionem invectam fuiſſe in eccleſiam, quo ex Apoſtolorum virtute exorciſtica munus exorciſtarum olim in eccleſia invenit locum. Poſtremo Pontificios citatis ex locis extremæ unctionis ſacramentum ſtabilire annitentes refellit. *Diſſ. IV* Cap. I hiſtoriam ſiſtit veterum Quietiſtarum, ac Palamitarum hiſtoriam pluribus perſequitur : Cap. II Quietiſmi Michaelis de Molinos hiſtoriam pari ubertate exponit, ſubjecto ſcriptorum illius hiſtoriæ catalogo : Cap. III Palamitas cum Molinoſii ſectatoribus ἐκ παραλλήλου componit, eorumque Quietiſmum tan-

dem ad fontes philoſophiæ Platonicæ reduxit. *Diſſertationi V* occaſionem dedit Nicephorus H. E. lib. III cap. 37, ubi narrat, Judæum quendam cum aliquot Chriſtianis per deſerta & arenoſa loca iter facientem, cum repentino correptus morbo baptiſmum expeteret, inopia aquæ arena baptizatum eſſe: quo facto eum ſtatim convaluiſſe, reque ad Dionyſium Epiſcopum delata, aqua quoque baptizatum fuiſſe. Noſter primum magno numero adductis doctiſſimorum hominum de ſubleſta Nicephori fide judiciis, plures hinc commemorat eandem hiſtoriam literis prodentes: faſſus tamen ad ultimum, iis, qui non niſi firmiter probata credunt, nondum ſatisfactum videri, licet ipſe id vere contigiſſe ſibi perſuadeat. Hinc diſquirit, an approbandus ſit ille baptiſmus arena factus: id quod negat, cum is repugnet inſtitutioni baptiſmi, nec ullo Apoſtolorum primitivæque eccleſiæ exemplo comprobari queat. *Diſſ. VI* occaſione Euſebii H. E. lib. IV cap. 22, ubi Eccleſia dicitur fuiſſe *virgo*, donec ab hæreticis vitiaretur, oſtendit, *virginitatem Eccleſiæ* abſolvi puritate doctrinæ, ſanctitate vitæ, ſimplicitate rituum, diſciplinæ gravitate, ac denique continua ordinis politia: quæ ſingula ordine dilucidat. *Diſſ. VII* inquirit in veritatem hiſtoriolæ, qua traditur, Hunnericum Vandalorum Regem Arianæ ſectæ addictum Catholicis Trinitatem profitentibus inter alia ſupplicii genera etiam linguas exſcindi juſſiſſe: ſed divino prorſus miraculo factum eſſe, ut elingues illi loquerentur ac diſerte profiterentur Trinitatem. Profert, quotquot occurrerunt, hujus rei teſtes, interque eos principem locum tribuit Juſtiniano Imp. cujus hæc ſunt verba *lib. I Cod. tit. 27* in Præfatione: *Vidimus venerabiles viros, qui abſciſſis radicitus linguis pœnas ſuas miſerabiliter loquebantur.* Ne quis vero hanc narrationem in dubium vocet, eorum hiſtoricorum, qui eam referunt, fidem & candorem vindicatum it. Hic tamen pace Viri celeberrimi addimus, eſſe viros cordatiſſimos, quicquid eſt illius narrationculæ, in fabellarum cenſum referentes. Ac videntur ſane, quæ afferuntur hanc in rem, teſtimonia labefactari poſſe, ſi quis criticam velit adhibere operam. Certe palmarium illud Juſtiniani Imp. teſtimonium ut alienum eſſe appareat, mediocri mentis attentione opus eſt. Scilicet Imperator acuto ſermonis genere uſus ſignificat, eos linguæ uſu privatos miſe-

miſerabili voce *quaſi* locutos eſſe miſeriam ſuam. Unde nec dicit, eos de Trinitate locutos eſſe, ſed *locutos eſſe pœnas ſuas*: nec, eos diſerte clareque locutos, ſed *miſerabiliter*. Pari ſermonis figura uſus Cicero inquit Orat. pro Milone cap. 20: *Res loquitur ipſa*. Idem alio loco, videlicet divinatione in Verrem: *Cur nolint, etiamſi taceant, ſatis dicunt*. Sic & Ovidius Triſt. II, 453: *Digitis ſæpe eſt nutuque locutus*. Scilicet eundem in modum illi a Juſtiniano memorati loquebantur, nullo miraculo, ſed figura rhetorica. *Diſſ. IIX* per *Syllabicos* intelligit Arianos illos, qui ſyllabas captantes particulis ἐξ ὧν, δι' ὧν, & ἐν ᾧ ex Rom. XI, 36 & 1 Corinth. IIX, 6 abuſi in myſterio Trinitatis illuſtrando, inde aliquam perſonarum diſſimilitudinem probare conati ſunt. Hujus controverſiæ hiſtoria doctiſſime enarrata, addit etiam, qua ratione veteres orthodoxi doctores vanam illam ſubtilitatem confutarint. *Diſſ. IX* tribus conſtat capitibus, quorum *primo* exhibentur illi Eremitæ, qui omnibus deſtituti libris meditationibus tantummodo ſacris indulſerunt, easque prodiderunt literis: *ſecundo*, qui uno ſacro codice contenti eum diurna nocturnaque verſarunt manu: *tertio*, qui varii generis libros evolverunt ipſique libris ſcriptis famam conſecuti ſunt. Tandem *Diſſ. X*, poſtquam, duce Mayero, Theologo Gryphiswaldenſi, luculente probavit matrimonium Petri, idque contra Pontificios ſtrenue aſſeruit, ceterorum Apoſtolorum conjugia generatim probat ex *1 Corinth. IX*, 5: hinc & ſeparatim recenſet, quæ in veterum monumentis de ſingulorum uxoribus reperit, Pontificiorumque exceptionibus ſatisfacere ſtudet, immiſtis haud paucis, Apoſtolicam hiſtoriam docte illuſtrantibus. Joannem tamen excipit, perpetuo cælibem nec unquam irretitum matrimonii vinculo: itemque Paulum, cujus tamen conjugium Cl. Kochium ſingulari libro A. 1707 affirmatum iviſſe, in nota addit, licet ejus argumenta expendere ac refutare ſuperſedens: quod quidem jam factum eſſe meminimus ab Heumanno, Collega noſtro in primis induſtrio, in Diſſertatione A. 1712 edita *de Externis Candidati ſacri* §. XIV.

INTRODUCTIO IN ACCENTUATIONEM Hebræorum metricam; Autore PHILIPPO OUSEEL, M. D. & in Eccleſ. Reform. Germ. Lugd. Batav. V. D. M.

Lugduni Batav. ap. Samuelem Luchtmans, 1714, 4.
Pl. 19½.

IN Accentibus, qui Codicis Hebræi lectionem moderantur, poſt reſloreſcentia Orientalium linguarum ſtudia, multi, ſed diſpari ratione fuerunt occupati. Alii eorum originem & autores inquirere, alii officium & uſum explicare anniſi ſunt, cognoſcentes, eos magna cura & ſcopo optimo vocibus eſſe adjectos. Cl. Ouſeelius eorum veſtigia premit, qui accentuum uſum docuerunt, quem per regulas Wasmuthi, Reinbeckii, Franckii, nondum ſatis explicatum eſſe, cum plurimis fatetur. Wasmuthii regulas non accuratiſſimas eſſe, vel exinde colligit, quod quatuor earum de regulari accentuum ordine, decem vero de irregulari agant. Nonne Analogiam, quam tradit, tot exceptiones ſuperant vel ſaltem æquant? Nec Reinbeckii neque Franckii emendationes ſat accuratæ ſunt, quæ eundem accentum modo pro diſtinctivo, modo pro conjunctivo habent, & eundem diſtinctivum modo minorem, modo magnum, modo majorem exhibent, quæ diſcentem potius abſterrent, quam inſtruunt. Has vero difficultates Cl. Ouſeelius tollit duabus hy-
p. 9. potheſibus Cap. II §. 3 & 4 fundamenti loco ſuppoſitis, quas & Cl. D. Abichtius in Arte diſtincte legendi & interpretandi Scripturam ſecundum accentus urget. Prima eſt, Diſtinctivos, licet non omnes æque perfecte diſtinguant, nunquam tamen ad miniſtrorum ſortem eſſe redigendos, quod infinitarum anomaliarum cauſa extitit. Secunda eſt, Conjunctivos ſemper vocem ſuam cum voce diſtinctivi ſui conjungere, nec unquam, niſi dum plures immediate concurrunt, diſtinctionem, attamen minimam conſtituere. Ni fallimur, hæ hypotheſes cum ſcopo primi Accentuum autoris exacte conveniunt, qui iis docere voluit, quæ voces in lectione verſiculi diſtinguendæ, & quæ conjungendæ ſint, ut ſenſus auditoribus evidenter pateat. Easdem regulas oratores obſervant, qui diſtincta pronuntiatione, voces ſenſu cohærentes conjunctim, & ſenſu diſtinctas diſtincte pronuntiant. Voces vero plures ſervis conjunctas.

ctas quodammodo distingui constabit, si nulla constructione Grammatica cohæreant. Has servorum distinctiones noster Cl. Ouseelius cap. III §. 6 seqq. tradit, & in singulis capitibus distincte & prolixe explicat. Sic longe facilior redditur Accentuum doctrina antea tam intricata & tot exceptionibus onerata. p. 15. Imo omnis difficultas aufertur penitus, si cum R. Simsone Nakdan, cujus MSc. *Chibbur Hakkonim* in Bibliotheca nostra Paulina asservatur, statuamus, plerosque distinctivos unum, duos pluresque servos sibi præmittere, & docere, voces iis notatas conjunctim esse pronuntiandas. Cujus sententiæ veritatem imprimis Metrica accentuatio adstruit, in qua frequentissime conjunctivi plures concurrunt. Si itaque lectores voces conjunctivis notatas in lectione conjungant, & in distinctivis paulisper subsistant, decora & perspicua est lectio. Si porro accentuum distinctivorum gradus, quos noster Clar. Autor evidenter per totum libellum tradidit, observentur, lector cognoscet sensum ubique clarum, scopoque & parallelis locis convenientem, quem alii vix multa meditatione & circumstantiarum collatione capiunt. Nimis prolixum foret, singula capita percurrere, quorum quodvis peculiari distinctivo est distinctum, nobis sufficiat unicam ex Cap. XVI addidisse observationem. Agit in eo Clar. Vir de duplici accentuatione metrica, 100. sive de vocibus duplici accentu signatis. Observat, voces occurrere maxime polysyllabas, in quibus duo accentus conspiciuntur, quorum alter tonum, alter vero locum Methegi occupat. Causam & rationem §. 5. partim in consecutione accentuum partim in emphasi quærit, quod uti non rejiciendum, sic porro inquirendum, annon accentus duplices tonum duplicem indicent, quo vox olim pronuntiata est. Invenitur enim Ps. V, 11 vox polysyllaba tribus accentibus notata, leguntur plures duobus exornatæ, & quidem in 101. syllabis quæ nullum Metheg admittunt. Si voces hæ duplici tono sunt pronuntiatæ, & earum emphasis & accentuum consecutio constat, oratores enim vocem emphaticam tono emphatico etiam pronuntiant. Ceterum optamus, ut altera, quam Cl. Vir promisit, Metrica tractatio proxime insequatur, nulli enim dubitamus, eam ex iisdem principiis traditam Philologis Hebræis foregratam & utilem.

ADMINICULA SAPIENTIÆ ATQUE ELOquentiæ &c. Præfationi subjiciuntur Tituli Philosophici ac Theologici, juxta quos Excerpta Methodica diriguntur, iterum auctiores editi a JOH. FRIDERICO HODANNO.

Hanoveræ, sumpt. Nic. Fœrsteri, 1713, 8. Pl. 19.

HOc in libello Autor Artem methodice excerpendi, quam in Præfatione, quantum satis est, explicat, exemplis ex variis Epistolographis, Historicis, Itinerariis, Antiquariis, Adnotationibus ad Autores desumtis, illustrare conatur. Consistit *Ars Excerpendi Methodica* in eo, si Tituli Excerptorum secundum methodum quandam, sive hypotheses facile percipiendas ac memoria comprehendendas, certo ordine ac connexione ita disponuntur, ut quisque connexionem talem aliquoties perlustrans, statim sciat, quo loco in libro Excerptorum juxta hanc Artem ordinato, tituli & res sub titulis denotatæ extent atque inveniantur. Hoc pacto tituli cognati semper conjunctim habentur; &, si quis excerptis suis usurus, sub uno nihil invenit, alterum cognatum forte instructiorem habebit, & sic dicturo de quavis materia nunquam copia dicendorum defutura est. Sistit itaque libellus Methodum quandam studiorum, atque Locos, ad quos omnia, quæ legimus, audimus, meditamur, referre possumus. Quomodo Tituli inter se dispositi sint, docetur in Præfatione p. 57 - 61 & præcipue in brevi Tabella ibidem adjecta. Scilicet Hypotheses in ordinatione Philosophicorum Titulorum præcipuæ sunt: *Anima est intellectu & voluntate prædita.* Inde agitur de variis *actionibus animæ*, ut & de rebus, quas ea *contemplatur*, nempe de Deo & rebus Physicis. *Voluntas appetit bonum & fugit malum.* Occurrit ergo ibi, quid *agamus* circa bonum; & bonum terrestre dividitur (1) in *divitias*, ubi adjicitur, quomodo divitiæ acquirantur per commercia, opificia &c. (2) in *honores*, qui obveniunt in societate, (3) in *voluptates*, ubi de cibo, potu, recreationibus animi & corporis, elegantia, vestibus, domo. *Malum*, quod voluntas aversatur, est vel *fortunæ*, corporis, ut sunt *morbi*, corpori & bonis inimicum, ut *bellum*; *culpæ*, ut scelera, *pœnæ*. Theologici Tituli ita ordinantur,

nantur, ut primo agatur de *Dei* beatitudine, opere creationis & providentia; ſecundo de *hominis* ſtatu integritatis, lapſu & inde ſecuta morte; tertio de *gratia Dei* lapſis hominibus exhibita in electione ad vitam æternam, vocatione per verbum & Sacramentorum collatione in Eccleſia, miſſione Servatoris, converſione, fidei donatione, renovatione & ad bona opera peragenda ſubminiſtrato auxilio, imaginis divinæ aliquali reſtitutione, & in calamitatibus conceſſa patientia. Sub hiſce primariis Titulis Autor putat omnes reliquos, quotcunque occurrunt aut excogitari poſſunt, locum inventuros. Tituli ejusmodi in certas theſes hic diſtributi ſunt, & cuique theſi certum ſpatium eſt aſſignatum, quod Titulos ea contentos, vel data occaſione ſe offerentes & addendos, cum excerptis capere queat. Qui tamen non cupit parare librum, ſchedulas ſuas, quibus excerpta inſcribit, juxta hanc methodum diſponat. Lecta jam aut audita re memorabili, cogitandum, ad quamnam propoſitionem Logicam generaliorem confirmandam ea poſſit adhiberi, eique præmiſſæ res excerpenda ſubjiciatur. Sic in Excerptis tandem variæ reperientur Propoſitiones generales, probationibus & illuſtrationibus ſuis munitæ, quibus in orationibus habendis aut libris ſcribendis commode uti licet. In propoſitionibus illis reſpectus eſt habendus Locorum Topicorum, quorum aliquanto plures, quam communiter fit, p. ℔ enarrantur. Siſtent itaque propoſitiones illæ rei excerptæ indicium & ſignum, nomen, titulos, quid res indicet ſive ſignificet; cauſam, inventorem, inventionem, autorem, initium, incitamentum, occaſionem, antecedens, modum, quomodo res fiat, medium obtinendi, adjumentum, inſtrumenta, impedimentum, remedium; ſubjectum, objectum, formam, rationem formalem, ſtatum rei, normam, juxta quam res fit, finem; adjuncta, proprietates, mores, accidentia, concomitantia, requiſita, ornamentum, circumſtantias, locum, ubi, tempus; actionem, effectum, uſum, conſequens, merita, pretium ſive quanti ſit æſtimanda, ſermonem, denotata per rem; paſſionem, actum ſive operam circa rem, affectum alicujus erga rem, officium circa aliquid, jura, privilegium rei. Inpoſterum inter alia dabit Autor, Deo volente, Adminiculorum Sapientiæ atque Eloquentiæ Collectionem ſecundam; item Metaphyſicam Germa-

Germanicam & Theologiam Practicam, in qua ostendet, quomodo Scriptura S. præcipuas veritates Theologicas diversis in locis diversimode eloquatur, & tamen secum ipsa egregie consentiat.

Etliche nöthige und nützliche Bau-Erinnerungen wider Feuers-Gefahr, &c.

hoc est:

OBSERVATIONES ALIQUOT ARCHITectonicæ de ædibus contra incendia muniendis; Autore ANDREA GÆRTNERO.

Lipsiæ, apud Joh. Frider. Braunium, 1713, 8.

Plag. 5.

HArum observationum mentionem injicimus communis utilitatis gratia, quia funesta, quæ hactenus passim sævierunt, incendia abunde testantur, desiderari adhuc media contra incendiorum furorem ædes valide muniendi. Autor earum primo cum aliis commendat, ut non necessarius ligni usus evitetur, atque adeo tecta ædium prærealta & lignorum in iisdem strues improbat. Suadet porro, ut in urbibus tecta fiant plana, declivia tamen, cum ruderatione; in pagis cantherii versus angulum sint tenuiores, nec transstrorum & columinum numerus præter necessitatem multiplicetur, lutoque stramentis mixto tecta ante obducantur, quam stramine cooperiantur. Ut impediatur, ne flamma ex tecto in ædium contignationes aut inde in illud serpat; inter cantherios & catenas lapides vel testas interjici, pavimentum ruderari, minimum luto obduci & ad ingressum prope scalam januam luto vel lamina ferrea obductam aptari jubet. Eundem in finem commodum censet, ut tecta longiora per parietes intergeminos distinguantur (quod etiam *Goldmanno* utile visum est) & in singulis contignationibus ruderatio fiat, minimum ex luto, cui demum asseres supersternantur. Imo in genere præcipit, ut nullum in ædificio appareat lignum, quod non vel luto, vel calce, vel gypso, vel lateribus seu tegulis, vel lamina plumbea, ferrea aut cuprea, prout circumstantiæ singulares suaserint, sit vestitum; immo lignum luto obliniri jubet, antequam arundines affigantur, si opus ex gypso fieri debeat.

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Augusti Anno M DCC XIV.

ANTIQUITEZ JUDAIQUES,
h. e.
ANTIQUITATES JUDAICÆ, SIVE OBSERVATIONES Criticæ in P. Cunæi Remp. Hebræorum, Autore JAC. BASNAGIO.
Tomi II.

Amstelodami, apud Fratres Castellanos, 1713, 8.
Alph. 2 pl. 17, cum multis figg. æn.

DOctissimus Autor, cujus nomen in his Actis jamdudum illustre est, ad Petri Cunæi tres de Rep. Hebræorum libros annotationes conscribere statuerat. Verum cum ingressus hunc campum esset, ejusque amplitudinem consideraret, certam sibi methodum, non notas, sed dissertationes scripturo, præfigere coactus est. Atque hæc est causa, cur priora capita ceteris multo sint breviora. Ceterum cum libro I Cunæus de regimine Judæorum politico, II de sacerdotibus & sacrificiis, III de statu ecclesiæ Judaicæ agat, Noster primum duntaxat librum atque tertium illustrat, secundum prætermittens intactum, quippe quem cum Outramo conjunctum lectoribus satisfacere posse existimat. Longam suo huic operi præposuit Præfationem, in qua & nonnulla uberiori luce perfundit, & vitam quoque Cunæi enarrat, quam nondum a quoquam descriptam dicens oblitus videtur Orationis Adolphi Vorstii, in exsequiis Cunæi recitatæ, & Orationibus Cunæi a Cellario nostro A. 1693 editis subjectæ, in qua vita Viri illius doctissimi satis luculenter exposita legitur. Nostrum est, ex florentissimo isto campo flores aliquot decerpere: id

quod antequam fiat, dicendum reſtat, quid titulus operis ſibi velit ita inſcripti: *Tomus I ſive IV de rep. Hebræorum.* Nimirum non ita pridem ab iisdem bibliopolis, quorum ſumtu Basnagianum opus in lucem prodiit, Gallice converſum editum eſt Opus Cunæi, adjunctis additamentis Goræi, duo volumina explentibus. His igitur annumeratus primus liber Basnagii ſit quartus, ſimulque monentur hoc ipſo lectores, conjunctim triumvirorum horum de Rep. Hebræorum ſcripta eſſe emenda. Sed jam audiamus ipſum Cl. Basnagium, qui ſtatim *Lib. I cap. I* contra Cunæum negat, Moſem eſſe primum legislatorem, contendens, Respublicas, quæ magno numero ante eum exſtiterint, carere legibus haud potuiſſe. *Cap. III* fertilitatem terræ Cananææ demonſtrat, & objectionem Tolandi, quem non nominat, ex Strabone factam, erudite & prolatis in contrariam partem teſtibus, diluit. *Cap. VI* de ignorantia rerum Judaicarum, in qua Ethnici verſati ſunt, diſſerit. Plures ejus affert cauſas, quas breviter repetemus. Primo, inquit, natio Judæorum erat antiquiſſima, ejusque ex Ægypto exitus incidit in tempora, quæ ethnicos Hiſtoricos & Poetas, qui exſtant, præceſſere. Deinde Moſis libros ethnici non poterant legere, ſcriptos quippe lingua ignota: nec multum profuit ipſis Græca verſio regnante Ptolemæo Philadelpho adornata, Ægyptiis quippe ſuæ gentis antiquitatem longe ultra origines Judæorum evehere omni ſtudio annitentibus. Tertio ethnici hiſtoriam Moſis habebant pro enarratione rerum tempore mythico geſtarum, adeoque minus fide dignarum. Quarto populus Judaicus ſuis concluſus montibus haud ſane tantum edebat ſplendorem, ut operæ pretium putaretur, originem ejus & fata inveſtigare. Denique mirum eſſe negat, quod ethnici religionem Judæorum, & parum cognitam & a ceteris ſacrorum ritibus toto cœlo diverſam variis conſperſerint mendaciis frivolisque interpretationibus. Similem enim hodie quoque hiſtoriam proditurum, ſi quis quamcunque ſectam Chriſtianorum deſcribendam ſuſcipiat ex adverſariorum relationibus. Hinc tandem concludit, magnopere peccare, qui ex ethnicorum de Judæorum rebus narratiunculis hiſtoriam ſacris literis traditam impugnare non erubeſcant. *Cap. VII* Cunæi ſententiam de cauſa odii Ægyptiorum in Judæos refellit. Hic docte ediſſerit, quæ Manethon

Manethon eumque secuti Africanus, Eusebius & Syncellus tradant de Pastorum dynastia in Ægypto, a Josepho de Israelitis intellecta, a recentioribus autem viris doctis de singulari quadam gente, hæc, inquam, omnino de Israelitis capienda esse, quorum historia consulto a Manethone corrupta sit: qua in re haud dubio secutus est Cl. Perizonii vestigia, cujus in Originibus Ægyptiacis cap. XIX diligentissima exstat ea de re commentatio. Hinc ostendit Noster, omnino a religionis Ægyptiorum ac Judæorum differentia hujus odii causam esse arcessendam. *Cap. X* de sceptro Judæ ex oraculo Jacobæo disquirit. Cunæus lib. I cap. 9 præfatus, nullum esse in sacro codice oraculum, quod magis sollicitatum ab eruditis & minus intellectum sit, primus veram ejus sententiam invenisse sibi visus est, ratus, hujus vaticinii complementum incidere in tempora Roboami, cum tribus Judæa, scisso in contrarias partes populo, suam sibi Remp. habere seorsim ab Israelitis cœpit, quæ de solo Judæ nomine Judaica dicta tamdiu duravit, donec Christus in orbem venisset, post cujus ex orbe discessum Judæi Remp. suam habere desierunt. Hanc tamen sententiam, magna licet veri specie gaudentem summoque ornatam studio, non comprobat Cl. Basnagius, sed existimat, tribum Judæ omni tempore prærogativam præ ceteris habuisse, a qua etiam Judæi nomen acceperint, & Hierosolymis sacra exercuerint & Remp. habuerint, usque dum post adventum Messiæ dispersi, & æque, ac reliquæ tribus, confusi sint. *Cap. XI* ostendit, synedrium non esse ejus antiquitatis, quanta vulgo ei tribuitur, sed ejus originem ad Maccabæorum tempora referendam esse. Noster, cum Historiam Judæorum emitteret, se primum hoc vidisse putarat: at ex illo tempore Conringii scriptum de Rep. Hebræorum legit, in quo cum repererit eandem sententiam, ei inventionis gloriam lubens concedit. *Cap. XII* rursus Cunæo adversatur, statuenti, Deum utique ipsum voluisse, ut Rex præesset Judæis, nec proinde Judæorum desiderium Deo displicuisse, sed tantum querulas eorum & seditiosas adversus Samuelem voces. Noster e contrario demonstrat, Deum omnino exarsisse, quod Israelitæ Theocratiæ pertæsi Regem postularent. Addit, *1 Samuelis IIX* non describi, quid Regi liceat, sed quid facturi Reges sint per summam licentiam. Dictum hoc Samuelis

muelis uberius illustrat & ab assentatorum regiorum cavillationibus asserit in Præfatione §. *num. 2*, ubi inter alia notat, שרש non semper significare *jus*, sed interdum *morem* sive *consuetudinem*, etiam *pravam:* idque probat ex 1 Sam. II, 13 & XXVII, 11. Eodem hoc *Cap. XIV* contra Cunæum &, qui secutus eum est, Spencerum negat, Davidem ipsum 1 Sam. XXX, 7 vestem sacram Ephod induisse. *Cap. XV* sententiam Josephi, quod Sesacus Rex & Sesostris Herodoti sit idem, propugnat contra Perizonium, hujusque rationes cap. IIX & IX *de Originibus Ægypt.* allatas diluit: eadem occasione explicans duo loca Jeremiæ, cap. XXV, 26 & cap. LI, 41, ac statuens, Sesacum Regem a Babyloniis consecratum & pro Deo cultum esse. *Cap. XVI Sect. III* copiose docteque subductis rationibus ostendit, Tobiæ librum esse suppositititium, & post natum Christum demum confectum. Sic & *Cap. XIX* examinat historiam Judithæ, ac Montfauconii conatum pro illius veritate plane irritum esse, summis contendit viribus. Denique occasione captivitatis Judæorum *Cap. XVI* & sequentibus usque ad *Cap. XXII* accurate persequitur Regum illorum historiam, a quibus victi subactique fuerunt Israelitæ, Sennacheribi, Assachaddoni, Nebucadnezaris, &c.

Illustrato sic libro I Cunæi, secundum librum, uti jam prædiximus, sicco pede transit, progressus ad tertium, de Judæorum ecclesia agentem. Atque ita *Lib. II Cap. I* de fide protoplastorum post lapsum differens, ostendit, inter Cunæi sententiam, statuentis, vaticinium illud de semine mulieris, caput serpentis contrituro, non potuisse a primis parentibus nostris capi de Messia, si id secuti essent, quod verba sonant, & inter Theologorum plerorumque opinionem, credentium, protoplastos perspicue cognovisse omnia in illo vaticinio latentia, media via incedendum esse. Scilicet illos cognovisse aliquem Redemtorem, sed admodum obscure, eumque ordinem servasse Deum, ut successu temporis notitia de Messia subinde reddita fuerit clarior. Huc referendus est §. *V* Præfationis & *VI*, quorum priore de Cabbala Judæorum Cl. Autor disserit, notans errorem Cunæi, ejus originem ad Mosem referentis, qui orali traditione mysticas Scripturæ S. interpretationes propagavit: cum tamen de usu hujus Cabbalæ nullum reperiatur

periatur vestigium in Davidis, Salomonis, ceterorumque sacrorum scriptorum monumentis. Ceterum quod ad loca Pauli a Cunæo ex Cabbala derivata attinet, negat hoc perfugio opus esse, ratus, Apostolum mirificis Judæorum interpretationibus tanquam argumento κατ' ἄνθρωπον usos esse. Paragr. posteriore, nempe sexto, de notitia Judæorum circa Messiam differit, improbataque Cunæi opinione, qui Judæis solam religionem naturalem tribuit, in eam sententiam concedit, Judæos omnino veram de Messia fidem habuisse, sed post Babylonicam captivitatem valde corruptam. *Cap. II* statuit, memorabile spatium intercessisse inter creationem hominis & ejus lapsum, ac proinde eos errare, qui eum putent eodem die & creatum esse & lapsum. Moris enim esse Scripturæ sacræ, strictim narrare res gestas, adeoque ea arctius connectere, inter quæ longum temporis intervallum intercessit. Unde & statuit, Sethum exiguo tempore post Abelis cædem natum esse, quia suppleviſſe dicatur locum Abelis. Locum *Genes. IV, 26* ita explicandum censet: *Hoc tempore cœpti sunt fideles nominari a nomine Dei, id est, filii Dei, quem in modum impii Genes. VI dicti sunt filii hominum.* Multis etiam agit de confusione linguarum Babelica, & Clerici ac Perizonii sententias diligenter examinat. *Cap. III Sect. I* negat, veram religionem in una tantummodo familia fuisse: Mosem enim non describere universam historiam ecclesiasticam, sed illam duntaxat stirpem, ex qua oriundus sit Messias. Quod autem in aliis quoque nationibus vera viguerit religio, licet major, ut fieri solet, improborum esset numerus, liquere putat ex historia Jobi, Sodomæorum & Melchisedeci. De hoc *Sect. II* separatim agit, refellens Cunæum & Gaillardum, ostendensque, eum fuisse pium Regem in Cananæa, hac occasione explicat, quæ de Melchisedeco leguntur in epistola ad Hebræos. *Cap. IV* de idolatria Israelitarum agens, *Sect. I* agit de Ægyptiorum theologia, refutans eos, qui Chamum existimant incoluisse Ægyptum & ab Ægyptiis sub nomine Jovis Hammonis adoratum esse: repudiataque Kircheri opinione, quod sub Osiride & Isidè adumbrentur Adamus & Eva, itemque Noachus cum uxore, statuit, Osiridem & Isidem esse Solem atque Lunam nec minus Serapin esse Solis imaginem. Docet igitur, Ægyptios, diversos siderum influxus sub cer- p. 387 sq.

tis ſymbolis repræſentare volentes, magnum excogitaſſe numerum figurarum, quarum ſignificatio ſenſim oblivioni tradita fuerit. Hinc concludit, cum Oſiris, Serapis & Hammon non ſignificent hominem quempiam, ſed Solem, errare eos, qui ſub nomine Hammonis latere Chamum arbitrantur. Id quod *Sect. II* uberius perſequitur & nomen Hammonis deducit a חמה, *calor* ſive *Sol.* Thamus quoque, qui apud Ezechielem a feminis deploratur, Noſtro eſt Sol, quem diſcedentem luxerint eodemque redeunte exultarint. *Sect. III* de Teraphim exeurrit longiſſime, docens, eos fuiſſe parvas ſtatuas humanas, ſub certis conſtellationibus fabricatas, quibus virtus tribuebatur ſignificandi futura. Sequentibus ſectionibus de reliquis idolis agit, Moloch, Remphan, Baal-Peor, Baal-berith, Baal-Tſephon, Beelzebud, de quo novam profert opinionem, id nominis ſignificare Baal Zebaoth, id eſt, dominum exercituum. Hinc tranſit ad argumentum de prædictionibus Prophetarum, & *Cap. V* refellit Petitum, qui prophetandi artem quandam ſtatuit, certumque requirit eo fine temperamentum, prætereaque animæ vim quandam futura cognoſcendi inſitam tribuit. Pariter *Cap. VI* eos confutat, qui ſtatuunt, imaginativam facultatem Prophetarum agitari violenter, ut actiones edant indecentes ac ſtolidas. *Cap. VII* de falſis prophetis ſermonem habens, quos in fanaticos & magos diſtinguit, delabitur ad oracula, proponitque quæſtionem, utrum oracula ethnicorum inſpirata fuerint a diabolo, an dicta fictaque ab impoſtoribus ſacerdotibus. Fatetur, poſteriorem ſententiam hodie fere ſuperiorem eſſe, poſtquam ejus defenſorem doctiſſimum ſe præbuerit Dalius, politiſſimum Fontenellius. Addit, Patrum Eccleſiæ in priore ſententia conſenſum eſſe merum præjudicium, quo repudiato *Cap. IIX* pluribus eam in rem inquirit. Cumque vulgaris opinio a Balto in Reſponſo ad Fontenellium defendatur conſtanti & generali traditione Patrum Eccleſiæ, Noſter e contrario affert aliam traditionem conſtantem & generalem, nempe Prophetarum veteris Teſtamenti, qui divinitus inſtincti errare non potuerunt. Scilicet hi nusquam dixerunt, falſos Prophetas, quorum infinitus ea tempeſtate erat numerus, agitari a diabolo: quod quidem facere judice Noſtro debuerunt, ſi id ita fuiſſet; ſed eos eſſe impoſtores populi. Moſes quoque *Deut. XIII* falſos

falsos prophetas describens nullam plane mentionem facit commercii, quod habeant isti cum diabolo, sed tantum accusat eos impostura & studii homines ad idololatriam perducendi. Bileamus etiam legitur Deum consuluisse, non locutus esse instinctu Satanæ. Sic & Elias prophetas Baalis sub regno Achabi non accusat commercii cum diabolo, imo ita loquitur, ut sermo ejus minime quadret in homines a diabolo inspiratos, sed tractat eos pro impostoribus & mendacibus. Objicit quidem Baltus locum *1 Reg. XIIX*, ubi Deus dicitur mendacem immisisse Spiritum falsis prophetis, qui vaticinabantur coram Achabo & Josaphato Regibus: sed Noster respondet, ex hoc loco plane contrariam sententiam probari posse. Scilicet hanc fuisse meram visionem Michæ, similem illi, quæ exstat in libro Jobi de colloquio Dei cum Satana in cœlo. Deinde si quis inhærere velit huic visioni, ei secundum Cl. Autoris sententiam statuendum est, Deum ipsum immittere dæmones falsis prophetis, & diabolos non audere afflare falsos prophetas, donec facto in cœlum itinere ibi acceperint dimissum ea de re mandatum una cum prosperi successus promissione. Quando porro objicitur, Beelzebub in N. T. vocari principem diabolorum, Achasiam vero Regem olim misisse consultum illud Numen, Noster respondet, Pharisæos, postquam ex captivitate redissent Babylonica & cum Græcis commercium cœperint habere, ab ethnicis hausisse doctrinam de dæmonibus bonis malisque, adeoque non ex vero judicasse, sed ex præjudicio. Provocat etiam ad Hoseam prophetam, qui *Cap. IX, 7, 8* describat pseudoprophetas, quod sint stulti, non, quod sint agitati a diabolo. Ceteros quoque prophetas testes citat, dicentes, idola esse *nihil*. Tantum abest, inquit, ut ea animari dicant a diabolo, ut potius confirment, ea plane inutilia esse, aures habere, nec audire, oculos, nec videre. Ex quibus verbis porro concludit, aut Davidis ævo nondum eo provectam esse impostutam, ut statuæ viderentur loqui, fiere, sudare, quas fraudes etiam sacerdotes Papæi imitati leguntur; aut Davidem talia habuisse pro meris hominum impostutis. Hinc jam concludit, in toto V. T. nihil exstare, unde colligi possit, diabolum loqui per os falsorum prophetarum vel statuarum: quæ tamen doctrina, si quidem vera esset, non posset non passim legi in scriptis Prophetarum,

tarum, qui perpetua habuerint cum pseudoprophetis certamina, & quos odiosissimos reddere potuissent, si, eos cum diabolo habere commercium, dixissent. Ceterum quod Patres ecclesiastici vaticinia oraculorum & pseudoprophetarum tribuerint diabolo, id deberi philosophiæ Platonicæ, qua fuerint imbuti. Lectorem non pœnitebit, his junxisse Præfationis paragraphum quintum, in quo Cl. Autor plura in suam sententiam affert. *Cap. IX* examinat autoritatem Patrum Ecclesiæ in hocce argumento. Primo observat, Patres illos tantum potestatis diabolo tribuentes in homines, quantum ne Deo quidem concedant, imprudenter labi in Manichæismum: deinde eos, qui hanc in rem producantur, esse theologos minus accuratos, e. g. Tertullianum, Lactantium, Arnobium. Porro Patrum nonnullos, v. g. Eusebium & Origenem, oracula ethnicorum potius impostura hominum tribuere, quam instinctui diaboli. Denique non omnes Patres hæreticorum, e. g. Montanistarum, vaticinia & ecstases tribuere diabolo, sed multos insaniæ & morbo mentis. Inde probasse sibi videtur, falso venditari hancce traditionem pro universali. *Cap. X* disserit de Sibyllinis illis oraculis, quæ a quibusdam Patrum referuntur ad inspirationem diaboli, qui historiam de Jesu Christo & ejus evangelio diu ante Christum natum composuerit: ab aliis ad inspirationem Spiritus sancti, ethnicos illa edocentis. Omnes vero Patres oracula illa habuere pro genuinis, cum tamen eos a quodam Christiano seculo II conficta esse, Blondellus evicerit, contrarium frustra tuente Crasseto, cujus ratiunculas labefactat & convellit Noster. Qui & *Cap. XII* fundamenta historica traditionis Patrum de oraculis a dæmone inspiratis examinat. Nimirum narrant Patres, diabolos tacuisse, statuas suas deseruisse, templis excessisse, seque dæmones esse fassos, Christianis eos ejicientibus. Sed Noster non est credulus illis. Dicit, Patres talia referentes declamatores potius agere, quam historicos, nec solum perpatica memorare exempla, sed & omittere circumstantias factorum, ad ethnicos de rei veritate convincendos plane necessarias. Nec Cypriano, *dæmones afflatu suo extorum fibras animare, avium volatus gubernare, sortes regere*, scribenti Noster fidem habet. Imo cum idem Cyprianus refert, diabolos *a Christianis adjuratos ejulare, gemere, deprecari*,

precari, unde veniant & quando discedant, ipsis etiam, qui se colunt, audientibus confiteri; item cum Tertullianus narrat, patrem mendacii non audere mentiri Christiano, sed roganti illico confiteri, se esse diabolum; Noster contendit, vel potius ostendit, has meras esse fabulas. Hac occasione historiolam de Gregorio Thaumaturgo, qui dæmonem in Apollinis æde sua præsentia fugatum per epistolam reverti jussisse fertur, ridiculam & indignam fide pronuntiat. Ubi recordamur, eandem a Centuriarum Magdeburgicarum autoribus annumerari *fabulis mendacibus ac superstitiosis, quas monachorum finxit otiosum genus.* Sic & historiam de Babyla, a Chrysostomo compositam, ne veri quidem similitudinem ullam habere judicat, quando scilicet narrat, eum Imperatorem quendam, qui alterius Principis filium, obsidem sibi datum, necarit, aditu templi Christiani prohibuisse, ob ejusque corpus juxta templum Apollinis sepultum oraculum illud respondere desiisse. Hæc igitur falso narrari, multis argumentis docet Cl. Autor noster. *Cap. XIII,* quod postremum est, ipsa ethnicorum testimonia de sacerdotum circa oracula impostoris profert. Ostendit primo, ethnicorum e re fuisse, ut crederentur oracula esse vere a Deo profecta: ceterum, cum ii pœna mortis imposita prohibuerint sub examen vocare oracula, tamen multos fuisse qui eorum impostoram literis prodiderint: ex quo sequatur, impostoras illas fuisse manifestissimas. Deinde docet ex Eusebio, sæpius magistratus ethnicos sacerdotes fraudis convictos puniisse: citat Autores ex ipsis ethnicis, qui de sacerdotum impostoris ferant testimonium: affert exempla Principum, qui sacerdotes pecunia corruperint, ut ederent oracula sibi grata. Cum vero ad hæc Baltus respondeat, posse quidem concedi, sacerdotes sæpe impostoras admisisse circa oracula, sed propterea tamen quædam oracula vere fuisse a diabolo inspirata; Noster ostensum it, jure omnino omnia oracula fraudis esse suspecta.

HENRICI HULSII COMMENTARIUS IN Israelis Priscі Prærogativas ac Bona sub Vet. Test.

Lugduni Batavorum, apud Samuelem Luchtmanns, 1713, 4. Alph. 5 plag. 3.

IN hoc volumine selectas varii argumenti Exercitationes exhibet venerandus Autor, nec vulgata tantum & recepta placita tangit, *Cocceji* vestigiis ubique insistens, sed paradoxa etiam sectatur, ut ipse in Præfatione fatetur, ad salivam sacrarum literarum cultoribus movendam. In duas autem Sectiones Commentarium hunc dividit. In prima causam potissimum agit Judæorum, Veterisque Testamenti. Altera materias priscas affines complectitur, eaque simul exhibet argumenta, quæ scrupulos eximere, & Fratrum dissidentium disceptationes finire queant. Ita e. g. in præcepto Decalogi de *Sabbatho* distinguit primum Sabbathum Decalogi a Sabbatho postea accedente Levitico ac Ceremoniali, probatque, utriusque originem ac institutionem cœpisse in deserto,
pag. 492. quanquam prius illud in Decalogo ratione tum recordatorii signi, tum finis in perpetuum vigeat, debeatque vigere, & distinctum sit a Sabbatho Ceremoniali & accessorio, quod rigorem atque umbras, quarum corpus est Christus, & chirographa exprobrantia in se continuerit, quod & post vituli cultum, fractis primis fœderis tabulis, eo tempore accesserit, quo velum faciei suæ Moses imposuit. Conciliationem divinæ determinationis cum voluntatis humanæ libertate ita vult institui, ut primo concipiatur influxus Dei ministerialis, qui ad integrandum hominem, & facultates ejus perneccessarius sit, & qui absque dependentiæ famulantis nota, ad jussa voluntatis humanæ semper adsit, & membra corporis determinet moveatque. Ipsa quippe membra nec mentis jussa audire, nec mentem, quæ Spiritus est, corporea tangere & movere posse. Hoc igitur unice provenire a Deo, in quo simus, vivamus, & moveamur. Ut hinc ea determinatio Dei hominis etiam determinatio sit sua parte ac re vera se ipsum determinantis, atque sic libera, utpote ab alio non pendens, spectari dicique debeat. Huc accedere, quod quantumcunque etiam Deus impellat & moveat, actio tamen non actualis exseratur, nisi per propriam liberamque hominis se ipsum determinantis potestatem. Quibus præmissis Dissertatione I agit de Jehova Deo Rege ac Duce Militari in prisco Israele, quod Dei imperium ad Samuelem usque duravit, quo
26 tempore populus, repudiata Θεοκρατείᾳ Regem humanum sibi expetiit & impetravit, ita tamen ut non obscura priscinæ Theocratiæ

tiæ indicia ſub ipſis Regibus ſubinde eluxerint. Quo Autor refert crebra illa judicia miraculoſa divinitus, & per angelos Dei miniſtros illata, nec non ſummam illam Prophetarum, legatorum Dei, loquendi agendique autoritatem & παῤῥησίαν coram Regibus, quod ab imperitis Paſtoribus minus recte intelligatur, quando pertrahunt ad tempora N. T. Ad regiam hanc & legislatoriam in foro Hebræorum civili directionem, quæ externam duntaxat regiminis rationem ſpectet, refert etiam permiſſionem divortii, non quod licitum illud fuerit, ſed quod pœnam afflictivam corporis aut mortis delinquentibus in foro civili non conſtituerit Moſes. Ita in polygamia Patriarcharum ævo obtemperaſſe Deum, qua legislatorem externum, mori & conſuetudini ſeculi inolitæ, & Caini fratricidæ remiſiſſe pœnam temporalem in illa hominum paucitate, æterna ſalva ac permanente. Ex Dei Ducis militaris præfectura derivat leges de paucis equis & machinis bellicis habendis, paucisque copiis in aciem educendis, & de fœdere cum gentibus non ineundo, quod Deus populi Iſraelitici Dux ac Conſervator ſociorum auxiliis non indigeret. Illas vero leges & promiſſiones de auxilio Dei immediato & miraculoſo hodie ad noſtras neceſſitates ſine gravi Dei tentatione applicari non poſſe. Diſſertatione II agit de *Schechinna*, ſeu propinqua Dei in Iſraele præſentia ac habitatione. Illam enim ad certam S. S. Trinitatis perſonam non reſtringit. Montem *Moria* a videndo & reſpiciendo appellatum eſſe cenſet, quod Deus ibi apparuerit, Gen. XXII, 14. In columna nubis & ignis Chriſtum fuiſſe putat, Faciem Patris, quæ comitari populum debuerit, cum ut interceſſor, protector, & dux populi ſui, tum ut Sapientia ac Sermo loquens cum populo. Fuiſſe autem columnam hanc præludium ac figuram Dei incarnandi, viſibile præſentiæ divinæ ſymbolum, certum comitem ac ducem in itinere, ſacramentum item protectionis ac lucis, Eſ. IV, 5. *Spencerum*, qui arcæ fœderis originem a gentium ſuperſtitione derivavit, refellit, & exiſtimare mavult, gentiles, imitatorium pecus, ex Moſe potius omnia hauſiſſe ſua, tum quod ipſi hoc ſatis aperte fateantur, tum quod pro Diis coluerint Hebræorum Heroes. Nomina *Angelorum*, *Cherubim*, *Seraphim* non ſpecies certas creatas eſſe putat, ſed nomina officiorum, quæ perſonis divinis, hominibus & Angelis

P. 32. 45. 52. 55. 57. 58.

p. 295. lis in Scriptura tribuantur. Vocem כהן proprie & ſecundum vim etymi *propinquum* in genere notare putat. Ita civili ratione, *Cohen Davidis* eſſe proximum Davidis, 2 Sam. XX, 26, filiosque Davidis *Cohanim*, 2 Sam. IIX, 18. Deinde *Cohen* eſſe Sacerdotem, qui via clauſa per expiationem, propinquitatem & appropinqua-
508. tionem iterum inſtauret. In feſto Expiationis non bovem & arietem, ſed hircum, viliſſimum ex mundis animal, olidum & horridum, immolandum fuiſſe opinatur, ad peccatorum fœditatem, &
510. ortam inde δυσωδίαν in Dei naribus, indicandam. Negat, per hircum emiſſarium factam eſſe expiationem, cum ſuper eo ante dimiſſionem expiari legatur *verſuto*, & diſerte unus tantum in expiationem offerri dicatur *verſ. 9*, alio vivo relicto, dimiſſo, & ex-
513. piationem potius accipiente, *v. 10*. Hujus enim dimiſſione indicari magnam illam redemtionem, libertatem ac dimiſſionem, quæ
512. nobis parta ſit morte & ſacrificio Chriſti. Nomine *Azazel* ſignificari credit ſive *capræ ſemitam*, ſive potius capram libere dimiſſam,
519. libereque vagantem. Ipſum Hircum ſignificaſſe putat *Pareſin* famoſam, aut ſtatum remiſſionis imperfectum ſub Vet. Teſt. Quod & homicidæ involuntarii in aſylo usque ad mortem S. Pontificis, ante quam non plene liber erat, concluſio olim indicarit. Apoſto-
530. los die Pentecoſtes Act. II in cœnacula Templi adſcendiſſe cenſet, quum domus ſecunda Spiritu, & reſtitutis quinque perditis rebus in veritate, & ita gloria majori quam prima, repleretur. In Templo enim plurima עליות ὑπερῶα, cœnacula, & לשכות *cameras* fuiſſe.
532. De Viduis & Diaconiſſis Vet. Eccleſiæ diſſerens obſervat, neminem de nuptiis olim cogitaſſe, niſi prius Eccleſiam, h. e. Epiſcopum, ſacerdotes & viduas, in conditionem & mores inquirentes, conſuluiſſet, tum ne parva manus Chriſtianorum conjugio forte gentilis, aut hæretici, aut Judæi, polluceretur, tum ne conventus Chriſtiani per membrum leve ac lubricum accedens forte proderentur. Potuiſſe etiam ſic de futuri conjugii conſuetudine, moribus, & officiis prius informari. Atque hoc eſſe matrimonium, quod *Eccleſia conciliaverit*, de quo tanta cum prædicatione TERTULLIANUS agat Libro II ad Uxorem. Jephtæ
534. filiam non immolatam, ſed Domino dicatam & conſecratam fuiſſe opinatur, ut abſtinuerit a commercio maritali Jud. XI, 39, ubi in

in executione voti ſolum dicatur, nunquam viri compos facta. Non tamen ex filia monialem feciſſe Jephtam, licet eam plangendi cauſa ad montes dimiſerit. Neque etiam tuliſſe ſtatam monialium ac feminarum in conclavibus Templi manſionem externam ſacrorum ceremonialium puritatem, ſancte cuſtodiendam, nec menſtruo polluendam unquam, quæ manſioni repugnet. Cherubum in aditu Paradiſi collocatum Angelum fuiſſe contendit, flammante ac intercludente igne partim legis executionem & damnationem infernalem præfigurantem, partim errorem a via gratiæ inſtauratæ in promiſſione prima præcaventem, & in tramite ducentem. Epiſtolam ad Coloſſenſes potiſſimum conſcriptam eſſe dicit contra *Angelicos*, qui non tam fuerint gentiles Platonici, nec priſcæ Oeconomiæ, Deorum horum in cœlo olim ſubjecti Judæi, nec mundum ab Angelis Creatoribus deducentes Hæretici, ſed poſt ex his collecti Judaizantes, & legale cum Evangelio retinentes, ac copulantes Chriſtiani. Innumeræ hujus generis obſervationes ubique comparent in hoc Volumine, ſed dolemus, neceſſarios rerum verborumque indices ſub finem non eſſe adjectos.

p. 535. 594. 596.

VETERIS TESTAMENTI SACRIFICIA brevi & dilucida ratione expoſita; Autore DAVIDE GSELLIO, Dynaſtiæ Recknenſis Eccleſiaſte.

Duisburgi ad Rhenum, 1712, 8.
Plag. 15.

CAlvini, quem magni Theologique ſolidiſſimi & ſubtiliſſimi elogio mactat, partibus addictus clariſſimus Autor, magnæ molis voluminibus, in quibus ſæpe דבר רבר Eſ. LIIX, 13 minime, διδλαφθόιος vero delectatur potius, hinc breviter, nec tamen ſine lectionis apparatu de ſacrificiis disquirit, accentuum in vocibus Græcis plane negligens. Numeroſiorem prolem, dum ſcrinia excutit, lectori promittit, quod ſpem doctioribus facit, longius in poſterum Gſellii induſtriam eſſe progreſſuram. In genere, tum vero poſtea & ſpeciatim ſacrificia percenſet, Aſcenſionis ſeu holocauſti, pacifica ſeu ſalutaria, piacularia, munera ſeu ferta, & quacunque demum alia ratione illa fuerint nominanda. Non de-

Præf.

pag 1. sunt, quæ ſigillatim annotari merentur. Sic de veſtibus Protoplaſtorum, intento ſemper ad Servatorem oculo, bene diſſeritur, nec minus de rationibus & cauſis, cur in Ægypto ceſſaverint Sacrificia,
20 ſeqq. advocato in partes Plutarcho, qui in Libro de Iſide & Oſiride inprimis illud Eunapii ſuſtinuiſſe elogium fertur, quo φιλοσυφίας
22 ἀπάσης ἀφροδίτης καὶ λύρα appellitetur. Ægyptus vero & porro male inprimis audit, quod ex vulgari Canone, quo accuſetur regionis ſpurcities, habitare licitum dicatur in univerſo mundo,
26 ſeqq. excepta Ægypto. De Sacrificio turturum & columbarum fuſius deinceps diſſeritur, (paſſeres adhibiti quidem, ſacrificati vero minime perhibentur) columbasque, quas dixi, ideo fuiſſe mulieribus permiſſas, creditur, quod ob frequentes, quæ his obveniant
33 ſeqq. impuritates, ſumtuum ita faciendum compendium fuerit. Myſticæ ſacrificiorum accommodationes poſt hæc traduntur, ſuavis fragrantiæ inprimis odor, inſperſis paſſim obſervationibus eruditis, lectione concoctis, nec ſemper & ubique obviis. Conſenſus et-
40 ſeqq. iam Judæorum minime negligitur, quando cum Doctoribus Chriſtianis conſpirant, & liber Zohar, qui chriſtianiſſimus Schikardo, Noſtro antiquiſſimus myſteriisque divinæ ſapientiæ refertiſſimus
43 ſalutatur. Illud eſt, quod, nec ſine cauſa Autor miratus eſt, eo-
50 dem, quo agnus Judæorum Paſchatis, menſe, die & hora Chri-
61 ſtum, noſtrum veriſimum Paſcha, mactatum eſſe. Ariel quid fuerit Eſ. XXIX, 1, 2, pererudite Autor indaget, qui & de Sacrificiis Adæ, igne in genere, aliisque thematibus, Scripturæ ſcrutatori perjucundis, paſſim tradit, & de more, quo Sacerdos in aſperſione illum aſpexerit, pro quo fiebat oblatio, peropportune docet.
78, 137. Bochartus *virorum vir* imo *ſummus* alicubi audit. Extrema Jo-
84 hannis hora 1 Joh. II, 18 de diebus Meſſiæ non ſine eruditionis
85 apparatu exponitur, & caput Eſaiæ LIII etiam contra Grotium, qui ſacrarum literarum audax ſubinde Criticus dicitur, vindicatur, ac, quod Judæi quoque de Meſſia illud intellexerint, docetur. In animalibus ſacrificalibus, iisque ſingulis quandam fuiſſe ad
90 Chriſtum σχέσιν & habitudinem, oſtenditur, & cur piſces hic exu-
97 ſeqq. laverint, inveſtigatur. ὀρθοτομῶν Paulinum 2 Tim. II ex hi-
106 ſtoria Sacrificiorum declaratur, niſi forſan ad *μερισμὸς* Judæorum, qui Scripturam in חמשרות ſeu certas ſectiones tribuerint, alludatur.

tur. Ad Christum omnia diligentissime accommodat Autor, Pontificios passim stringit, sacrisque suis ita inhæret, ut pro suis solum, non pro mundo impio Christum effudisse sanguinem ad salutem fateatur palam. Totum mundum alibi per credentes explicat, & in cœna carnem & sanguinem Christi non secus ac in Schelamim comedi, arbitratur. Aves in sacrificiis pacificis removet, meditatione non incongrua usus, quia gratiarum actio non perenni adeo penna avolare debeat. De mensuris denique sacris prolixior paulo subjicitur tractatio, quam, uti & quæ superstunt reliqua, studio non facile pœnitendo cupidior Lector pervolitabit. p. 125. 134. 136. 164. 212 sqq.

REMARKS ON D. GRABES ESSAY &c.

i. e.

ANIMADVERSIONES IN GRABII TENTAmen circa duo Manuscripta Arabica Bibliothecæ Bodlejanæ, &c. Autore GUILIELMO WHISTONO.

Londini, impensis Autoris, 1711, 8.

Plag. 3.

CL. Grabii Tentamen prolixe enarravimus in Act. A. MDCCXII p. 201 sqq. In hisce Animadversionibus illi oppositis Cl. Whistonus ab initio propositione quadam declarat, se, antequam Tentamen illud viderit, statuisse, *Doctrinam Apostolorum* Ecclesiis Æthiopiæ & Ægypti receptam, & in lingua Arabica Oxonii nunc adservatam, quousq; hæc eadem cum illa sit, neq; illa etiam sit tantum epitome Athanasiana libri genuini, genuinam esse, & sacrum Novi Testamenti librum. Rationes sequentes sunt: I, inquit, Seculo IV & V librum quendam sacrum Religionis Christianæ fuisse Διδαχὴν τῶν Ἀποστόλων appellatam. Nos reperire etiam in monumentis Æthiopicis, Ecclesias Æthiopicas, una cum Ægyptiacis & Copticis semper habuisse Διδασκαλίαν Apostolis adscriptam, & genuinam censuisse. Imo Vanslebium & ex eo Ludolphum contenta ejus edidisse. Insimul alium librum nos nescire, qui præter hunc pro eodem cum illo haberi possit. Habendum ergo & pro eodem p. 3. 4.

eodem esse, donec alius compareat, vel argumentum evidens in contrarium afferri possit. II Hunc librum, & hunc solum non posse non esse illum sacrum librum, qui ipso quarto & quinto seculo fuerit. Namque hunc ut Apostolicum istis temporibus Ecclesiis Ægypti & Æthiopiæ receptum esse, atque adeo illas communem istum habuisse cum Alexandria, Patriarchali ipsarum Ecclesia, & cum Athanasio Patriarcha; quemadmodum & hic ipse Athanasius, & Autor Synopseos Sacræ Scripturæ, qui pariter Alexandrinus videatur, testentur, quod istis temporibus liber ejusce-
pag. 5. modi sacer inter Christianos fuerit. III Hunc librum exacte convenire cum Constitutionibus Apostolorum & in Chronologia, & in contentis, & aliis circumstantiis, quantum nunc quidem nobis
6. de illo constet. IV Respondere illum characteribus genuinæ *Apostolorum Doctrinæ* ab antiquis suppeditatis, sive naturam, sive magnitudinem spectemus. Nam, ut liber genuinus, juxta Veterum testimonia, fuerit Catechumenis accommodatus, sic & contenta hujus libri ita comparata esse. Porro, ut liber genuinus fuerit exiguus, juxta Origenem, & antiquam stichometriam, ex qua appareat, quod circiter partem decimam tertiam integrarum Constitutionum æquaverit, sic hunc quoque librum non majorem esse, utpote ab Æthiopibus in triginta octo Capitula vel Canones distin-
7. ctum. Si vero unicuique Canoni eam quantitatem tribuamus, qua eadem Ecclesia metiatur largiorem Constitutionum in brevia Capita vel Canones pariter divisarum Epitomen, Canones hos triginta octo futuros esse circiter partem decimam tertiam nostrarum Constitutionum. V Librum hunc in Arabicis exemplaribus Oxonienſibus idem allegatum continere, quod Origenes ex certo
9 sqq. libello Apostolorum produxerit. VI Præfationem *Doctrinæ Apostolorum* vel in Arabica etiam versione magna γνησιότητ& habere indicia. Quæ etiam tam ex stylo, quam notis temporis & Chronologiæ cum aliis monumentis originalibus convenientibus, parum solide tamen, ostendere conatur. Hisce adductis ra-
12. tionibus addit Scholium, quo notat, quod, antequam exemplar hujus libri Æthiopicum vel Copticum habeamus, difficile fuerit judicare, quousque versio Arabica Oxonienſis genuina sit, vel alterata & aucta. Imo, antequam originale Græcum compareat,

nos

nos plene nobis in hac materia nobis ſatisfacturos non eſſe. Hoc manifeſtum videri, quod *Præfatio* genuina ſit, & quod hic liber, in originali, includat originalem *Doctrinam Apoſtolorum*, e Conſtitutionibus primo ſeculo extractam. Agnoſcit præterea, variis, p. 13.
quas adducit, rationibus motus, quod verſio Arabica neque incorrupta plane *Doctrinæ Apoſtolorum* eſſe, neque eadem, quæ Æthiopica & Coptica, continere poſſit, ſed opus ſit relationem cum illa habens, &, ut ſuſpicatur, tranſcriptum plenius harum partium conſtitutionum, quarum originalis *Doctrina Apoſtolorum* brevis epitome fuerit. Neque impoſſibile eſſe putat, quod ſit epi- 14.
tome Clementinarum, quarum mentionem fecerit Autor Synopſeos Sacræ Scripturæ. Niſi ipſæ prolixiores ſpuriæ Conſtitutiones Æthiopicæ pariter in illam relatæ ſint. Quantum ad objectiones Cl. Grabii, has potiſſimum ſpectare dicit Autor Arabicam editionem, atque ſic contra alias in genere nihil valere. Vel, ubi Præfationem, vel Librum in genere adoriantur, communibus illas & magnis erroribus niti. Nam (1) Jacobum, fratrem Domini Noſtri, A. D. 67 fuiſſe utique in vita; ut in Tentamine circa conſtitutiones p. 42 ſqq. oſtenderit. (2) Objectionem de magnitudine libri Arabicam tantum verſionem petere. Imo exactam convenientiam exemplarium Æthiopicorum & Copticorum jam validum pro illis argumentum ſuppeditaſſe. (3) Parum congrue- 15.
re obſervaverat doctiſſimus Grabius, Jacobum Epiſcopum martyrem vocari in *Doctrina Catholica*, vel Lib. V Conſtitutionum, & tamen præſentem fuiſſe dici, quando hæc *Doctrina Apoſtolorum* inde extracta ſit. Sed reſpondet Cl. Whiſtonus, quod prima editio *Doctrinæ Catholicæ*, cujus Epitome facta fuerit in prima editione hujus *Doctrinæ Apoſtolorum* ex quatuor & viginti tantum Canonibus, Jacobi Martyris mentionem non faciat. Deinde, quod caput octavum Libri V, in quo Martyr dicatur, non ad primam, ſed tertiam & ultimam editionem *Catholicæ Doctrinæ* pertinere videatur. Illum, qui accuratius Opus illud ejusque Compendia perluſtret, facile videre, non una vice, ſed diverſis temporibus illud abſolutum eſſe; & juxta Epitomen ejus *Doctrinam Apoſtolorum*, ut fuerit, ſervatam cum illo convenire; ut adhuc appareat ex tribus partibus ejus alibi diſtinctis. Neque epitomen aliquam

apparere in hoc octavo capite usque ad ultimam appendicem, quæ non possit non esse scripta post mortem hujus Jacobi Episcopi.

p. 16. Similiter Constitutiones & Libros V. & N. T. sæpe additiones originalibus Libris recentiores habere. (4) Non infra conditionem fuisse Clementis Episcopi Romani, libros hosce ad varias Ecclesias perferre. Nam Paulum & Barnabam Apostolos, cum Juda cognominato Barsaba & Sila, viris inter fratres principibus, ablegatos esse, ut brevia Acta primi Concilii Hierosolymitani Antiochiam perferrent. Omnem Antiquitatem, & Hermam ipsum testari de Clemente, quod præcipue in ejuscemodi casibus adhibitus sit. Polycarpum quoque Episcopum Apostolicum Smyrnensem cum paucis Epistolis Philippis ab Ignatio fortasse scriptis voluisse Smyrna Antiochiam proficisci; imo certo iviſse Romam similibus de causis, & in provectiori jam ætate.

17. Denique verba Præfationis posse ita etiam intelligi, quod Clemens miserit librum manu sua signatum per electos legatos. His ita pertractatis ultimo loco observari cupit, non impossibile esse, quod Æthiopicum & Copticum exemplar sit Epitome genuini alicujus Athanasiani, quemadmodum valde probabile sit, Æthiopicas constitutiones esse ex genuinis desumtas; quodque prolixius MStum Arabicum pro originali versionem libri genuini adhuc contineat, hunc que Origenes vocare potuerit *libellum*, respectu prolixiorum constitutionum. Imo non impossibile modo illud esse, sed etiam valde probabile, cum versio extra dubitationis aleam verbatim fere ex Originalibus constitutionibus desumta sit: cum idem contineat, quod Origenes allegaverit: cumque ipsam genuinam Præfationem habeat.

18. Has fuisse cogitationes suas Cl. Autor dicit, antequam Cl. Grabii Tentamen viderit. Quid jam dicere habeat post ejus recensionem, in *Observationes*, *Historiam*, & concludentem *Propositionem* distinguit. Ex *Observationibus* potiores seligemus, omissis præcipue generalioribus de modo procedendi Cl. Grabii, iisque,

21. quæ ex ante dictis jam innotuerunt. Sic (3) observat, Grabium adserentem, libri hujus Arabici scopum fuisse, ut contineret totam *Catholicam Doctrinam*, vel sex priores libros Constitutionum, & tamen Præfationem præfixam originaliter adhuc pertinere

nere ad eundem librum, ſibi contradicere. Nam Præfationem hanc in correcta magis Gagnierii translatione non ſolum de *Doctrina Catholica* loqui in genere, tanquam opere diverſo, ſed etiam affirmare, quod liber, ad quem pertinuerit, alius *Liber Doctrinæ* fuerit. Et hanc Præfationem non ad Διδασκαλίαν καθολικὴν, ſed ad Διδαχὴν τῶν Ἀποστόλων pertinere, inde probare Noſter annititur, quod propriùs liber ejus hic non dicatur Διασκαλία, verbo Græco in aliam linguam translato, ſed *Doctrina*, diſtincto verbo Arabico eam notante: quod, obſervante Grabio, Conſtitutiones talem Præfationem non habeant: quodque Paulus præſens fuerit, cum *Doctrina*; ſed abſens, cum Διδασκαλία καθολικὴ fuerit compoſita. (5) Obſervat, Grabium adhuc in ſententia perſiſtere, quod Conſtitutiones noſtræ derivatæ ſint ab *Hippolytanis* & *Æthiopicis*, ſimilibusque minoribus & magis imperfectis *Conſtitutionibus* & *Doctrinis*, poſtmodum autem ab Ariano quodam collectæ. Sed hoc ipſi idem videtur, ac ſi ſomniaret quis, quod plane moderna contenta Capitum Pentateuchi cum paucis verſibus hic illic interſperſis ſolummodo originalia eſſent & genuina, quodque Judæi quidam hæretici tempore incerto libros ad præſentem magnitudinem collegerint, ſuæque nationi perſuaſerint, quod illi eſſent genuini. Grabium enim autoritate deſtitutum eſſe, & naturam variorum librorum cum antiquis citationibus & alluſionibus ſententiam ejus plane improbare. Imo contra ſe antea narraſſe ipſi, quod Dionyſius Areopagita (vel Didymus Alexandrinus) Æthiopicas Conſtitutiones Hierotheo (vel Athanaſio ipſi) adſcripſerit, illasque συνοπτικὰς ὄψεις vocaverit: quod item ab Autore Synopſeos Sacræ Scripturæ hic vel ſimiles libri habeantur pro ſelectis e Conſtitutionibus Clementinis. Quod vero per has ſelectas partes Clementinarum intelligi non poſſit Epitome ſpuriæ editionis Recognitionum vel Clementinarum Homiliarum, obiter Noſter inde probare annititur, quod hæ Clementinæ nunquam ab Antiquis ita appellatæ ſint: quod divinæ inſpirationis notas non habeant: quodque Epitome illa, docente Cotelerio, antiquior non fuerit quam Metaphraſtes, ſeculo decimo, atque adeo ſeculo quinto citari non potuerit. (10) Obſervat, Cl. Grabium ſine judicio ratiocinari, ſi inde, quod Anaſtaſius citet caput ſeptimum

p. 22.

23.

24.

27.

mum libri quarti Conſtitutionum, & poſtea nonum, nihil ex parte quadam capitis octavi allegans, inferat, quod caput octavum in exemplari ejus non fuerit, atque adeo Arabicum exemplar
Pag. 28,29. confirmet partem ejusdem capitis omittens. Num Anaſtaſium ſemper citaſſe, prout tulerit occaſio. (II) Ad *ſecundum* argumentum Cl. Grabii contra γνησιότητα præfationis Doctrinæ Arabicæ, ad quod ut & reliqua jam reſponderat p. 14 ſqq. addit, Grabium rectius inde concludere potuiſſe, præfationem hanc non pertinere ad hunc librum; cum concipere nobis non poſſimus, quomodo impoſtor tam obliviosus & ſtultus fuerit, ut Jacobum pro Martyre fuiſſe habitum, in Libro narraverit, & tamen in Præfatione dixerit Concilio præſentem eo tempore, quo liber fuerit compoſitus. Ad *tertium* per *duodecim* ſæpe notat intelligi debere Collegium Apoſtolorum in Corpore, ut ajunt, ſive tot numero adfuerint, ſive minus. Præterea obſervat, in Latinis tantum Origenis Operibus, male ab interpretibus tractatis, dici, quod nonnulli Apoſtolorum mentionem fecerint jejunii cujusdam in quodam libello; atque adeo ſcire nos non poſſe, an genuina ejus verba habeamus, an minus. Neq; nos certos eſſe, uti Grabius etiam concedat, num libellus, unde citet locum Origenes, ſit ipſa *Doctrina Apoſtolorum*, vel alius libellus uni illorum adſcriptus. Grabium porro, cum videatur confundere Διδασκαλίαν, διδαχὴν, & διατάξεις p. 39 & affirmare p. 62, quod Jacobus unus ex duodecim fuerit, contra omnem originalem, ita ait, autoritatem errare. Quam in rem citat Sermones ſuos
30. & Tentamina p. 182, 196. Reliqua vero argumenta doctiſſimi Grabii imbecillia, absque judicio prolata, & a re aliena judicat, & ani-
35 ſqq. madverſione indigna habet. Obſervationibus datis, in *Hiſtoria*, ſive Relatione, quomodo proceſſerit circa duo hæc MSta Arabica, Cl. Autor ſe a ſummæ temeritatis crimine, ſibi a Grabio imputato, liberare annititur. Quam tamen hic recenſere nihil attinet, cum præcipua momenta, quibus cauſam ſuam palliare contendit, ex ante dictis jam innotuerint. Pergimus ergo ad *Propoſitionem*, qua Cl. Autor exponit ſententiam ſuam, quam nunc habeat de libro hoc Arabico, ejusque Præfatione, poſteaquam Cl. Grabii
41. Tentamen viderit. Ita vero ſeſe habet: „ Præfatio Doctrinæ „ Arabicæ eſt genuina Præfatio originalis *Doctrinæ Apoſtolorum*; ſed

ſed liber ipſe eſt corrupta editio *Catholicæ Doctrinæ*, vel prio-„
rum ſex Librorum Apoſtolicarum Conſtitutionum, ab Athana-„
ſianis ſeculo IV compoſita. „Priori membro, de quo antea, re-
licto, rationes ad poſterius ſtabiliendum ſequentes affert. (1) Quod
hic liber bene conveniat cum deſcriptione orthodoxorum extra-
ctorum e Clementinis, ab autore Synopſeos Sacræ Scripturæ me-
moratorum. Si ergo e Clementis Conſtitutionibus deſumtus ſit, il-
lum non poſſe aliud quid continere, quam quod ſcriptor Athana-
ſianus verum & divinitus inſpiratum crediderit. (2) Quod hæc Pag. 42.
editio omittat omnes illas partes e prioribus ſex Libris Conſtitu-
tionum, quas Athanaſius & Antonius Monachus cum aſſeclis to-
lerare non potuerint. (3) Quod hoc confirmetur ex iis locis,
quibus omiſſio tam incipiat, quam deſinat. Initium ejus eſſe ſta-
tim poſt finem Relationis de Hæreſibus Judaicis, quæ omnes pro
hæreſibus habeantur ab Athanaſio, & ante initium hæreſium a gen-
tilibus exortarum; inter quas ipſa Athanaſiana ſit, & oppoſita
Chriſtiana, vel Ariana doctrina ab ipſis Apoſtolis ſtabilita. Finem
vero eſſe ſtatim poſt Conſtitutiones de ſtatu conjugali; quibus pa-
riter Arianæ quædam doctrinæ interſperſæ fuerint. (4) Quod ante 43.
tempus Athanaſii nihil audiamus de corruptis ejuscemodi editio-
nibus vel epitomis Conſtitutionum, & poſt illud non paucas ea-
rum habeamus, in Eccleſiis nimirum vicinis. (5) Quod vel in ipſo
loco Athanaſii Alexandrini, vel in vicinia illas tantum reperia-
mus. (6) Quod ſimiles omiſſiones inveniamus in *Æthiopicis Con-
ſtitutionibus*; quodque inter eosdem Æthiopes & Coptos *Doctrina*
occurrat ſimilis illi, de qua jam ſermo, imo vel eadem, vel ejus
Epitome, æque ut aliæ parallelæ Collectiones, omnes manifeſte 44.
etiam ſpuriæ naturæ. Jam vero de una illarum Dionyſium Areo-
pagitam, vel Didymum Alexandrinum affirmare, quod hi ὅροι
συνοπτικοὶ & συνοπτικὴ διδασκαλία autorem habeant Hierotheum
vel Athanaſium ipſum; de Div. Nom. c. III §. 2, Eccl. Hierarch.
L. II §. 1. (7) Quod nemo antiquorum de libris hiſce, eorumque
epitomis aliquid memoret, niſi qui probabiliter ſint Ægyptii;
nempe Autor Synopſeos Sacræ Scripturæ, Didymus Alexandrinus,
& Autor Libri de Virginitate, inter opera Athanaſii. (8) Quod 45.
atura interpolationum, mutationum, & additionum ipſarum,

quæ Athanasianæ sint, originem illarum prodat. (9) Quodaddi-
tio Mystagogiæ Athanasianæ, loco originalis Arianæ vel Christia-
næ, ut vocat, Doctrinæ libri sexti secretarum Constitutionum in-
sertæ evidens signum sit ejusdem corruptionis, & simul declaret,
a quo profecta sit. Cumque tam in Æthiopicis & Copticis, quam
Arabicis editionibus ita res sese habeat, inde patere, quod neque
una fuerit omissa, ut Grabius quidem opinetur, neque altera
per accidens addita. (10) Quod præfixa huic Operi genuina
p. 46. Præfatio veræ Doctrinæ Apostolorum argumentum sit impo-
sturæ & corruptionis. Illud enim manifeste factum esse eo con-
silio, ut spuria & hæretica editio Καθολικῆς Διδασκαλίας pro genu-
ina hominibus obtruderetur. Ex his vero observationibus Cl. Au-
tor duo deducit Corollaria, (1) quod Constitutiones Apostolorum,
unde omnes hæ editiones & Synopses manifeste derivatæ sint, se-
culo IV etiam, ab ipsis Athanasianis, adversariis illarum, pro divini-
tus inspiratis habitæ sint; quod eodem, quo nunc, ordine, eadem-
que, qua nunc, prolixitate fuerint scriptæ; quod æque Arianis fave-
rint ac nunc; quodque Orthodoxi aliam viam non invenerint in-
fluxum illarum evitandi, quam supprimendis genuinis exemplis, &
47. spuriis, imperfectis, & interpolatis editionibus emittendis. (2)
Quod inde naturalem & obviam rationem habeamus recentiorum
interpolationum in ipsis genuinis Constitutionibus; ut in nomi-
nibus duodecim Apostolorum libro sexto & octavo additis; in
recentiori constitutione de paschate; in doxologiis ad Spiritum
Sanctum, & similium; quæ omnes facile ortæ sint a corruptis hi-
sce editionibus. Et hoc adeo verum esse, ut hi quatuor libri cum
dimidio, quorum natura ipsos a majori corruptione liberaverit, et-
iam in corrupta hac editione, toti fere in hunc usque diem in ge-
nuinis Constitutionibus incorrupti apparent, &, quod maxime
notatu dignum sit, liber septimus, qui nunquam spurio hoc modo
publicatus sit, tanquam ad Judæos, non Gentiles pertinens, nullas
plane interpolationes, in optimis nimirum MStis, habeat.

E LITERIS CHRISTFRIDI WÆCHTLERI, JC. ad J. B. M.

QUumprimum inciderem in Clarissimi Viri, Jo. van de Water,
noviter editos in Belgio libros eruditos Observationum Juris
Romani,

Romani, ſpes erat, vidiſſe ipſum collationem MSC. Florentinia doctiſſimo Viro, Henrico Brenckmanno, non ita pridem optimis auſpiciis elaboratam. Hunc enim ſocium laboris habuiſſe Italum κριτικότατον, Antonium Mariam Salvini, qui pari ſtudio etiam Baſilicorum libros aliaque Græcorum monimenta cum Legibus civilibus diligenter comparaverit, didicimus ex Diarii Veneti Tomo II, quem laudarunt hæc Acta 1710 p. 468. Neque paſſus eſt nos de ea re dubitare Vir ſui nominis, Jo. Clericus, Tomo XXII Biblioth. art. 3 p. 52, qui inter laudes Henrici Newton, legati tunc extraordinarii Reginæ M. Britanniæ ad Magnum Hetruriæ Ducem, fauſtum hoc inſtitutum commemorat: *Ie ne ſaurois trop reconnoitre la bonté, qu'il a eüe pour moi, à divers egards, -- & de ce, que par ſa faveur auprés de S. A. R. Mr. Le Grand Duc de Toſcane il a obtenu, A MA PRIERE, à Mr. Brencmann la liberté de collationner le fameux MS. des Pandectes.* Ceterum ſpes illa adhuc manſit in fundo. Atque tunc demum gaudebit D. van de Water, ubi viderit, Scævolam in L. 14 D. de Transact. duo utique membra reſponſi ſui in ipſo Codice Mediceo feciſſe, & hinc natum Græcis ſupplementum primi, ἔπονται τοῖς συμφωνήσασιν, *id obſervant, quod inter eos convenerit.* Frequens autem ſuetumque Scævolæ, directe reſpondere ad quæſita, vel affirmando, vel negando etiam. *Quæſitum eſt, an Septicius uti poſſit exceptione transactionis, poſſitque pecuniam condictione repetere?* Reſpondit L. 3 §. 2 h. t. *non poſſe.* In ſola L. 78 D. ad SC. Trebell. ſepties adeo id videmus: quæſitum, an debeatur? *non deberi.* An pertineat? *pro his partibus pertinere.* An Titia teneatur? *teneri.* An reſtituere debeat? *ſtatim debere.* An contineantur? *cõtineri.* An deducere deberet? *non debere.* An conveniri poſſit? *poſſe, ſi non tranſactum eſſet.* Similiter credo Scævolam in textu noſtro reſpondiſſe, *ſi iidem creditores eſſent, qui propter incertum ſucceſſionis* (hic enim laudo Noſtri ordinem,) *tranſactionem feciſſent, non poſſe;* quia transactum eſt ſcilicet. Facile autem hæc vel ſimilis dictio toties iterata nauſeam parere potuit vel incuriam librario properanti ad alterum membrum. Sequitur limitatio: *Si autem alii creditores eſſent,* reſpondit, utrumque heredem, legitimum & ſcriptum, pro parte hereditatis, quam in transactione expreſſerint, Cap. I.

preſſerint, utilibus actionibus conveniendum; quia per illorum pactiones non læditur jus ceterorum. L. 3 §. h. Nec eodem hic redit ſumma rei, neque eadem fere exſurgit difficultas. Ulpianus autem, ut purgemus omnem immunditiem, ab ipſo Divo Pio reſcriptum ait, *utiles actiones* emtori hereditatis dandas. L. 16 pr. de pact. Idem L. 55 de procur. Paulus, L. 69 de R. V. Marcellus, L. 12 de re judicata. Iterum Paulus L. 18 §. 1 ad L. Falcid. Ariſto in decretis Frontonianis, & ex eo Pomponius, L. 99, ac tandem Scævola ipſe, L. 98 de acquir. hered. *quæro, an in Sejam utilis actio dari debeat?* Reſpondit, *actiones ſolere decerni.* Si vero Tribonianus mutatis Scævolæ verbis alia ſuppoſuit, atque juri recepto æquitatis colore derogavit, quænam erant illa verba Scævolæ, quæ mutavit? In conſtitutione Juſtiniani L. ult. §. 1 C. de petit. hered. nullum veſtigium litis transactæ & jam finitæ. Sed neque in L. 4 §. 1 Si cui plus. Papinianus autem L. 15 §. 2 de inoff. teſtam. loquitur de creditoribus, a quibus poſt rem judicatam demum conveniebatur filius, legitimus heres. Et Scævola eo etiam nomine laudandus, quod Græcam literaturam non faſtidiverit. L. 37 §. 5, 6 de Legat. 3. Mens Edicti apud Ulpianum *L. 1 § 1 Depoſiti:*

Cap. II. Ejus, quod neque tumultus neque naufragii cauſa depoſitum ſit, i. e. *earum rerum,* quæ ita depoſitæ non ſint, in ſimplum: earum autem rerum, quæ ſupra comprehenſæ, in duplum. Græci, *ἐπὶ τῶν παρατιθεμένων, de his quæ ſunt depoſita.* Nam utrumque vocabulum nobiſeſt neceſſarium, rerum & cauſarum. Cauſæ illæ antecedunt ſenſu negante, repetuntur ſenſu ajente, *earum rerum depoſitarum, quarum cauſæ deponendi ſupra comprehenſæ.* Utiq; cauſarum ſæpius meminit Ulpianus §. 2, 3, 4, ſed res ideo non excluduntur. Sic §. 5, *quæ depoſitis rebus accedunt,* §. 11, ut rem meam perferat, qui eas res receperit. §. 16, ſi res depoſita. Nemo hic pro rebus ſupponat cauſas. In textu Pauli L. 26 §. 1 h. vocantur *τὰ προγεγραμμένα.* Scholion L. 1 *ἐάν τις ἀπὸ ναυαγίᾳ παραθῇ τινι πρᾶγμα, ſi quis ex naufragio rem apud alium depoſuerit.* Denuo

III. Græci, *ἐπὶ δὲ τῶν λοιπῶν παρατιθεμένων, de ceteris autem depoſitis,* quæ ſcil. ex aliis cauſis fiunt. Nunc ipſe D. van de Water recte ſecutus eſt Scholion Græcum: creſcit perfidiæ crimen, *& ob publicam utilitatem coercendum eſt, & vindicandum Reipublicæ cauſa.*

cauſa, Etiam quoad ultima verba textus L. 1 §. 4 Depoſ. mentem Ulpiani optime expreſſit idem Scholion, ἔστι γὰρ ἄτοπον, ἐν τοῖς τοιούτοις αἰτίαις τὴν πίστιν παραβαίνεσθαι, *eſt enim flagitioſum*, in eiusmodi cauſis fidem fallere. Perfidiæ igitur ſolam inutilitatem non tribuerat: alias Græci ἄχρηστον & ἀχρηστίαν ſimiliter uſurpaſſent. Neque huc pertinet locus Julii Pollucis L. 5 c. 30, quem affert D. Gothofredus: vel carmen Lucretii, vel Celſi res medicæ, ceu Cujacio & Duareno viſum: vel κρίσις Stoica apud Gellium L. 2 c. 6, quam laudat Huberus pater. In ſimili negotio non inutilitatem allegat Ulpianus, L. 1 §. 1 D. de incend. ſed juſtiſſimam ſeveritatem, quodque publice interſit, ex his caſibus nil rapi. Et Conſtantinus L. 1 C. de naufrag. *fiſcus meus de re tam luctuoſa compendium non ſectetur.* Poterat dicere, *de re tam inutili.* Alibi Ulpianus ſane, *habet utilitatem*, L. 3 §. 2 de conſtit pec. Sed tamen L. 1 pr. non dixit, *inutile eſt fidem frangere*: imo *grave eſt*; quod maſculum. Theodoricus fortius adhuc, *crudelitatis genus eſt*, ultra naufragium velle deſævire, apud Caſſiod. 4, 7. Rectiſſime reſpuit etiam Noſter, *publicam vilitatem.* Nec tribuit eam Salvianus matrimonio, ſed degeneri potius ſervarum contubernio, per quod honor ſancti connubii deformetur. Sed neque ancillas appellat ex animi ſententia, *quaſi conjuges*; ad tantam enim impudentiam ait rem veniſſe, ut putentur eſſe uxores, & quaſi conjuges. Hoc ergo tetrum ac deteſtabile. Sed illud adhuc magis, quod nec ſolæ habentur. Laudat Rittershuſius, talem conjunctionem quaſi conjugum a Leone Novell. 91 damnatam. Idem fecit Balſamo ad can. 86 Concilii 6 in Trullo, apud Bevereg. Tom. I f. 258. Juſtinianus autem diu ante Leonem VI Philoſophum teſtabatur, concubinas melius dici fœminas fornicantes, γυναικῶν πορνευομένων, ἕτω γὰρ εἰπεῖν κάλλιον, Novell. XIIX, 5, ac denuo Nov. LXXXIX, 12. Leo diſerte, honeſtatem hactenus ſusque deque habitam, errato Legislatorum, διαμαρτίᾳ, hallucinatione, (quæ fit, cum quis offendit ad lucem, ut luce oculos præſtringente, minus videat; Voſſius Etymol.) & dedecore, contumelia, ὕβρει, affectam Rempublicam. Tertullianus diu ante Ambroſium unam noverat conjunctionem. Ubi una caro, unus & ſpiritus. In Eccleſia Dei pariter, in connubio Dei pari-

ter: ubi mutuo provocant, quis melius Deo ſuo cantet. Ubi duo, ibi & Chriſtus ipſe. Ubi ipſe, ibi malus non eſt: *ſed officiæ ſexus, ut penes ſanctos, cum honore ipſius neceſſitatis, tanquam ſub oculis Dei modeſte & moderate tranſigiuntur.* Lib. 2 ad Uxorem. Marcianus contra, JC. Ethnicus, ὁ ποιῶν, ἐνέκμαρτυρίῳ τοῦτο κατάδηλον, ἀσέλγειαν πρὸς αὐτὴν ἐ μὴ πλημμελεῖ. L. 3 D. de concub. Maſſurius autem L. 144 D. de V. S. pellex vero nomine ἑταίρα, meretrix, nunc concubina appellatur. JCti ergo veteres Romanorum ἑταίρας ſe a Græcis accepiſſe probe noverant. Sed iſtud tamen non liquet, veteres populos Græcos habuiſſe concubinatum pro re licita, & matrimonio inæquali. Locus Demoſthenis in Neæram oſtendit, diſtincta apud Athenienſes in Republica libera fuiſſe nomina, ἑταίρα, παλλακὴ, γυνή. Licitas autem vel illicitas ἑταίρας ipſas, non dixit, neque παλλακὰς etiam. Duabus de cauſis Stephanus pauper adduxerat Neæram, ut & ſine ſumptu haberet ἑταίραν, καὶ τὰ ἐπιτήδεια ταύτην ἐργασομένην, καὶ θρέψουσαν τὴν οἰκίαν, & *ut ad victum ei neceſſaria quæreret, & familiam illa ſuſtentaret.* Concurrunt hic characteres, meretricis & concubinæ. Idem Demoſthenes, dicebat, ali concubinas, παλλακὰς, τῆς καθ' ἡμέραν θεραπείας τῦ σώματος. Sed eo potiſſimum nomine accuſabat Stephanum, quod Neæram etiam in matrimonio habuerit contra Legem Athenienſium, utpote peregrinam, liberosque ex ea ſuſceperit, eosque tum apud curiales tum municipes publice & inter tabulas civium Athenienſium introduxerit, tum vero filias viris Athenienſibus elocarit, ceu ſuas & legitimas. Hic non replicabat Stephanus, etiam ex concubina licite apud Græcos liberos ſuſcipi, ſed pernegabat, liberos iſtos ſe ex peregrina illa Neæra ſuſcepiſſe, natos enim ei potius ex alia muliere, cive Athenienſi, adeoque ex primo matrimonio plane legitimo. Ceterum hic omnis ei deerat fides atque probatio. Volebat enim accuſator deſiſtere a tota actione, ſi per teſtes probaret illa Stephanus. Muſonius apud Stobæum Serm. 188 Sola, *inquit*, ſobolis procreatio ad nuptias non ſufficit; cum & aliter citra nuptias conjunctis ipſis fieri ea poſſit, ὥσπερ καὶ τὰ ζῶα συμπλέκεται αὐτοῖς. Semel forte τῆς ἑταίρας mentio apud Stobæum per plures ſermones de conjugio, nullibi concubinæ. Syneſius epiſto-

la 3 de ἑταίρᾳ quadam dicit, quod παλλακεύετο nunc nauclero domino, deinde rhetori cuidam, iterum domino, tandem conservo suo, primum clam, postremo palam; λαμπρῶς τῇ πόλει. De hac matre sua dicebat filius, nullo legis vinculo teneri se ad eam alendam. Julius Pollux inter personas comicas refert παλλακὴν, ἑταιρικὸν τέλεσιν, ἑταιρίδιον ὡραῖον, singulas meretrices. Lib. 4 c. 19. Ælianus V. H. Lib. 12 c. 1 τῶν παλλακίδων artes vocat ἑταιρικὰ ἔυ μάλα μαθήματα, καὶ ἔργα γυναικῶν καπηλικῶς τῷ κάλλει χρωμένων, *meretricias prorsus artes & facta mulierum, quibus sua venalis est forma.* De iisdem dixit Cyrus, unica earum est incorrupta, reliquæ παλλακίδες καπηλικῶς ἔχουσι καὶ τὰς ἕδρας, ἔτι καὶ τῷ τρόπῳ μᾶλλον. Plutarchus de conjugalibus præceptis, nunc παλλακίδας appellat, cum de Persis loquitur, ſtatim vero ἑταίρας iterum. Funapius in vita Libanii, γάμῳ δὲ ἐμέλησε, conjugium respuit, domestica tamen muliercula usus, quam ille neque παλλακὴν neque ἑταίραν nominare sustinuit; ut famæ parceret, πλὴν ὅσα γε αὐτῷ γυνή τις ξυνῆν, ἐκ ἀπὸ ὁμοίας τῆς ἀξιώσεως. Numa, Romanorum Rex legem sanxit, *pellex aram Junonis ne tangito.* Quo sensu ista voce usus sit, non constat per omnia. Certum est ex fragmento Flacci, qui de antiquo jure Papiriano scripsit, varias significationes accepisse isthæc vocabula per vicissitudines temporum, & crevisse improbitatem morum apud Romanos. L. 144 de V. S. Deest nobis etiam Tabula XI legum Romanarum de jure Connubiorum. Cicero de Oratore I meminit quæsitum, si secunda uxor, nondum facto divortio cum prima, non admittatur, an concubinæ locum habeat? Significatum autem vocabuli, pro illo Reipublicæ liberæ adhuc statu, itidem non aperuit. Post Imperatores enim Ethnicos utplurimum nova augmenta improbitas morum accepit, & nomina etiam novam faciem. Clemens Alexandrinus, scriptor sacer seculi secundi exeuntis, *suspicio* inquit *& admiror Veteres Romanorum Legislatores,* ἄγαμαι τὲς παλαιὲς Ρωμαίων νομοθέτας. Loquitur haud dubie de bonis legibus circa hanc rem, quæ ante Impp. valuerant, & nobis sunt incognitæ, καὶ τὲ σώματος τὴν πρὸς τὸ θῆλυ κοινωνίαν παρὰ τῆς Φύσεως νόμον, ἐρύγματος κατηξίωσαν, κατὰ τὸν τῆς δικαιοσύνης νόμον, *corporis cum fœmina consuetudinem prater naturæ legem, terræ infodi ex*

lege juſtitiæ æquum exiſtimarunt. Ibidem gravis querela de temporibus Clementis, *καὶ νῦν μὲν, εἰς τοσοῦτον ἀκολασίας ἐλήλακεν ὁ βίος ἐντρυφώσης ἀδικίας· καὶ τὸ λάγνον πᾶν ἐπικέχυται τοῖς πόλεσι νόμος γενόμενον, at nunc quicquid eſt impudicum & libidinoſum, diffuſum eſt in civitatibus, & jam pro lege habetur.* Ταῦτα *οἱ σοφοὶ τῶν νόμων ἐπιτρέπουσιν,* Heinſius, *hæc ſapientes leges permittunt.* Stringit Ethnicos Impp. ſub quibus vivebat. *Ἐξεῖσιν αὐτοῖς ἁμαρτεῖν κατὰ νόμον, licetque eis peccare ex lege. Καὶ τὸ ἀπόῤῥητον τῆς ἡδονῆς εὐκολίαν λέγουσιν, & nefandas libidines appellant facilitatem,* ſtudium complacentiæ, moroſitati oppoſitum. *Pædag. Lib. 3 c. 3.* Marcianus noſter cum reliquis JCtis priſcis, non multo poſt Clementem dixit, *quod per leges,* Ethnicorum ſcilicet, *nomen* nunc demum & per gradus temporum *aſſumpſit, extra legis pœnam eſt.* Clemens autem, cui mens utique Dei penitus innotuerat, preſſius adhuc, *Pædag. L. 2 c. 10 μόνοις τοῖς γεγαμηκόσιν καιρὸς τῆς συνουσίας.* Poſt alia, *ἡ γὰρ Φύσις, ὥσπερ καὶ ταῖς τροφαῖς, ἕτω δὲ καὶ τοῖς κάλα νόμον γάμοις, ὅσον οἰκεῖον καὶ χρήσιμον καὶ εὑρεπὲς, χρῆθαι ἐπέτρεψεν ἡμῖν.* Deinde, *ἄθελε δὲ καὶ παιδαικίδων σπέρματα καὶ νόθα. -- Μηδὲ μὴν ἅπτεθαι τινὸς πλὴν γαμετῆς τὸ παράπαν τῆς ἑαυτοῦ γυναικὸς, ἐξ ἧς μόνης καρπεῖθαι τὰς σαρκὸς ἡδονὰς, δίκαιον εἰς διαδοχὰς γνησίας· νόμιμα γὰρ ταῦτα μόνα τῷ λόγῳ.* Concludit, *καθόλα μὲν ἓν ἡ γαμητέον, ἡ γάμε εἰς τὸ παντελὲς καθαρτέον, in ſumma ergo, vel jungi matrimonio, vel omnino a matrimonio purum & mundum eſſe oportet.* Declarata etiam hæc ait a ſe uberius in libro *περὶ ἐγκρατείας,* qui non extat. In hos mores cum incidiſſet Conſtantinus M. maſcule egit cauſam Dei, & concubinatum per ſubſequens matrimonium vertere paulatim ſategit in nuptias, tum pœna propoſita, *L. 1 C. de natural. lib.* tum præmio, de quo vide Zenonem *L. 5 d. t.* Sed & Valentinianus cum imperii conſortibus id tentavit, *L. 1 C. Theod. de natural. fil.* ubi multum debemus profundæ eruditioni Jacobi Gothofredi. Tollere tamen e republica Chriſtiana vitium iſtud per omnia non valuerunt. Nam ſeculo quinto inchoante Salvianus poſt mortem Theodoſii M. in eosdem temporum, quomodo Clemens antea, nævos invectus. *De concubinis quippiam dici, forſitan etiam injuſtum eſſe Vobis videatur; quia hoc quaſi genus eſt caſti-*

caſtitatis apud Vos, uxoribus paucis eſſe contentum. Reſpondet: *Hi qui tales ſunt, omnem gravant populum Chriſtianum.* Nec mirum adeo, Juſtinianum etiam imparem fuiſſe huic morbo, & omnes alios iſtius ætatis Principes Chriſtianos. Sed ille tamen uti Laicorum antea, ita multo magis Clericorum concubinatum averſatus eſt, ſerioque prohibuit, Nov. CXXIII, 12, *Clericos non aliter ordinari permittimus, εἰ μὴ ἐδὲ παλλακὴν ἐδὲ Φυσικὲς ἔχον ἢ ἔχῃσι παῖδας, niſi neque concubinam aut naturales habuerint aut habeant filios.* Balſamo in Collectione Conſtit. Eccleſ. Lib. 3 Tit. 2: *οἱ κληρικοὶ παλλακὴν ἢ Φυσικὲς παῖδας μὴ ἐχέτωσαν μήτε δὲ ἐχηκότες χειροτονεἰθωσαν.* Cum uxore autem legitima inde usque a virginitate cum eis copulata, *συνοικείτωσαν*, cohabitent, *ἢ σωφρόνως βιῶντες, ἢ γαμετὴν νόμιμον ἐχηκότες*, Nov. 123, 12. Cujacius Zonaræ tribuit, quod concubinatum dixerit *ἡμίγαμον*, *ad C. de concub.* Ex eoque repetit Rittershuſius ad Salvianum. Sed locum Zonaræ nondum reperio. Certe non exſtat tale ad Can. 86 Concilii in Trullo, vel etiam ad Can. 26 Baſilii ad Amphilochium. Sic Caſaubonus Balſamoni tribuit, quod tamen Photio debetur, in Nomocanone Tit. XIII, *παλλακὴ δέ ἐϛιν ἡ νομίμως τινὶ συζῶσα, χωρὶς γάμε.* Sumptum eſt autem eadem fide, qua invenerat, ex L. 144 D. de V. S. Nam & illud retinuit ex eodem fonte, *ἐπειδὴ τὸ τῆς παλλακῆς ὄνομα ἔγνωϛαι τοῖς νόμοις.* Farraginem enim qualemcunq; voluit condere, citra adſtipulationem Eccleſiæ. Caſaubonus autem in notis ad Spartianum debebat annotaſſe, per extraneas voluptates intellexiſſe uxorem Ælii Veri conſortium paulo ante memoratum, *jacensque cum concubinis velamine de liliis facto ſe tegebat, unctus odoribus Perſicis.* Hæc obiter. Si ad intellectum L. 4 §. 1 D. de condit. inſtit. ſatis eſt, quod non inveniatur certa perſona, cui caveatur, non rejiciendus erat a Noſtro Accurſius & Franciſcus de Amaya paulo ante. Nam illi idem hoc dixerant. Gajo etiam non videtur ſatisfieri in L. 18 D. de condit. & demonſtrat. per L. 114 §. 14 de Legat. 1. Eundum eſt ad Cujacium, *Recitat. ad D.* neque plane ſpernendus Antonius Faber Lib. 2 conjectur. c. 16. Uterque enim favit Gajo. Ulpianus etiam in tota L. 114 de Leg. 1. atque in ipſo §. 14 agit de fideicommiſſis, quod ſecus habet in L. 4 §. 1 de condit. inſtit. Ex recentioribus jungo Cap. IV.

Jo. de Carvalho ad C. Raynaud I. de Teſtam. part. 2 n. 237 ſeqq. Circa intellectum L. 109 D. de condit. & demonſtrat. video, Duarenum, quum enarraſſet argumenta pro Scævola, opponere ſententiam contrariam. Hæc fere ſunt, *inquit*, quæ pro ea opinione adduci ſolent, probabilia quidem ac ſpecioſa, ſed non tanti apud me ponderis, ut eam ſequi in animum inducam. Et paſſim tamen laudari hic videas aſſenſum Duareni. Gloſſa æque ceſpitat. Ac ſufficit nobis hactenus Julianus L. 26 §. 1 L. 30 h. Ad Edictum de Vi bonorum raptorum ſupplenda eſt Lex Ulpiani, quæ eſt L. 52
Cap. V. §. ult. D. de furtis, ex Græcis interpretibus. Hi enim rem plene eloquuntur. *Si quis ex domo, in qua nemo erat, rapuerit, actione de bonis raptis in quadruplum convenietur.* (Quadruplum autem hoc non totum pœna eſt, ſed in eo ineſt & rei perſecutio, ut pœna tripli ſit, etiamſi raptor non deprehendatur in ipſo delicto, pr. I. de Vi bon. rapt.) *Sed non tenetur in quadruplum ut fur manifeſtus*; quia viſus eſt a nemine. *Furti tamen nec manifeſti tenetur in duplum*, ſi nemo eum deprehendit tollentem. Etiam Papinianum in L. 80. §. 3 D. de furtis liceat ſupplere hac ratione. ὁ ἅρπαξ καὶ κλέπτης ἐστὶν ἀφανὴς, *raptor, etiam nec manifeſtus, fur eſt.* L. 1 *Vi bon. rapt.* quaſi dictum eſſet, ὁ ἅρπαξ καὶ ἀφανὴς κλέπτης ἐστίν. Similiter Græci in L. 80 §. 3 de furt. ὁ ἅρπαξ φανερὸς, κλέπτης ἐστίν, *raptor manifeſtus, etiam fur eſt.* Et commode addunt ſtatim §. 4: *is autem, cujus dolo fit rapina*, οὐκ ἔστι κλέπτης, ἀλλ' ἅρπαξ, *non eſt fur ſed raptor.* Scholion, *nota rapinæ genus, quod non ſubjicitur furto.* Cum ergo raptor omni modo furtum facit, ſive manifeſtum ſit ſive nec manifeſtum, fur exiſtimandus eſt. Is autem cu-
VI. jus dolo fuit raptum, fur non eſt, ſed raptor. Mens Ulpiani in L. 52 §. 3 D. pro ſocio adeo plana eſt, ut ſola nobis reſtet tum hic tum alibi inſpectio collationis Brencmannianæ. Sive enim in hac parte Codicis Medicæi ſive alibi occurrat ſimilis ſcripturæ abbreviatio, quæ oculum Gronovianum omnino non fefelliſſet, res eſt in vado. IN prudentibus autem num quidquam accidere Ulpianus ullibi dixerit, hæreo. Terentii dictio ceſſat hic, nec habet analogiam Veterum JCtorum. Gajus autem, *ſi caſus ſine vitio noſtro acciderit*, L. 22 D. de neg. geſt. i. e. ſi prævideri non potuit. L. 6. C. de pignorat. act. Si vero imprudenter elegeris Lucium Titium, præ-
ſtabis.

ſtabis. L. 21 §. 3 d. t. a prudentibus enim poterat id evitari. Senſus L. 65 §. 1 de A. R. D. hic forte eſt: *in eo genere inſularum, quæ tibi propriæ ſunt, ripæ flumini* proximæ *& litora mari* proxima, *publica ſunt; ut in continenti agro idem eſt.* Si ſcribas cum Noſtro, *ut litora maris*, duas habebimus comparationes, *ut litora, ut in continenti agro.* In §. 3 & 4 Paulus non omnino deſeruit officium veri & fidi interpretis, neque quicquam Labeoni male accommodavit. Nec video pugnam etiam. Nam tria ponit Labeo. I Siqua inſula in flumine propria tua eſt, nihil in ea publici eſt. Concedit hoc ei Paulus, ſalvo tamen jure riparum. II quærit Labeo, quando inſula in flumine propria tua ſit? Reſpondet, quando proxima tuo fundo ibi nata eſt; tunc enim tua nata eſt. Iterum concedit hoc ei Paulus. Ceſſare autem, ſi inſula ſolum alvei fluminis non tangat, multo minus ſolum tui fundi. Tunc enim proxima tuo fundo nata non eſt. Jam in §. 4 concludit III Labeo: ergo ſi qua inſula in flumine propria tua non eſt, per §. 1 (quia nimirum proxima tuo fundo nata non eſt, per §. 2) ſed nata eſt vere in flumine publico, undique ambiente, publica eſſe debet; ſicut omne id, quod in publico etiam agro continente innatum aut ædificatum eſt. Perſpicua, ita reor, omnia. Neque turbat hunc ordinem, quod §. 3 ex Paulo ſubjiciuntur verba quædam, quæ ad priora Labeonis non ſpectant. Nam & illa vera ſunt, neque Labeoni pugnantia. Abſolvamus itaque ab omni cenſura hic Paulum, quæ non eſt recens, ſed Vinnio etiam pridem tentata. Sub finem redeo ad locum Ciceronis ex libro II de Oratore, quem Noſter in fronte poſuit, vix tamen citra mendum. Nihil in dicendo majus eſt, quam ut faveat oratori is, qui audiet. Plura enim multo homines judicant odio aut amore aut cupiditate aut iracundia, aut dolore (non, *dolo*,) aut lætitia, aut ſpe aut timore, aut errore aut aliqua permotione mentis, quam veritate (non, *veritatis*,) aut præſcripta, aut juris norma aliqua, (non, *aut in eis* norma,) aut judicii formula, aut Legibus. Ejusdem Ciceronis aliud eſt monitum ſalutare eodem libro, ferendum eſſe judicium aliorum, nec ſapiendum in præceps. *Volo eſſe in futuro Oratore, unde aliquid amputem. Non enim poteſt in eo eſſe ſuccus diuturnus, quod nimis celeriter eſt maturitatem aſſecutum.* Cap. VII.

Der

Der allgemeinen Kunſt- und Naturalien-Kammer *Tomus II.*

i. e.

MUSEI MUSEORUM

Tom. II.

Neu aufgerichtetes Rüſt- und Zeug-Haus der Natur.

i. e.

ARMAMENTARIUM NATURÆ NOVUM, ſeu Muſei Muſeorum

Tom. III.

AUTORE D. MICHAELE BERNHARDO VALENTINO, Archiatro Haſſiaco, & Philoſophiæ Experimentalis atque Medicinæ in Academia Giſſena Prof. Ordin.

Francofurti ad Mœnum, apud Jo. Dav. Zunneri Hær. & Joh. A. Jungium, 1714 fol.

T. II Alph. 4 & Tabb. æn. 39.
III Alph. 2 pl. 17 & Tabb. æn. 40.

DUo præterlapſa ſunt luſtra, cum Clariſſ. Valentini Muſei Muſeorum Tomum I, a nobis A. 1704 pag. 363 commendatum, edidiſſet, in quo Naturalia ea ſolummodo, quæ Medicinæ vel aliis artibus aliquem ſuppeditant uſum, recenſuit, quæ nunc in Tom. II & III illa excipiunt, quæ oculis aliquod oblectamentum præbent, vel ad naturæ arcana diligentius rimanda unumquemque in-
Tom. II C. I. vitare poſſunt. Incipit igitur Tomo II a Terris curioſis, urnis & lampadibus ethnicorum veterum, primorumque Chriſtianorum;
II. inde pergit ad lapides figuratos, ſuave & graveolentes; conchi-
III, IV. tas & oſtracitas; lithoxyla, & alia petrefacta corpora, teſſeras
VI, VII. lapideas, in quibus arborum, herbarum, piſcium, hominum ali-
IIX. orumque animalium icones & veſtigia cernenda ſe præbent: gem-

mas

mas figuratas; phosphoros lapideos; sal Indicum, succinum, alioque succos minerales; Aurum & Argentum nativum æque ac factitium, scutellas iridis, & varia ex his parata curiosa; Mineras stanni, plumbi, ferri, cupri curiosas; marcasitas, auripigmentum & reliqua metalla immatura rariora. A Regno Minerali ad Vegetabile transit, sistens radicum arborumque figuras rariores; herbam sensitivam, destillatoriam, &c; arborem Momim, Latan, saponariam; Bananam, ficum Indicam; Mandioccam, ex qua panis, Cassave dictus, coquitur; Granadillam; Batatas, Melonum varias species; herbas figuratas, multiplicatos flores, fructusque; muscos rariores & fungos figuratos. Ex Regno Animali denique allegantur Troglodytæ B. Spei, vulgo Hottentotzii, Grœnlandiæ Incolæ, &c. bos Indicus, Hippopotamus; leones, ursi, lupi; tygris, pardus, leopardus rariores; Zecora seu Asinus Ægyptiacus & animal Camphur dictum; gulo, Lerius seu Hay; Camelopardalius; Cricetus, Marsupialis Americanus; Simiæ; Cercopitheci; Cynocephali, Satyri; Soricum rex muresque rariores. Aves Colibri dictæ aliæque rariores; & monstrosæ, ut & alia animalia monstrosa; ova mira prædita figura; pisces volantes, aliique rariores; serpentes, lacertæ & scorpiones; insecta; pediculus marinus, Fotock nuncupatus; cancri; stellæ & echini marini; conchæ non ubivis obviæ; curiosa quædam ex feris pariter ac domesticis animalibus, eorumque partibus desumpta; cornua rariora; & Reliquiæ sacræ Pontificiorum.

Appendix continet seriem Museorum, quorum descriptiones vix vel plane non habentur, inter quæ nominantur Viennense; ad S. Dionysium; Hafniense; Dresdense; Hasliacum in Collegio Carolino; Thesaurus Lauretanus; Magni Ducis Hetruriæ; Venetus; Reliquiæ in templo B. Virginis Aquisgranensi conservatæ; Museum Anglicum; Res curiosæ & exoticæ in ambulacro horti Academici Lugduno-Batavi conspicuæ; Museum Tobiæ Reymeri Luneburgi; Spenerianum; Laurentii, Consulis quondam Lipsiensis; D. Kisneri Francofurtense, figurata Fossilia continens; Petivers, Pharmacopœi Londinensis; Curiosa Theatri Anatomici Amstelodamensis; Cimeliarchium Mathematicum Academiæ Giessenæ; Museum Mechanico-Astronomicum Weigelii, Anato-

micum Ruyſchii; Curioſa Joannis Conradi Rætzelii Halberſtadienſis: Brackenhoferianum Argentinenſe; Godofredi Nicolai, Pharmacopœi Vitembergenſis; Anonymi Muſeum Antiquitatum; Repoſitorium Valentinianum; Conſideratio cœleſtis divini Muſei totius mundi, Autore Joanne Daniele Majore.

In Tomo III ſeu in Armamentario Naturæ novo eas machinas & inſtrumenta exhibet Clariſſ. Autor, quibus Phyſicam ſcien-
Cap. I. tiam profitentes in Collegiis ſuis experimentalibus uti ſolent. Oritur autem deſcriptione antliæ pneumaticæ, cujus quinque exhibet formas, nempe duas ab inventore primo *Guerickio* excogitatas, *Boylianam* cum cylindro verticali & duas *Muſſchenbræckianas*, alteram cum cylindro horizontali, alteram cum cylindro ad horizontem inclinato. Ex *Leupoldi* de antlia pneumatica Tractatu in Actis A. 1708 p. 354 recenſito docet, quomodo examinari debeat antliæ perfectio, & tandem uſum nobiliſſimi hujus inſtrumenti
II. apparatumque ad eum neceſſarium deſcribit. Secundum locum in hoc armamentario occupat ſclopetum pneumaticum vi aeris compreſſi globum plumbeum propellens: cui aliud diverſi generis jungitur, quod a patria inventoris *Ottonis de Guericke* ſclopetum Magdeburgicum appellari ſolet, ex ejus Experimentis Novis Magdeburgicis de Vacuo ſatis notum. Adduntur quoque inſtrumenta, quibus pulveris pyrii vires æſtimari ſolent in pyrotechnia.
III. Succedit barometrum tum ſimplex, ſub tubi *Torricelliani* nomine notum, tum *Guerickianum*, cui Anemoſcopii nomen impoſuit inventor, in Actis A. 1684 p. 26 repræſentatum, tum compoſitum
IV. *Hugenii*. Sequuntur thermometra tam *Belgicum* ſeu *Drebbelianum*, quam *Florentinum* &
V. hygroſcopia ſeu notiometra ex Tractatu potiſſimum Gallico de Barometris, thermometris & hygro-
VI. metris in Actis A. 1688 p. 174 commendato deſcripta; campana
VII. urinatoria cum machina *Borelliana*, cujus in Actis A. 1682 facta eſt mentio; valvula *Boyliana*, cui ſimilem jam ante dederat *Paſcalius*, ex ejus paradoxis hydroſtaticis deſumta; æolipilæ, anti-
IIX. quis jam notæ, teſte *Vitruvio* lib. 1 c. 8, quarum uſum ſingularem a *Guerickio* excogitatum in excitando ſono harmonico per fiſtulas
IX. diverſæ amplitudinis aere vi caloris expulſo inter alia indicat; navis per aerem remis velisque agenda, tum quam fama dubia a Cle-

rico

rico quodam Brasilienſi inventam A. 1709 nunciaverat, tum a *Franciſco Tertio de Lanis* excogitatam. *Sturmius* in Collegio curioſo poſſibilem eſſe contendit, *Leibnitius* in Miſcellaneis Berolinenſibus vero primis Hydroſtatices principiis ab *Archimede* ſtabilitis adverſam demonſtravit. Reperies porro deſcriptionem ſpeculorum cauſticorum præſertim *Septalianorum* & *Villetanorum*, quibus lentes cauſticas *Tſchirnhuſianas* accenſet, in Actis A. 1687 p. 52 commemoratas, cum ſpeculis ejusdem cauſticis in Actis A. 1697 p. 415 repræſentatis a Noſtro confuſas, qui etiam ſpeculi cauſtici nomen imponit lentibus glacialibus per refractioem radios colligentibus; meliori autem jure huc refert ſpecula cauſtica lignea *Andreæ Gærtneri*, artificis inſignis Dresdenſis, ejusdem cum *Tſchirnhuſianis* efficaciæ. Ex Hydroſtaticis ſiſtuntur ſiphones cum diabete & libella communi hydroſtatica, ad explorandam gravitatem ſpecificam fluidorum: ex hydraulicis vero fontes ſalientes nonnulli, paſſim obvii. Digeſtor novus *Papini* ad emollienda oſſa, in Actis A. 1681 p. 105, 306 & A. 1687 p. 276, indicatur tantum & compendioſior ejus conſtructio ex *Sturmii* Phyſica eclectica repetitur. Eundem jam *Boylio* non ignotum fuiſſe ante *Papinium*, credit Noſter. Tubæ *ſtentoreophonicæ* junguntur tubi acuſtici, & conchæ acuſticæ recentius inventæ. Ex Dioptrica exhibentur laterna magica, camera obſcura, cujus quædam ſpecies oculus artificialis; teleſcopia & microſcopia, quorum non tam ſtructura exponitur, quam uſus indicatur. Comparent porro lachrymæ vitreæ cum vitris tonantibus, quæ igni impoſita ab aere incluſo diſjiciuntur, & vitris anaclaſticis, de quibus in Miſcellaneis Naturæ curioſorum Decur. 2 A. III *Lentilii* epiſtola extat; virga divinatoria, de qua commendatur Tractatus Gallicus *Vallemontii*; Parallelogrammum delineatorium *Scheineri*, de quo integer extat ipſius Tractatus Romæ 1631 excuſus; aſinorum & ſolium Muſica *Kircheri*, quam ex ejus Muſurgiæ lib. 6 part. 4 c. 1 repetit *Schottus* in Magia univerſali Naturæ & artis; machina trituratoria, cujus in Act. A. 1711 p. 9 meminimus, cum decipula pulicum, gratiſſimo fœminis inſtrumento. Conſtat ex cylindrulo argenteo cavo & undiquaq; foraminulis pertuſo, intra cujus cavitatem abſconditur virgula eburnea melle illita. Ultimum denique

Cap. X.

XI.

XII.

XIII.

XIV.

XV.

XVI.

XVII.

XIIX.

XIX.

XX.

XXI.

XXII.

locum tenet imago hominis a nativitate manibus pedibusque truncati, quem A. 1711 Gieſſenſes, alio tempore aliorum locorum incolæ mirati ſunt chartas luſorias miſcentem, teſſeras projicientem, imagines delineantem, inſtrumenta muſica percutientem, literas penna ſcriptoria exarantem, pennam ad ſcribendum aptantem, filum per foramen acus trajicientem, barbam tondentem & alia ſimilia peragentem.

Appendices plusquam dimidiam partem operis abſolvunt. In his continentur, tractatus de magnete in 33 capita diviſus; catalogi inſtrumentorum, quæ Lugduni Batavorum a *Johanne de Muſſchenbræk* & apud nos Lipſiæ a *Chriſtiano Schobero* & *Jacobo Leupoldo* parantur, atque *Vallemontii* Tractatus de virga divinatoria in Germanicam linguam translatus.

RELATIO DE NOVO BAROMETRORUM & thermometrorum concordantium genere.

Si barometra & thermometra haberemus, quæ in eodem loco repoſita easdem prorſus mutationes paterentur, fluido nempe in ſingulis ad eundem gradum una aſcendente ac deſcendente; facile apparet, obſervationes barometricas & thermometricas diverſis in locis diverſoque tempore diverſis inſtrumentis eodem in loco inſtitutas inter ſe comparari poſſe, ita ut e. gr. indicari poſſit vi noſtrarum obſervationum dies, quo calor aeris ejusque gravitas eadem prorſus fuit, quæ alio tempore dato Pariſiis vel alio in loco. Enimvero obſervatum eſt in Academia Regia Scientiarum Pariſina, (quemadmodum annotavimus in Actis A. 1707 p. 501,) barometra ſimilia eodem Mercurio repleta & in eodem loco poſita nunquam exacte conſpirare, & in vulgus notum eſt, multo minorem eſſe thermometrorum concordiam. Quæ adeo hactenus deſiderata fuerunt, barometra & thermometra concordantia exquiſita induſtria conſtruit *Daniel Gabriel Fahrenheit*, Dantiſcanus, qui ab aliquo tempore apud nos commoratur & in conficiendis thermometris atque barometris tam ſimplicibus quam compoſitis excellit. Artificium, quo horum inſtrumentorum concordiam conſtanter ex voto obtinet, ob rationes domeſticas adhuc reticet: effectum tamen obſervarunt multi, qui ejus thermometra & barometra

rometra ſibi comparaverunt. Obtulit haud ita pridem duo thermometra Cl. Wolfio, Mathem. Profeſſori Halenſi, ut ea ſub examen revocaret. In iis globulorum loco conſpiciuntur cylindri, ſpiritu vini colore cœruleo tincto repleti. Altitudinem unius deprehendit digiti unius cum $\frac{3}{8}$ pedis regii Pariſini (ſupponitur autem pes in 12 digitos diviſus,) alterius vero digiti unius cum $\frac{9}{10}$: diametrum illius reperit $\frac{1}{64}$, alterius vero $\frac{1}{8}$. Non tamen eadem eſt diameter per totum cylindrum & uterque cylindrus circa finem in ſphæroides quoddam protuberat. Longitudo tubi prioris eſt 6 digitorum cum $\frac{11}{10}$, poſterioris vero $6\frac{15}{10}$. Scala utrique eadem applicata, longitudinis 6 digitorum cum $\frac{7}{10}$: tota dividitur in 26 partes æquales, quarum unaquælibet in quatuor ſubdividitur. Parti ſecundæ a cylindro numeratæ adſcribitur frigus vehementiſſimum, & ab eo usque ad extremitatem ſcalæ aſcendendo numerat gradus 24, quorum quartus frigus ingens, octavus acrem frigidum, duodecimus temperatum, decimus ſextus calidum, vigeſimus calorem ingentem, 24 denique æſtum intolerabilem indicat. Contendit autem *Fahrenheitius*, ſibi conſtare methodum, qua quivis alius ubivis terrarum thermometra conſtruere poſſit, ſuis etſi non viſis ſimilia, ita ut cum iisdem in eodem loco repoſita ad eosdem ſcalarum ſimilium gradus liquorem evectum, vel depreſſum exhibeant. *Wolfius* non ſolum per plurimos dies obſervavit in utroque thermometro liquorem conſtanter ad eundem gradum vel gradus ejusdem ſcapulum idem; verum etiam in locis calidioribus mox liquorem in utroque æqualiter prorſus aſcendentem notavit. Cum utrumque eidem aquæ frigidæ una immergeret, æqualiter prorſus liquorem utrobique deſcendere animadvertit. Cum aliquando pollicem manus unius cylindro unius, pollicem manus alterius cylindro alterius applicaret; inæqualitatem quandam, quamvis fere contemnendam, notavit: ſed permutatis cylindris, aſcenſus tardior factus eſt celerior & celerior contra tardior, didicitque adeo, calorem non prorſus eundem utrique pollici ineſſe. Aliam quoque differentiolam quandam ſibi obſervare viſus eſt, ſed adeo exiguam, ut in præſenti negotio jure pro nulla haberi poſſit: æſtimat enim eam $\frac{1}{10}$ unius gradus ſeu $\frac{1}{\frac{1}{10}}$ totius ſcalæ, hoc eſt, fere $\frac{1}{60}$ digiti unius pedis regii Pariſini.

HISTORIA VARIOLARUM, QUÆ PER INSITIONEM excitantur, Autore EMANUELE TIMONIO, Constantinopolitano, in Universitatibus Oxoniensi & Patavina Philosophiæ & Medicinæ Doctore, & Regiæ Societatis Anglicanæ socio.

Constantinopoli, A. 1713, Mense Decembri.

CUm nuper admodum liber iste prodierit Constantinopoli, excerpta nobiscum communicata, quamvis ipsum librum nondum vidimus, hoc loco inserere par existimavimus.

Ex quo ab annis haud paucis Constantinopoli rumor sparsus fuit, Circassos, Georgianos, Armenios, multosque alios Asiaticos variolas per insitionem excitare, Græci tandem, illuc migrantes, eas passim inserere cœperunt, eoque cum successu, ut facta per ultimos hosce 8 annos in millenis subjectis experientia insitionis utilitas & securitas extra omnem nunc dubitationis aleam posita fuerit. Unde Autor clarissimus permotus in quamplurimis ex cognatis & affinibus suis in utriusque sexus & cujuscunque ætatis ac temperamenti individuis, concurrente etiam quacunque vel pessima aeris constitutione, operationem hanc instituit, nec ullum unquam ex variolis insititiis mortuum nec luctuosi quicquam passum fuisse, sancte testatur, quanquam a variolis populariter grassantibus dimidia decumbentium pars fuerit enecta. Insititias autem istas variolas pauca & levia ut plurimum comitantur symptomata, aliquando & nulla, nec cicatricibus unquam aut foveis inde deturpatur facies. Operationis enchiresis hæc est: Eligendus initio hyemis & appetente vere puer est sani temperamenti, nullave lue inquinatus, variolis distinctis (non confluentibus) correptus, cui die duodecimo aut decimo tertio a morbi principio acu tuberacula quædam in tibiis & poplitibus præcipue pertundantur, ut pus inde effluens subjecto vasculo vitreo excipiatur, quod tegendum & sinu fovendum est; cum quo mox operator ad eum properet, cui variolæ sunt excitandæ, eumque in cubiculo temperato uno vel duobus vel paulo pluribus in locis in partibus carnosis, ut brachiis & lacertis, acu chirurgica seu tricuspidali vel phlebatomo transversim vulneret, ad guttulæ sanguinis effusionem, statimque pus variolosum obtusiori stylo vel auriscalpio infundat, & crumpenti sanguini

ſangvini probe immiſceat, hisque vulnuſculis ſuperimponat cortices nucum juglandium dimidiatos, locumq; faſciis legitime muniat, ne pus veſtibus abſtergatur, & poſt aliquot horas omnia removeat. Diæta interim utatur æger legitima, & a carnibus carniumque jure abſtineat ad minimum per 25 dies, imprimis in ætate provectior. Et ſic communiter ad finem ſeptimi diei efflorescere incipiunt variolæ diſtinctæ, paucæ, & raræ. Fuerunt, quibus nulla alia puſtula præter quam in locis inſitionis, quæ in purulenta tubercula extumeſcunt, erupit, & tamen immunes impoſterum a variolarum contagio vixerunt, quamvis variolantibus cohabiterint. Variolæ hæ brevi tempore exſiccantur, & partim in teneriſſimas pelliculas degenerantes decidunt, partim per inſenſibilem reſolutionem evaneſcunt. Materia effluens tenuior quædam eſt ſanies, nullas foveas pone ſe relinquens, ſi excipias loca inſitionis, quæ cicatrices relinquunt nullo tempore delebiles, quorumque materies ad puris naturam accedit. Si cui aliquod apoſtema erumpat, quod infantibus potiſſimum accidit, haud timeſcendum eſt, tutiſſime enim per ſuppurationem ſanatur. Non tamen uſitatum eſt, ab inſititiis variolis pus pro nova inſitione mutuari. Nec qui variolarum tributum naturæ jamdum ſolvit, ſi inſitionem patiatur, ullam alterationem percipiet.

Rationem hujus phænomeni traditurus Cl. Autor ad fermentationem refugium capit, quæ quemadmodum in panificio & arte cereviſiaria ex admiſto fermento, ita & in corpore humano minimarum particularum principia activa in motum inteſtinum redigit. Sicut autem in variolis communibus vel miaſma malignum aereum vel virulenta contagii corpuſcula, indolis quidem ſalino-ſulphureæ, ſed ſpecificam fracedinem nacta, ſtatim ac per reſpirationem hauriuntur, ſpiritus ipſos labe quadam teterrima inficiendo, ſubſequenter autem maſſam ſangvineam & lympham vitiando, ſolidasque ac nobiliores partes ſpaſmodice movendo, dira & lethalia inducunt ſymptomata; ita in variolis inſititiis tale quid haud metuendum venit. Non enim ſpiritus animales, nec maſſa ſangvinea aut lympha, multo minus partes ſolidæ adeo male plectuntur, hinc ſymptomata omnia leviora ſubſequuntur. Contagionis ſiquidem hujusce fermentum non ſpirituoſum, non aereum, non

acutum

acutum eſt, ſed humorale, iners ac pigrum; venena autem quo ſubtiliora, eo pejora. Nulla igitur exiſtente proportione, nulla etiam inter hoc fermentum & ſpiritus poterit eſſe luctа. Pus equidem variolarum in ipſam ſubſtantiam ſanguinis immediate infuſum ſtatim in largum veluti pelagus ſe exonerans diluitur, involvitur, abſorbetur, obtunditur; unde mitеſcit, & in manſuetiorem indolem cicuratur. Contagioſæ itaque hæ particulæ ſanguinem ingreſſæ ſtatim ſibi congenera varioloſi ſeminis miaſmata ſanguini a nativitate indita inveniunt, iisque confermenteſcunt, ſeu invicem combinatæ ac complexæ haud amplius ſui juris fiunt, ut ulteriores excitent turbas, regiam vitæ petant, ſpirituum theſauros diripiant; nam mutuis compedibus conſtrictæ fixantur, præcipitantur, craſſioresque & hebetiores fiunt, quam antea fuerint. Statim igitur volubilioribus aquearum particularum portionibus, tanquam aptis vehiculis ſuperincumbentes ſanguinis motu a centro ad peripheriam tendente ad ambitum corporis protruduntur & eliminantur. Inde eſt, quod pus in inſititiis variolis generetur ſanioſum, dilutius, & aquea magis materia. Inde diſcimus, acido-ſalinas fermenti contagioſi particulas haud oleoſos paſſim ſanguinis globulos in cadaveroſam putredinem convertere, ſed blandioribus potius levioribusque aqueis particulis easdem dilutas & ſaturatas, foras eliminari. Ex abſentia etiam fovearum docemur, acres, aculeatas, pungentes & corroſivas ſalini fermenti particulas a balſamicis ſtatim ſanguinis globulis propelli; integram interim ſervari maſſæ ſanguineæ texturam, inviolatamque mixturam, nullam contingere fuſionem, nullam congrumeſcentiam, nullum corruptorium aut deſtructivum morbum. Ex inſitione enim ſanguinis in tantum ſolummodo fermenteſcit, quantum impuro a puri conſortio ſeparando ac per deſpumationem extrudendo ſatis eſt. In hoc fermentationis motu ſolum per undulationem quandam leviter aliquando afficiuntur ſpiritus, lympha & ſolidæ partes, & ſi quæ ad iſta contagii particulæ perveniunt, certe (quod inſitionis adumbrat metaphora) non niſi ſylveſtri acrimonia privatæ ac veluti dulcificatæ illuc meare poſſunt.

JO: FRAN-

JO. FRANCISCI BUDDEI, THEOL. D. ET P. P. O. Dissertationum Theologicarum Syntagma.

Jenæ, apud Jo. Mich. Goldnerum, 1713, 4.

Alph. 4 pl. 9½.

QUæ in Academia Salana antehac diversis temporibus propositæ ac publice ventilatæ fuerunt dissertationes theologicæ, eæ nunc junctim in lucem prodeunt, tanto magis merito æstimandæ, quo partim selectioris sunt argumenti, partim emendatiores comparent. Quum enim animadvertisset Summe Reverendus Autor, unam vel alteram illarum dissertationum aliquoties ipso inscio & invito recusam, mirumque in modum erroribus typographicis commaculatam esse, novam editionem parare, eandemque unice pro genuina agnoscere necesse duxit. Sex igitur sistit præsens collectio, quarum prima evincere conatur, Clementem Romanum atque Irenæum non favore missæ Pontificiæ. Adornaverat nempe Cl. Vir, Jo. Ernestus Grabius, novam Irenæi editionem, eaque occasione missaticum sacrificium palam disertis verbis defenderat, optaveratque, ut, postquam multi ex Protestantium numero, hunc Lutheri & Calvini errorem ac nævum, & apostolicæ ecclesiæ doctrinam agnovissent, hujus quoque sanctissimæ formulas liturgicas, quibus dictum sacrificium Deo offertur, ab illis male e suis cœtibus proscriptas, in usum revocarent, & summum hunc honorem divinæ Majestati debite redderent. Quum vero sacrificium eucharistiæ inter ea, quibus ecclesia Romana a puriori evangeliorum cœtu dissentit, dogmata haud ultimum locum teneret, & præterea Jesuitæ commentariorum Trevoltiensium Autores, dum Irenæum recensent, ea de re maximopere triumpharent, paulo uberius illam materiam expendere Ven. Buddeo visum fuit. Eum in finem ex Concilii Tridentini decretis vulgarem Romanensium sententiam peculiaremque Jacobi Benigni Bossueti opinionem de sacrificio missæ proponit, ac nostræ ecclesiæ mentem ex Augustana Confessione ejusque Apologia explicat. Deinceps nullum in veteris Ecclesiæ testimonio præsidium inveniret Grabius, in originem & fata erroris de isto sacrificio inquirit, ac docet, quod tempore Christi & Apostolorum nihil prorsus de eo

ſciverint, nec ipſa vox miſſæ cognita fuerit. Apud Juſtinum Martyrem, ſeculi ſecundi Scriptorem, qui cuncta tam accurate ſcripſit, & ad minutias usque perſecutus eſt, nullum ſacrificii, nedum propitiatorii, veſtigium comparere, nec oblationes, quarum mentionem facit, huc quicquam conferre, aut denique ex ejus dialogo cum Tryphone Judæo argumentum peti poſſe, oſtendit. Idem aſſerit de ſeculo tertio, & quamvis oblatio pro mortuis præcipuum ſacrificii miſſatici præludium extiterit, rituumque, ceremoniarum, ſymbolorum nimia veneratio ab apoſtolica ſimplicitate & puritate abludens acceſſerit, nullum tamen ex prioribus ſeculis ad ſeptimi initium usque produci teſtimonium poſſe ait, quo probetur, veteres Chriſtianos ſacrificium propitiatorium in euchariſtia ſacra agnoviſſe. Succeſſu temporis theatralem rituum ſacrorum pompam incrementa magna ſumſiſſe, & veſtium, altarium ſimiliumque rerum in euchariſtiæ celebratione apparatum mirifice auctum, miſſas etiam ſolitarias, quas vocant, inſtitutas, doctrinamq; de transſubſtantiatione ortam eſſe confirmat, donec tandem ex tot, quæ ſuperſtitio texuit, ſtaminibus corpus ipſum pleno habitu conſpiciendum ſe præbuerit, miſſæque adeo ſacrificium in Concilio Tridentino firmatum & anathemate roboratum fuerit, etiamſi nonnulli in ipſo concilio contra hanc ſententiam, quæ ab iſto tempore ad noſtram ætatem usque inter Pontificios recepta eſt, acriter diſputaverint. Quibus rebus copioſe ac erudite expoſitis ad objectiones doctiſſimi Grabii pedem promovet celeberrimus Autor, & loca Clementis, quæ pro ſacrificio propitiatoris urgentur, vindicat, nec vocabulo προσφορᾶς ejusmodi ſenſum tribui poſſe cum Jo. Fello arbitratur, unde mirari ſubit, velle adhuc doctos Viros ad Clementis autoritatem provocare. Irenæi loca dum affert, Malachiæ vatis oraculum cap. I, 10, 11, cui tota ſalus ſacrificii miſſatici innititur, illuſtrat, ac deinde expoſitionem oraculi, quam Irenæus dedit, defendit, eique tantum de ſacrificiis ſpiritualibus ſermonem eſſe adverſus Fevardentium, & qui ipſi ſuffragatur, Grabium probat. Progredimur vero ad ſecundam diſſertationem, quæ de prærogativis fidelium Novi Teſtamenti præ fidelibus Veteris Teſtamenti agit. Ubi ab initio ſtatim Ven. Autor fœdera Dei cum hominibus inita conſideſat, & quemadmodum de

duobus

duobus, altero legali, altero gratiæ, nobis conſtat, ita fœderi gratiæ tria potiſſimum intervalla aſſignat, quorum primum illud tempus complectitur, quod Patriarchas tulit, alterum populo Iſraelitico proprium eſt, tertium a Chriſti adventu per varia fata usque ad finem mundi decurrit. Nequaquam vero cum Jo. Coccejo vetus teſtamentum ad ſtatum populi Iſraelitici tantum reſtringit, unde de prærogativis diſſerens, cumprimis quidem de veteri teſtamento ſtricte ſic dicto ſe loqui monet, ita tamen ut ſtatus Patriarcharum non plane excludatur. Prærogativas tum falſas & fictas, tum veras & genuinas diſtinctis aſſertionibus in medium profert, prioribusque annumerat, quod Patres veteris Teſtamenti non habuerint promiſſiones ſpirituales, nec remiſſionem peccatorum a Deo impetraverint, nec fuerint ſub reatu pœnæ & culpæ, nec ſub maledictione, nec habuerint tranquillitatem conſcientiæ libertatemque & fiduciam accedendi ad Deum, & ſic porro. Poſteriores autem in præſtantia mediatoris, in reali peccatorum expiatione, in abrogatione legum ceremonialium, in mirabili donorum ſpiritualium copia & ubertate fideliumque multitudine, in conjunctione gentilium & Judæorum in unam viſibilem eccleſiam, denique in promiſſionum præſtantia ponit, multisque Scripturæ locis lucem hac occaſione affundit. Tertia Diſſertatio in originem & poteſtatem Epiſcoporum inquirit, ac ſingularem ſententiam Clariſſimi Viri, Henrici Dodwelli, expendit, ex edita eam in rem Paræneſi ad exteros, Reformatos pariter atque Pontificios, depromtam, qua jura Epiſcoporum vetera, eorundemque a magiſtratu ſeculari independentia, omnibus aſſerenda commendatur. Imprimis pro primatu eccleſiarum tum Hieroſolymitanæ tum Epheſinæ pugnat Dodwellus, ſed aſſertum illud omni fundamento deſtitui confirmat Ven. Autor, originemque Epiſcopatus deducit partim ex ambitione illorum, qui imperare aliis gaudebant, partim ex presbyterorum unius ejusdemque collegii ſchiſmatibus & contentionibus, quibus non aliter obviam iri poterat, quam poteſtate quadam ἀναγκαστικῇ primis in ordine conceſſis. Reliquas Dodwelli ſententias, quæ ſub examen vocantur, in Act. Anni M DCC V p. 132 ſqq. pluribus expoſuimus, ut proinde opus non ſit, denuo omnes illas enarrare. Peccata typica doctiſſimus Autor in quarta

dissertatione recenset, ac per ea intelligit impiorum in Vet. Test. crimina pravasq; actiones, quibus alia aliorum hominum impiorum male facta fuere præfigurata. Exemplis rem illustrat, & Caini, qui primus ab Ecclesia Dei divortium fecit, fratricidium, Balaami consilium, Chami delictum, Esavi actum, quo jus primogenituræ pro pulmento vendidit, inobedientiam uxoris Lothi, Achitophelis erga Davidem perfidiam & factum, quo vitam laqueo ipse finivit, producit, istaq; peccata singula ad antitypum refert. Sodomam, Ægyptum, Babelem, Tyrum in scriptis Prophetici typum regni Antichristi interdum exhibere, contra Coccejum probat, facinusque Hoseæ divini vatis, mulierem scortatricem legitimo matrimonio sibi jungentis, typum quidem, non tamen peccatum typicum fuisse pronunciat, ac de Antiocho Epiphane, Anti-Christi typo, occasione loci Dan. XI, 21, quem a corruptelis Henrici Hulsii vindicat, nonnulla subjungit. Sequitur quinta de origine, dignitate & usu nominis Christiani ad Actor. XI, 24, in qua locum secundum omnes circumstantias explicat, & num Christiani, priusquam istud nomen acceperunt, discipulorum, fratrum & sororum, Nazaræorum, Jessæorum, Galilæorum nomine venerint? disquirit, ipsumq; titulum Christianorum ob arctissimam eorundem cum Christo unionem maxima cum dignitate conjunctum esse docet. In sexta deniq; dissertatione veritatem religionis Christianæ Philosophorum Gentilium obtrectationibus confirmare aggreditur, eoq; consilio Epicuræorum & Stoicorum, Crescentis, Celsi, Luciani Samosatensis, Porphyrii, Philostrati, Hieroclis, Libanii, Juliani Apostatæ, Himerii Sophistæ, Ammiani Marcellini, Eunapii, Olympiodori, Zosimi aliorumq; cavillationes enumerat, quæ tamen ita comparatæ sunt, ut comprobent magis, quam evertant veritatem. Succedit appendix tripartita, quæ theses quasdam Philosophicas & Theologicas, itemq; Orationes quatuor ac totidem Programmata continet. Theses Philosophicæ de notionum moralium & civilium ad alias disciplinas translatione caute instituenda, Theologicæ autem περὶ τῆς ἀκριβείας in vita Christiana agunt. Oratio prima de divinæ providentiæ circa scholas & Academias documentis, altera de veritatis & pietatis nexu necessario, tertia de providentiæ divinæ circa Academiæ Jenensis conservationem documentis, & quarta de origine ἀποθεώσεως seu Canonisationis in

Ecclesia

Ecclesia Romana differit. In Programmatibus ex instituto sermo instituitur περὶ τῆς γνώσεως ψευδονύμε, ex 1 Tim.V,20, itemque de Theologiæ Polemicæ studio solide ac sobrie instituendo, ubi methodus concinnandi Institutiones theologiæ polemicæ delineatur, nihilque magis optandum, quam ut propediem illæ lucem publicam adspiciant. Tertium programma de origine gentis Ebrææ contra Jo. Tolandum disputat, utpote cujus sententia eo redit: Ebræos origine fuisse Ægyptios, quibus alii infimæ sortis homines fuerint admixti; orto autem in Ægypto servili bello hanc variorum hominum colluviem insurrexisse contra superiores, & ductore Mose, qui ante sacerdos Ægypti fuerat, excusso jugo, manu armata ex Ægypto egressam Palæstinam deinceps occupasse. Deniq; quartum Arabicorum hæresin describit, qui teste Eusebio olim asseruerunt, hominum animas in præsenti quidem seculo una cum corporibus interire atque corrumpi; rursus vero tempore resurrectionis simul cum iisdem corporibus ad vitam esse redituras. In præfatione Autoribus commentariorum Trevoltiensium, qui nonnulla ipsi quoad secundam dissertationem objecerant, respondet, eosdemq; hypothesibus Romanæ Ecclesiæ, cui addicti sunt, nimium indulgere, ac nihil minus, quam ἀκρίβειαν exquisitumque in recensendis ac dijudicandis aliorum scriptis judicium ab illis exspectari posse, arbitratur.

JO. FRANCISCI BUDDEI, D. ET P. P. MEDITATIONES sacræ, seu Prolusionum Festarum Decas.

Jenæ, literis Mullerianis, 1713, 4.

Plag. 15.

JUngimus statim aliam collectionem uno eodemq; mense evulgatam, in qua decem prolusiones ad celebrandos dies festos maxime solemnes, videlicet Nativitatis Christi, Paschatos & Pentecostes, a celeberrimo Autore, quamdiu in Academia Jenensi munere Theologiam publice docendi functus est, conscriptæ comparent. Prima illarum proponit infantem doctorem ad Jes. XXX, 20, ac Jesum humana carne indutum eo nomine insigniri ex contextu demonstrat, qui infans in ipso vitæ initio docere cœpit, suoq; exemplo summam simplicitatem, humilitatem, rerum mundanarum contemptum, luxuriæ fugam, & paupertatis commoda docuit. Secunda ἀγγέλως ἐπιθυμοῦντες παρακύψαι ad 1 Petr. I, 12 describit, at-

que id ipſum, quod ſua ſuavitate ita allicit ac percellit angelos, arca fœderis, cui Cherubini incumbebant, aptiſſime adumbratum fuiſſe docet. Tertia de temperamento lætitiæ ac triſtitiæ contra Fridericum van Leenhof agit, quippe qui gaudii, quo Chriſtianos dignoſcimus, limites eo usq; extendit, ut ſalutaris quoque triſtitiæ viciſſitudines, in hac vita inevitabiles, excludat. Tota controverſia in Hiſtoria Spinoziſmi Leenhofiani, & a nobis in Act. A. MDCC VII p. 330 enarratur. Quarta diſputationem, quam Paulus vir divinus Athenis cum Stoicis & Epicuræis Philoſophis de reſurrectione Chriſti a mortuis Act. XVII, 17, 18 inſtituit, egregie illuſtrat, ſummamque doctrinæ Apoſtolicæ, ac ſermonum omnium compendium tradit. Quinta veritatem reſurrectionis Chriſti contra impias quorundam objectiones aſſerit, ac ſpeciatim Benedicti Spinozæ errores confutat. Sexta Chriſtum infantem a Magis religioſe adoratum fiſtit, ſententiamque Richardi Simonis, qui de civili ſaltem cultu iſtam Magorum adorationem accipit, examinat, ac veram loci Matth. II 2 & 11 expoſitionem conſentientibus Irenæo, Cœlio Sedulio, Juvenco presbytero & Leone Magno affert. Septima de unctione ſpirituali Chriſtianorum diſſerit, ac præeunte Euſebio olei uſus commemorat, quod lumen augeat, feſſos ſublevet, labores auferat, eos qui ipſo unguntur, hilares faciat, inſtar luminis de ſe ipſo vibret ſplendores, nitidumque ac micantem, qui ipſo utuntur, vultum comparet. Octava aliquot apparitiones Chriſti recenſet, & argumenta Guilielmi Whiſtoni, Arianiſmi in Anglia reſtauratoris, qui Chriſtum mane illius diei, quo ſurrexit, in cœlos quoque aſcendiſſe contendit, ſub examen vocat. Nona Principem pacis ad Jeſ. IX, 6 delineat, ac Prophetam non de Hiskia, ſed de Chriſto loqui evincit. Decima deniq; de ſeptem ſpiritibus coram throno Dei ad Apoc. I, 4 eruditam meditationem ſubjungit, numerumque ſeptenarium myſterio haud prorſus carere notat, ac Spiritum Sanctum ab Eſaia vate ſpiritum Domini, ſapientiæ, prudentiæ, conſilii, virtutis, ſcientiæ & reverentiæ Domini ſepties appellari obſervat uberiusque exponit.

ELOGIUM GOTTLIEB GERHARDI TITII, JCti.

EXequias nuper ivit noſtra Academia Rectori ſuo doctrina & morum integritate præſtanti Viro Ill. *Titio*, ſocio quondam noſtro deque Actis hiſce optime merito. Edidit eum *Norn-*

buſa,

husa, libera Imperii Civitas, die V Jun. anno supra milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimo primo, honeſtiſſima proſapia oriundum, quippe qui Patrem cieret *Joannem Titium*, Comitiva Palatii donatum, Comitis Stolbergenſis Cancellarium, Ordinis Equeſtris & Civitatum Comitatus Hoenſteinenſis & Northuſanæ Reipublicæ Syndicum; materno autem genere nobiliſſimas *Wildiorum Stiefferiorumque* gentes conſanguinitate attingeret. Puer admodum in patrium, deinde in Aſcanienſem ludum miſſus, ut erat ingenio docili & ſolerti, tam proſperos in omni literarum genere, quibus prima ætas imbui ſolet, progreſſus fecit, ut A. M DC LXXX ad Philuream noſtram, velut optimarum artium mercatum, ſe conferret. Hic præpoſterum illorum morem exoſus, qui ſevera lege, ut veterum nonnemo dixit, ſuos nolunt proficere, & dum ad vota properant, cruda adhuc ſtudia in forum propellunt, & Juris ſcientiam pueris induunt adhuc naſcentibus, ipſe prius quidem quam ad Themidos adyta perveſtiganda animum appelleret, eum Philoſophiæ præceptis probe innutrire ſatius habuit. Juvarunt clarum Juvenis inſtitutum Viri doctiſſimi & magna nominis ſui fama literas has tum profitentes, *Valentinus Alberti*, *Jacobus Thomaſius* &c, quocum conjunctiſſime vivebat, *Gottlob. Friderieus Seligmannus*. Cum hoc etiam haud multo poſt, morbo peſtilentiſſimo non urbem hanc ſolam ſed Saxoniam pene totam vaſtante, Roſtochium migravit, ubi per biennium & amplius commoratus paulatim ad Legum diſciplinam ſe convertit, ſedulus auſcultator *Sibrandi* & *Feſtingii* Anteceſſorum, & inprimis *Lembkenii*, qui Conſulatum ea in urbe tenebat. Inde Lipſiam iterum reverſus Scholas illuſtrium Juris interpretum *Bornii*, *Suendendorferi*, *Carpzovii*, *Ittigii*, *Thomaſiique* frequentare inſtituit, quorum eximiis doctrinis, cum jam ſatis firmatum ſe intelligeret, expoſita publice & defenſa feliciter *de Obligatione ex Teſtamento imperfecto* Diſputatione, d. XXVI April. M DC LXXX IIX inſignia Doctoris ſolemni ritu accepit. Ab eo tempore, incredibile dictu eſt, quanta induſtria & ſagacitate divina humanaque jura omnia excutere inceperit, quam pertinaci ſtudio genuina illorum fundamenta, a præjudiciis autoritatis obſeſſa hactenus & fere obliterata, eruere & velut poſtliminio reſtituere conatus ſit; ut nulla Juris propemodum pars ſit, quam ille a mendis liberare & ad nativum

ſuum

ſuum decorem reducere non tentaverit. Erat ipſi a fori ſtrepitu mens alienior: Cauſidicinam non oderat quidem, neque tamen, quod in veritatem inquirenti ſibi fucum facere poſſe ſuboleret, unquam attigit: ubi vero Tribunalibus ſummis admotus eſt, cauſarum tractandarum tam peritum ſe oſtendit, ut omnem in iis ætatem contriviſſe videri poſſet. Ad docendum ſe dabat, quicunque eum adirent. Oratio ipſi brevis & ſuccincta, perſpicua tamen & ſine affectatione leniter decurrens. In meditatione ſubtilis & ſolidus, in ſcribendo libertatem modeſtia temperatam amabat, contradicentes æquo animo ferens, ſic tamen ut aculeos ſentirent, quicunque ipſum laceſſerent. Dignitates & munia publica nec ambiit, nec ſprevit, paratus etiam, ſi divinæ providentiæ placuiſſet, intra privatæ vitæ cancellos conſeneſcere. In Ordinem tamen JCtorum noſtratium d. XXIV Febr. M DCC IX cooptato ſequentes anni præter ejus expectationem nova ſubinde incrementa adjecerunt, quorum ille poſſeſſionem ſine ambitione admiſit & tenuit. Anno M DCC X Profeſſio publica Pandectarum, mox etiam Codicis ei ceſſit. Idem annus eum ſupremo, quod Dreſdæ eſt, Provocationum Senatui adſcripſit, & A. M DCC XIII Curia ſuprema provincialis Lipſiæ illum inter ſuos Aſſeſſores retulit: quas ille provincias ſibi demandatas tam digne exornavit, ut ſpem de ſe conceptam non expleverit ſolum, ſed & ſuperarit. Tandem Magiſtratu ſummo ab Academiæ Ordinibus ipſi delato, cum animi corporisque vires tot tantisque vigiliis laboribusque ſenſim imminutas intellexiſſet, tum Lethargo & Purpura albicante & rubicunda oppreſſus, die X April. anno quem agimus, cœlo animam reddidit. Juſta perſolverunt more majorum Cives Academici. Multa reliquit ingenii monimenta, typis deſcripta, magno ſemper ab eruditis applauſu excepta. Vernaculo ſermone extant, *Specimen Juris Feudalis Germanici*, itemque *juris Eccleſiaſtici Germanici*, & *Vindiciæ contra Tœlnerum*: Latino autem, *de Arte cogitandi, notæ ad Pufendorfii Libros de Officio Hominis & Civis, Inſtitutiones juris Publici & vindiciæ contra Vitriarium, Severinus de Monzambano cum Notis Variorum, obſervationes ratiocinantes ad Compendium Digeſtorum Lauterbachii, Syſtema juris univerſi*, ac complures Diſſertationes ſingularis argumenti.

* * *

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipſiæ
Calendis Septembris Anno M DCC XIV.

IO. ALBERTI FABRICII, D. PROF. PUBL. & h. a. Gymnaſii Rectoris, Bibliothecæ Græcæ Libri V Pars altera, ſive Vol. VI.

Hamburgi, ſumtu Chriſtiani Liebezeit, 1714, 4. Alph. 4 plag. 13.

PRocedit Vir celeberrimus & præclaris in rem literariam meritis nemini noſtra ætate ſecundus, in exquiſito opere, in quo jam ab aliquot annis cum laude elaboravit. Et præſens quidem Volumen præter inedita nonnulla, de quibus paulo poſt dicemus, complectitur Græcos Scriptores Annalium, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & Byzantinæ, ac denique Eroticos. Itaque Caput III, quod excipit duo illa, quibus pars prior libri V abſolvitur, de *Conſtantino M.* ejusque Orationibus, epiſtolis & edictis, Confeſſione item & donatione ſuppoſita, cujus exemplum Græco-Lat. p. 5 affertur, exponit; cumque hac occaſione crucis, a Conſtantino M. quondam viſæ, facta eſſet mentio, recuſa exhibetur Cl. Autoris erudita de ea diſſertatio, qua diſputatur, crucem illam, quam in cœlis is vidiſſe ſe juravit, fuiſſe phænomenon naturale in halone Solari, quo proinde ſummum Numen ad perficiendam ejus ad Chriſti ſacra converſionem uſum ſit. Ea diſſertatio jam An. M DCC VII in Gymnaſio Hamburgenſi ventilata eſt, ipſa vero hæc explicatio probabilis viſa eſt Vener. *D. Jo. Andreæ Schmidio* in Hiſtoria Seculi IV fabulis maculata, quæ prodiit Helmſtadii 1712. In confirmationem interpretationis hujus decem alia huic ſimilia phænomena ex veteri memoria referuntur. Caput IV *Euſebio Cæſarenſi* & ceteris Hiſtoriæ Eccleſ. ac Chronicorum Scriptoribus deſtina-

tum eſt, ubi poſt recenſita Euſebii edita Indices Scriptorum in Præparat. Evangel. & Hiſtor. Eccleſ. libris allegatorum p. 37 & 63 repræſentantur, enumerantur inedita ac denique Euſebii alia amplius ſexaginta p. 105 diligenter appellantur & accurate diſtinguuntur. His addi ſorte debebit *Euſebius* Presbyter, qui ſub Juſtiniano Imp. vixit, de quo exponit Cotelerius ad Tomum III Monumentorum Eccleſiæ Græcæ p. 604, niſi is tribus illis, qui in hoc Indice memorantur, Euſebiis Presbyteris contineatur, quod nunc excutere non licet. Inter illos Euſebios occurrit etiam Epiſcopus, qui vocatur Alexandrinus, de cujus ineditis Homiliis Noſter jam Parte I libri V p. 275 præceperat. Hunc Euſebium meminimus in *Damaſceni* Parallelis, ab eruditiſſimo *Mich. Le Quien* nuper cum laude curatis, crebro allegari; nec improbanda ſorte fuerit ejusdem conjectura in notis ad eadem Parallela Tomo II p. 666 prolata, quæ eo continetur, quod, cum aliunde non conſtet, Euſebium quendam Alexandriæ Epiſcopum fuiſſe, librariorum lapſus in hoc titulo agnoſcendus ſit, qui, cum ſcribere debuiſſent Ευσέβιος Επίσκοπος πρὸς Αλέξανδρον ſcripſerint Επίσκοπος Αλεξάνδρ. quam priorem inſcriptionem in MSS. quibusdam ſibi inventam teſtatur. Idem vero ipſum hunc Euſebium non putat certæ ſedis, ſed tantum ob egregias virtutes ſuas conſecratum Epiſcopum fuiſſe. Sed ut ad inſtitutum revertamur, exhibent ſe nobis porro p. 112 Scriptores Hiſtoriæ Eccleſ. Græci deperditi, *Hegeſippus*, *Judas* & *Julius Africanus*, *Philippus Sidetes* &c. tum vero *Philoſtorgius*, *Socrates*, *Sozomenus*, *Theodoritus*, *Evagrius*, *Theodorus Lector*, *Nicephorus Calliſtus* usque ad p. 130. Præter hos Chronicorum Scriptores Græci deperditi p. 135, & inediti p. 157, Chronographi, qui Euſebium ſecuti ſunt, Græci p. 138 ſqq. enumerantur, v. c. *Jo. Malalas*, Chronici Alexandr. Scriptor *Dorotheus Tyrius*, cujus ὁμώνυμοι p. 145 recenſentur alii. Totum caput Indices Scriptorum a Jo. Malala, Cedreno & Zonara, Georg. Syncello ac Theophane, Chronico Alexandr. & Mich. Glyca citatorum claudunt. Caput V refertur ad Scriptores Hiſtoriæ Byzantinæ, ubi primo quidem conſpectus corporis Byzantini, e Regia Lupara Pariſiis vulgati, exſtat p. 221 ſq. Hinc vero ſinguli, qui huc ſpectant, Scriptores

cum

cum homonymis ſuis & Indicibus Scriptorum, quorum in iis ſit mentio, ordine dantur conſpiciendi, quos hic recenſeri inſtituti ratio non permittit. Neque tamen omittendum eſt, quod, quando de Niceta Acominato Choniata p. 401 ſq. exponitur, fragmentum quoddam ejus de Statuis æneis igni poſt captam a Latinis CPolin traditis Græce & Latine aſſeratur, quod in editis omiſſum, & ex V. C. *Jo. Langbenii* ſchedis, quæ in Bodlejana Bibliotheca adſervantur, a Jo. Chriſtoph. Wolfio Græce deſcriptum erat. Dum de *Georgii Pachymeræ* Hiſtoria Byzant. p. 458 agitur, recenſetur quoque liber de Sapientia Indorum, quem Poſſinus priori Volumini Pachymeræ ſubjecerat. De *Geneſii* Hiſtoria hucdum non edita, quam ab eruditiſſimo *Godfrido Oleario*, Academiæ noſtræ Theologo, exſpectamus, diligenter commentatur Noſter p. 611 ſq. eidemque ad latus collocat p. 626 *Ceremoniale Græcum* ineditum, quod ad rationes Aulæ & Eccleſiæ CPolit. pertinet, & a Nobiliſſimo Viro, *Zacharia Conrado ab Uffenbach* Francofurti ad Mœnum MS. adſervatur. *Simeonis Metaphraſtæ* mentio fit p. 509 ſq. qua quidem occaſione optimo conſilio Vitæ Sanctorum, ſive ab illo Metaphraſta ſive ab aliis ſcriptæ, literarum ordine p. 520 recenſentur, ita quidem, ut ſingularum Vitarum initia cum nominibus Scriptorum quibus tribuuntur, commemorentur. Scriptores inediti & ad Hiſtoriam Byzantinam facientes una cum deperditis enumerantur p. 684. His ſuccedunt *Franc. Combefiſii* Faſciculus Originum rerumque CPolitan. p. 687, *Frid. Sylburgii* Saracenica p. 689, Scriptores Græci adverſus Muhamedanos p. 691, *Mart. Cruſii* Turco-Græcia p. 692 & *Leonis Allatii* Συμμικτα p. 704. Hinc cum voluptate legas Catalogum Epiſcoporum Byzantinorum, qui ante Conſtantinum fuiſſe incerta fide feruntur, p. 707, & Conſpectum Chronologicum Impp. & Patriarcharum CPolit. a Conſtantino M. usque ad captam a Turcis CPolin, annotatis ſubinde præcipuis, qui ſingulorum res expoſuere, Scriptoribus, p. 709. Sequitur Catalogus Patriarcharum CPolitan. a capta per Turcas urbe usque ad An. 1708 p. 746, deinde Catalogus alphabeticus Imperatorum omnium p. 751, & Patriarcharum CPolit. p. 757, tempore, quo præfuerunt, ad ſingulorum nomina annotato. Totam hanc

tractationem claudunt *Godfridi de Villeharduin* Historia CPoleos a Gallis Venetisque A. C. 1204 captæ Gallice scripta, p. 761, Scriptores de eodem argumento & de Europæorum in Palæstinam expeditionibus p. 763, *Cangii* Historia CPolit. sub Impp. Gallis p. 765. ejusdemque Familiæ Byzantinæ & CPolis Christiana, Glossariumq; Meursii duplex Mediæ Græcit. & Latinit. p. 766, ac denique *Mart. Hanckius* de Scriptoribus rerum Byzant. ut & *Rud. Capelli* Byzantina. Caput hoc obsignat Catalogus alphabet. Scriptorum, de quibus illo Volumine dictum erat, p. 769 sqq. Caput VI Scriptoribus Græcis Eroticis, nominatim *Heliodoro*, *Achilli Tatio*, *Longo*, *Eustathio* sive *Eumathio*, *Theodoro Prodromo* & aliis recensendis destinatur, p. 784 sqq. Inter cetera legitur p. 800 erudita V. C. *Maturini Veyssirii la Croze* ad Jo. Christoph. Wolfium epistola de libris Athenagoræ tributis de vero Amore & de ara Dosiadæ. Qua occasione monemus, eidem Viro celeb. deberi *Vindicias contra Harduinum*, quas per errorem in Indice generali III nuper edito adscripsimus Joanni Cornando de la Croze. Denique toti huic libro colophonem imponit Index Homonymorum alphabeticus, qui in sex voluminibus Bibliothecæ Græcæ discutiuntur.

Inter alia hucdum non edita p. 372 sqq. supplentur ex Codice MS. Gudiano, ex quo exscripserat V. C. Michael Richey, *Leonis Imp. Naumachica*, quæ in Tacticis editionis Meursianæ cap. XIX leguntur. Sic & p. 789 Græce exhibetur *Heliodori* Poema Chemicum versibus Jambicis scriptum, quod ex apographo Codicis Parisiensis nunc prodit. In præfatione præstantissimus Autor exhibet Indicem Capitum, proximo Volumini inserendorum, quæ ad Grammaticos Græcos, *Libanium* item, cujus quædam non edita pollicetur, *Julianum*, ac inprimis Doctores Ecclesiæ referuntur. In calce hujus præfationis cordate monet Vir eruditissimus, carmen illud, quod de ritibus Missæ sub *Mauritii Senonensis* nomine tanquam ineditum subjunxerat *Bibliographiæ Antiquariæ*, jam antea sine nomine Autoris, & parum emendate inter fragmenta Caroli M. & Rabani aliorumque de veteris Ecclesiæ ritibus cura *Wolfg. Lazii* Antwerp. 1560, 8 vulgata, ut & sub *Hildeberti* nomine tum in Opp. Hildeberti, tum in Bibliothec. PP. prodiisse. De ceteris eruditis observationibus, quæ frequenter cum contextum

contextum libri tum notas distinguunt, dicere hic non licet nobis, quibus indicium earum nunc feciſſe, & felices in eximio Opere progreſſus eruditiſſimo Autori ex animo apprecari ſufficit.

DE VITA ET MORTE MOSIS LIBRI TRES cum obſervat. GILBERTI GAULMINI, Molinenſis &c. & Præfat. JO. ALB. FABRICII.

Hamburgi, apud Chriſtianum Liebezeit, 1714, 8.
Alph. 1½.

HUnc variorum ſcriptorum Faſciculum Cl. Fabricii curæ debemus, qui hæc monumenta, non magnæ quidem autoritatis, ſed antiqua tamen & minus obvia, recudenda cenſuit, ut ſupplendo Codici utrique Pſeudepigrapho V. & N. Teſt. inſervirent. Primum locum occupant libri tres de Vita & Morte Moſis, qui primum quidem *CPoli* 1518, hinc *Venet.* 1585, iterumque 1605, 8 cum aliis opuſculis editi, cura *Gilb. Gaulmini* Hebraice cum ejusdem verſione Latina & eruditis animadverſionibus prodierunt Pariſ. 1629, 8, ex qua editione recudi nunc curavit Cl. Fabricius interpretationem illorum Latinam notis Gaulminianis munitam. Accedit *Ben Sira*, quem cum *Sirachide* eundem eſſe ſibi perſuadet Cl. Editor, Sententiæ Hebr. & Lat. cum commentario Scriptoris Anonymi, (quem *Paulus Fagius* Latine converſum cum ipſis illis Sententiis edidit *Iſnæ* 1532, 4) una cum apophthegmatibus Orientalium tribus libris a *Jo. Druſio Francqueræ* 1591 editis. Obiter hic notamus *Jac. Ebertum* plura Apophthegmata ex libro מבחר הפנינים i. e. *Selectæ Margaritæ*, ex quo maximam ſuorum partem repetiit Druſius, ſelegiſſe, quæ deinceps *Theodorus Ebertus*, Jacobi filius, cum notis ſuis edidit ſub titulo: *Electa Hebræa DCCL e libro Rabbin. Mibchar Happeninim excerpta, Latine reddita ac punctis inſignita, notisque politioribus illuſtrata*, Francof. ad Viadrum 1630, 4. Sequuntur in hac collectione Pſeudo-*Dorothei* Tyrii & aliorum veterum *ἀποσπασμάτια de Vita Prophetarum, Apoſtolorum & LXX Diſcipulorum* Chriſti, Græce & Latine, cum notis *Davidis Blondelli*, ex libro ejus de Epiſcopis & Presbyteris p. 99 ſq. petitis. Ceteri illi, qui hunc Dorotheum excipiunt, ſunt *Theodorus Prodromus* de

LXX discipulis Christi, *Hippolytus* de XII Apostolis, *Isidorus Junior* de Vita & obitu Sanctorum, *Sophronius* de Baptismo Apostolorum, & *Nicephori Callisti* Menologium, græce. *Dorotbei* versioni Hervetianæ additus est contextus Græcus ex edit. Cangii, in qua quæ desunt, ea ex Chronico Paschali supplentur. *Hippolyti* commentatio ex Tomo II Auctarii novi Biblioth. Patrum, quod *Franc. Combefisius* edidit, recusa est.

JO. CHRISTOPH. WOLFII, PROF. P. LL. ORIental. Hamburg. Notitia Karæorum ex MARDOCHÆI, recentioris Karæi, Tractatu hauriendа, Hebr. & Lat. una cum JAC. TRIGLANDII dissert. de Karæis recusa.

Hamb. & Lipsiæ, impensis Christiani Liebezeit, 1714, 4. Alph. 2.

SCripserat *Jac. Triglandius*, Professor quondam apud Batavos Lugdunensis, ad Karæos in Polonia de variis, quæ ad Karæorum sectam pertinent capitibus, ad quæ illi quidem per R. *Mardochæum* ita responderant, ut simul Sectæ originem antiquissimam, fata item & præsentem conditionem, ac præterea Scriptores præcipuos edissererent. Hæc dissertatio responsoria in epistolæ modum scripta est Hebraice ad Triglandium, ex cujus Bibliotheca, sub hasta divendita, ad Summe Vener. Jo. Fridericum Winckelerum, Pastorem apud Hamburgenses Nicolaitanum, pervenit. Eam Editor in lucem vel ideo proferendam censuit cum interpretatione sua Latina notisque, quod pauciss. ma Karæorum scripta exstare, nullum vero eorum, quæ exstant, (quamvis & illa rarissime obvia sint) Sectæ hujus rationes & historiam tam diserte, quam quidem in illa fit, exponere intelligeret. In quo consilio confirmatus est, postquam vidit, ex hoc Karæi tractatu ea maximam partem derivata esse, quæ Triglandius de hoc argumento singulari Diatriba commentatus erat, in qua tamen non pauca omissa sunt, quæ in eodem Tractatu tum de aliis argumentis, tum potissimum de scriptis Karæorum fusius exposita leguntur. Has habens instituti rationes in editione ipsa ita versatus est, ut contextui Hebræo interpretationem suam Latinam

tinam, in qua ſenſum magis quam voces ſectatus eſt, atque hoc ipſo indoli linguæ Latinæ propius acceſſit, ex adverſo opponeret, in inferiori vero ora exhiberet notas ſuas partim ad illuſtrandam partim ad confirmandam Scriptoris ſententiam pertinentes. Commentatio ipſa duodecim capitibus, quæ ex mente Scriptoris duodecim tribubus reſpondere debent, continetur, quorum I in compendio exhibet quæſtiones a Trigiandio propoſitas. II Loca Judæorum Rabbanitarum ſeu Traditionariorum, nominatim *Gedaliæ* & *Ganzii* affert, quæ Karæos a Sadducæis diſtinctos & illos his antiquiores eſſe tradunt. III Idem argumentum perſequitur productis R. *Jehudæ Levi* ex libro *Coſri* & R. *Levi* fil. *Abrahami* ex libro MS. teſtimoniis. IV Originem Karæorum a Sadducæis repeti non debere ex eo conficit, quod Karæi Sadocum & Baithoſum nusquam inter majores ſuos numerent, ſed potius deteſtentur, quod nunquam fuiſſent facturi, ſi ſuam illis deberent originem, ſicut plures alios, tanquam doctrinæ ſuæ aſſeclas recenſere ex antiquis ſoleant, quamvis in nonnullis ab illis diſcedant. Cap. V ex R. *Aſariæ de Rubeis* Meor Enajim demonſtrat, Karæos ſub Templo II jam exſtitiſſe, & Sadducæorum nomine comprehendi, quippe quorum duo fuerint genera, alterum eorum, qui Sadocum & Baithoſum ſectarentur, alterum vero, qui ſe ipſos a ſtudio juſtitiæ (צדק) ita appellarint, qui ipſi ſint Karæi. Cap. VI in ſcenam producit Seriem Principum, quos in Ægypto ſe habuiſſe profitentur Karæi, inde a primis initiis ad A. C. 1640, quo anno eam Karæus quidam *Cairi* inveniſſe traditur, deductam. Eodem capite manifeſtum facit, duos fuiſſe inter Karæos *Ananis* nomine inſignitos, quorum alter *Anan ben Schepheth*, tempore Miſchnæ obſignatæ, alter *Anan ben David* quatuor & amplius poſt Miſchnam abſolutam ſeculis vixit. Quando itaque Rabbanitæ tradunt, Ananis demum ætate ortos eſſe Karæos occaſione diſſenſionis, de principatu inter ipſum & alios obortæ; id non de Anane poſteriore, ad quem Rabbanitæ referunt, ſed priore accipiendum eſſe Noſter demonſtrat, quippe cujus ætate lites quasdam obortas eſſe ipſa Gemara teſtatur. Neque tamen vel ſic ex illa controverſia Karæorum origo repeti poteſt, cum illa civilis tantum fuerit, non autem ad doctrinæ di-

verſitatem

verſitatem ullo modo ſpectarit. Cap. VII fata & calamitates ut & ſtudia Karæorum in univerſum ſtrictim delineat. Cap. IIX poſt notitiam Karæi R. *Caleb Aba*, duplicisque ejus libri, עשרה מאמרות & גן ערן locum bene longum ex hujus ad poſteriorem librum, qui lucem nunquam vidit, præfatione affert, quo variæ cauſæ diſſenſionis Rabbanitarum a Karæis exponantur, & ipſa Sectæ Karaiticæ origo ex monumentis hiſtoricis accurate eruitur. Cap. IX idem urget argumentum verbis R. *Moſis Byzantini* ex libro ejus MS. cui titulus eſt משה אלהים, cujus longior de antiquitate & puritate doctrinæ Karait. diſſertatio exhibetur, poſtquam de Autore ipſo & ejus ſcriptis mentio facta eſſet. Inter cetera notatu digna conſpicitur Series, ordine temporis conſignata, Doctorum, per quos inde a Moſe usque ad hanc ætatem Karæi doctrinam ſuam propagatam eſſe cenſent. Cap. X de *Menachemo*, Karæo quodam, cujus ſcriptum aliquod poſſederat Triglandius, ſolicitum eſt, de quo tamen nihil ſibi conſtare fatentur Karæi: præterea de *Aquila* & *Onkeloſo* ex R. *Aſaria de Rubeis* quædam repetuntur. Cap. XI luculentam variorum inter Karæos Scriptorum notitiam exhibet, quam alibi fruſtra quæras. Præcipui eorum ſunt R. *Jehuda Hadclaſſi Haabel*, cujus liber אשכול הכופר præ ceteris laudatur, R. *Jacob ben Ruben*, *Aaron* uterque, *prior & poſterior*, alter *ben Joſeph*, alter *ben Elia*, *Elias Byzantinus*, R. *Caleb*, *Moſes Mizzordi*, R. *Jehuda Poki*, & alii, quorum recenſionem hic ſuſcipere non licet. Denique cap. XII oſtendit, Karæos eundem habere Codicem, quo utantur Rabbanitæ, & iisdem vocalibus, quas divinæ originis eſſe agnoſcunt, inſtructum. Hæc ſummam totius Tractatus repræſentant, ex qua intelligitur, Scriptorem hunc non ex ingenio ſuo, ſed ex monumentis hiſtoricis, quæ vel in Rabbanitarum, vel Karæorum antiquiorum ſcriptis ſuperſunt, argumentum hoc explicaſſe. In notis Editoris tum alia ad res & antiquitates Judæorum ſpectantia, tum inprimis ea, quae hiſtoriam eorum literariam illuſtrant, leguntur, nec raro vel emendantur, vel ſupplentur, qui de hoc argumento exſtant Scriptores, inter quos cum R. *Schabtai Strimer* in שפתי ישינים palmam reliquis præripiat, nec ille tamen ſine nota dimittitur. Ut proinde ſpecimen hic quaſi

ſiſtatur

ſtatur Biblioth. Rabbinicæ, in qua inſtruenda Cl. Editorem cum maxime occupari accepimus. Præmiſſa eſt Præfatio diffuſior, in qua Editor primo quidem ſuam de Karæis ſententiam proponens, triplicem Karaiſmi Epocham, præeunte antiquitatis teſtimonio, facit, primam quidem exilioris & adoleſcentis quaſi, quæ in ipſa traditionum initia aliquot ante C. N. ſeculis incidat, alteram robuſtioris & firmati annitente *Anane ben David* ſeculo poſt C. N. VIII, tertiam denique effæti & ſeneſcentis, quæ ad ſeculum XV refertur, quo res Karæorum miſere inclinare cœperunt. His pro inſtituti ratione copioſe expoſitis, Editor commentatur de ſcriptis Karæorum cum editis, tum manu exaratis, quæ vel in ipſo Karæi tractatu, vel in notis non erant commemorata; poſtea diligenter commemorat Scriptores illos, qui huc dum vel copioſius vel ſtrictiùs hinc inde de Karæorum rebus expoſuerunt. Appendicis loco recudi curavit *Jac. Triglandii* de Secta Karæorum Diatribam tum emendatiorem, tum Indice, qui hactenus deſiderabatur, inſtructam, gratiam hoc ipſo initurus ab iis, quibus Scriptores Trihæreſii, in quorum repetita editione hæc diatriba lucem adſpexerat *Delphis* 1703, in 4, ſeorſim poſſidentibus, eruditam Triglandii diatribam ſine illo Syntagmate comparare volupe fuerit, quæ ut ipſum Karæi tractatum paſſim illuſtrat, ita varia Novi Teſtamenti loca & quædam antiquitatis capita interiora & obſcura haud perfunctorie illuſtrat.

INTRODUCTIO AD LIBROS HISTORICOS Veteris Teſtamenti, Præcognita Critica & Hiſtorica, ac autoritatis vindicias exponens; adornata ſtudio JOH. GOTTLOB CARPZOVII, S. Theol. Prof. Publ. Extr. & Eccleſiaſtæ Thomani.

Lipſiæ, apud hæredes Frid. Lankiſii, 1714. 4. Alph. 2 pl. 3½.

MAxime Reverendus Autor, Eccleſiaſtes apud nos meritiſſimus, ac non ita pridem extraordinario quoque Theologicæ Profeſſionis muneri admotus, curate in Præfatione recenſet, quotquot in hoc ſtudio decurrentem ipſum anteceſſerunt lectu risque S. Scripturam facem prætulerunt ſcriptores. Ex noſtra-

tibus producit Ægid. Hunnium, Mich. Waltherum, (cujus vitia ſæpius araſſe, licet diſſimulato nomine, Heideggerum in Enchiridio ſuo, obſervat,) Laur. Fabricium, Abr. Calovium, Jo. Gerhardum, Jo. Henr. Majum, Ge. Serpilium, in cujus tamen opere multa reprehendit acriter, de ceteris quoque ſingulis addens, quid præſtiterit quisque quamque ſecutus ſit viam. Ex Pontificiis eodem modo ſiſtit Sixtum Senenſem, Nic. Serarium, Jac. Bonfrerium, Ant. Poſſevinum, Pet. Dan. Huetium, Joſephum de Voiſin, Cherubinum a S. Joſepho, Joſ. Mar. Torre, Claud. Fraſſenium, Scipionem Sgambatum, Rich. Simonium, Lud. El. du Pin, quem ceteris omnibus anteponit. Ex Reformatis citat Brianum Waltonum, Frid. Spanhemium, Jo Henr. Hottingerum, Jo. Coſinum, Jo. Eduardum, & Jo. Henr. Heideggerum. Poſtquam, uti diximus, interſeruit, quid in quoque deſideret, tandem concludit, nondum exſtare Iſagogen ad S. Scripturam, ita comparatam, ut, remotis peregrinis & ad rem non facientibus digreſſionibus, ea præciſe exponat, quorum cognitio aditum ac viam ſternit ad ſacrarum tabularum lectionem. Quare conſultum credidit, adhibitis eorum, quos memoravimus, operibus, ac præterea interpretum commentariis, Introductionem adornare ejusmodi, quæ omnia complectens neceſſaria, brevitatis tamen gratia non careat. Ordinem proinde ſecutus eſt hunc-ce. Primum inſcriptionem libri expendit: deinde de loco, quem is in Canonis codice tenet, diſſerit: tum diſpicit de ſcriptore: hinc argumentum libri exhibet, itemque ſcopum ac utilitatem: inde de libri autoritate canonica diſputat: poſtea de chronologia. Tunc ſequitur generalis partitio libri, & ſingulorum capitum argumenta in brevem redacta tabulam repræſentantur. Denique commentarios ſubjicit Judæorum & Chriſtianorum, qui rurſus varias diviſi in ſectas ſiſtuntur, addita libri forma, nec non loco ac tempore editionis. Prodit autem jam duntaxat prima doctiſſimi operis Pars, ſecutura propediem Parte ſecunda, quæ libros poeticos, ac tertia, quæ propheticos pari diligentia perſequetur. Prima igitur, quæ præ manibus eſt, Parte *Cap. I* de Scriptura S. in genere, *Cap. II* de V. T. in genere, *Cap. III* de Pentateucho in genere agit, hinc ſequentibus Capitibus ad vigeſimum

ſimum usque, quod agmen claudit, ſingulos hiſtoricos V. T. libros perluſtrat methodo jam laudata. Non eſt, cur in recenſendo hujus generis libro longiores ſimus, maxime cum ejus utilitas per ſe lectores Theologiæ ſtudio addictos allicere videatur. Speciminis tamen loco ultimum Caput, quod XX eſt, de Eſtheræ libro agens, ἐν σκιαγραφίᾳ repræſentabimus, ut facile fiat lectori, de ceteris quoque capitibus ferre judicium. Itaque §. *I* titulum libri conſiderat, & obſervato, illi alium ab aliis tributum eſſe locum in ordine librorum Biblicorum, eum tamen, quem in Lutheri verſione obtinuit, locum eſſe convenientiſſimum judicat. §. *II* diſſerit de Eſtheræ proſapia, de ejus duplici nomine & utriusque etymologia, de ejus educatione & forma: quodque ea fuerit typus non Mariæ, ut Pontificii contendunt, ſed Eccleſiæ. Obiter etiam injicit mentionem Eſtheræ, Judaicæ feminæ, quæ Caſimiri III Poloniæ regis concubina fuit, ac multa Judæis impetravit privilegia, quibus etiamnum gaudent. §. *III* poſitis certis fundamentis docet, Ahasverum non eſſe Aſtyagem, non Darium Medum, non Cambyſem, non Artaxerxem Longimanum, non Mnemonem, non Darium Ochum, non Darium Hyſtaſpin, ſed Xerxem, de quo allatis argumentis id probare annititur. §. *IV* de ſcriptore libri diſſerit, quem alii Esdram fuiſſe, alii Joiakimum pontificem, alii Mardochæum, ſtatuunt. Noſter, etſi poſtremam ſententiam ceteris præfert, certi tamen nihil definire audet. Hinc non ſolum Spinozæ & Clerici de Autore hujus libri opiniones refellit, verum etiam eorum demonſtrat errorem, qui putarunt, Mardochæum atque Eſtheram operas ſuas ad conſcribendum hunc librum conjunxiſſe. §. *V* enarrat hujus libri argumentum, ſimulque Lutheri aſſerit innocentiam contra Huetium, tradentem, a Luthero librum Eſtheræ pro parabola, non pro vera hiſtoria habitum eſſe. Addit etiam ſcopum & utilitates libri. §. *VI* diſſerit de libri hujus autoritate canonica, a Judæis agnita & a Patribus Eccleſiæ. Eam & Noſter ſtabilit firmis argumentis, & ad objectionem, petitam ab autoritate multorum Eccleſiæ Patrum, qui librum Eſtheræ ex cenſu librorum canonicorum ejicere videntur, doctiſſime reſpondet. Nec ſecius ceteras, quibus canonica hujusce libri autoritas impugnata fuit, objectiones re-

cenſet ac diluit. Quando Pontificii inter eos, qui hunc librum repudiant pro apocrypho, noſtrum quoque Lutherum referunt, Cl. Autor oſtendit, Lutherum non ipſum Eſtheræ librum, ſed ſpuria hujus libri ſupplementa innuiſſe: de quibus uberius agit §. *VII*, eorumque autoritatem, pro qua Pontificii propugnant acerrime, labefactat. §. *IIX* chronologiam hujus libri paucis repræſentat. §. *IX* Partitiones libri varias exhibet ab aliis factas, inter quas Cl. Autor Calovianam probat, & §. *X* ſynopticam totius libri tabulam ſiſtit. §. *XI*, quo commentatorum numerum init, obſervat, neminem Patrum Eccleſiæ commentario hunc librum illuſtraſſe, cum tamen eorum nonnulli libros apocryphos interpretatione ſua ſint dignati. Judæorum e contrario magiſtros complures nominat, qui commentarios in iſtum librum ſcripſere. Ex Lutheranis quoque unus duntaxat commentator producitur, Brentius: ceteri enim, qui ad illuſtrandum hunc librum operam contulere ſuam, homiletæ potius ſunt, quam exegetæ acroamatici. Contra Pontificiorum permulti commentarios in hunc librum conſcripſere, nec pauci ex Reformatis, quibus ex Remonſtrantium ſchola ſubjungitur Jo. Clericus. Enfaciem hujus capitis, ad quem modum cetera quoque adornata ſunt, in quibus & paſſim liberiores S. Scripturæ interpretes Cl. Autor confutat, Spinozam, Grotium, Clericum, Spencerum, Hobbeſium, Simonium. Interdum inter commentatores etiam alios cognati argumenti ſcriptores recenſet, e. g. *Cap. VI §. 9 p. 118 ſqq.* ſcriptores de ſacrificiis, *Cap. VII §. 9 p. 134* ſcriptores de typis V. T.

THEOLOGIA MORALIS, SYNOPTICE tractata, Autore JOH. WOLFG. JÆGER, Cancellario Tubingenſi, General. Superintend. & Abbate Adelberg.

Tubingæ, typis Chriſtoph. Henrici Reiſi, 1714, 8. Alph. 1 plag. 6.

IN hoc moralis Theologiæ compendio naturæ humanæ potiſſimum conditionem ſibi explicandam ſumſit S. Rev. Autor, & ὡς ἐν συνόψει dilucide exhibet naturam noſtram in origine ſua ſana,

ſana, per peccatum primum corruptam, per fœdus in monte Sinai in legalem ordinem redactam, ac tandem per fœdus Evangelicum in monte Sion & gratiam Salvatoris medicinalem reſtitutam. Inprimis autem de *Mortificatione*, de *Abnegatione ſui*, de *Humilitate* & *Reſignatione* egit. Has enim doctrinas medium eſſe cenſet peridoneum ad debellandum hoſtem domeſticum noſtrum, nempe concupiſcentiam cum motibus ejus effrenatis. Pollicetur tamen amplificationem & uberiorem illuſtrationem hujus libelli, ſi Deus vitam viresque, quas Venerando Autori apprecamur, conceſſerit. Inter Autores, qui hanc practicæ Theologiæ partem jamdudum excoluerunt, primum tribuit locum *Jo. Arndtio*, ratus, præter eum neminem profunditatem corruptæ noſtræ naturæ, ac neceſſitatem gratiæ medicinalis, maxime autem vivam fidei praxin, luculentius expoſuiſſe. *Dyckii* libellum de ſeipſo recte cognoſcendo, pulcerrime ſcriptum eſſe judicat, ſi hypotheſin demas, quam paſſim ex religione ſua inſperſit de fide temporaria, quod nunquam ſit vera & ſeria, ſed hypocritica ſemper; contra quod fides vera ſit inamiſſibilis, quæ per nullum peccatum mortale amitti queat. Ex Pontificiis ſcriptoribus laudat *Matthæum Petruccium*, qui omnes ſenſu devotionis ſuperarit. Ceterum eo lubentius in hoc campo verſatur Autor, quo magis hæc Theologiæ pars a litibus abſit. Pacificam quippe eſſe, & praxin urgere. Meliores etiam Rom. Eccleſiæ Doctores nobiſcum conſentire, immo longe venuſtiorem Romanæ Eccleſiæ faciem fore putat, ſi tota morum doctrina Janſeniana & myſtica eſſet. Præter S. Scripturæ oracula Patrum ſententias & *Auguſtini* inprimis teſtimonia in medium ſæpe produxit. Martyres enim ait plerosque fuiſſe, qui morte veritatem Chriſtianam obſignarint. De Præſule Hipponenſi pronunciat, neminem melius naturam & gratiam diſtinxiſſe, neminem etiam ægritudinem lethalem & damna ex peccato, medicinæ item efficaciam ex vulneribus Chriſti fluentem, luculentius expreſſiſſe. Nec Theologiæ Myſticæ ſcriptores, quousque ſani ſunt, repudiat, neque faſtidit viam illam triplicem, *Purgativam* ſcilicet, *Illuminativam* & *Unitivam*, quam Spiritus S. in Scripturis commendarit. Sed *Scholaſticiſmos* quorundam, *Platoniſmos* & monſtra

vocum, ſub quibus haud raro chimæræ & rerum monſtra latitant, haud immerito rejecit. Talia quippe portenta non pietatem, ſed faſtum & ambitionem, aut, ſi malis, turgentem Enthuſiaſmum finxiſſe. Finem Theologiæ Moralis ſtatuit reunionem hominis cum Deo 2 Cor. VI,17, quæ hic in via per fidem & charitatem fiat, in patria per viſionem Dei & charitatem perfectiſſimam. Nihil tamen fidei derogatum vult, quando charitati unionem cum Deo adſcribit. Fidem enim principales partes habere in articulo juſtificationis, ſed charitatis eſſe uniri cum Deo. Amorem quippe exoſculari Deum, ut S. Bonum. *Ludovicum Granadenſem*, Theologum Hiſpanum, bonum atque devotum, & ſi quædam Romana non adhæreret, in moralibus laudatiſſimum eſſe ait, probatque ejus ſententiam, quod ſignum ſit manifeſtum Reprobationis, non commoveri commemoratione judicii extremi ad amorem pietatis vel odium peccati. Per *Spiritum* 1 Theſſ. V, 23 intelligit gratiam inhabitantem, quæ locum occuparit teneatque amiſſæ juſtitiæ originalis.

TRAITÉ DE LA RELIGION NATURELLE.

h. e.

TRACTATUS DE RELIGIONE NATURALI per MARTINIUM, Paſtorem Eccleſiæ Trajectinæ.

Amſtelodami, apud Petrum Brunellum, 1713, 8.
Alph. 1 plag. 7½.

Præf. SCopus Autoris, quem, præfatus quædam, aperuit, hic eſt, ut
Deum adoraturos inſtruat, & a tentationibus contemtorum
religionis ſecuros præſtet, ut videant, quousque pervenire ſub-
p. 2. ſidiis naturalibus valeant, donec ex fide ſublimiora petere poſ-
ſint. Religionem ergo Chriſtianam dicit non fore religionem
3. fidei, ſi nil niſi rationem pro fundamento haberet; nec fore eam
6. rationalem, porro contendit, niſi ratio concurreret. De vera
8, 12, 13. Dei idea poſtea ex inſtituto diſſeritur, omnisque excluditur ma-
19. teria & corpus; per Spiritum infinitum Deus definitur, ejusque
exiſtentia probatur, licet, ad inſtar luminis, & occultus ille ſit, &
29. manifeſtatus; rationibus vero tum Metaphyſicis, tum Phyſicis,
tum moralibus exiſtere Deum, oſtenditur, & quæ de Deo for-

manda

manda idea fit, demonſtratur, ac ſubinde in nobismet ipſis exiſtentiæ divinæ demonſtratio, copioſo quodam & extenſo dicendi genere quæritur. Nec imbecille porro a complemento prædictionum divinarum exiſtentiæ hujus argumentum petitur. Conſcientia hic porro tentatur, nec populorum negligitur conſenſus, ubi diligenter obſervatur ſimul, pro invento Politicorum Divinitatem habendam non eſſe. Atheorum ignobilis gens ſtragem hic patitur paſſim, telaque quibus utuntur, maſcule retunduntur. Sigillatim, quæ de deficiente iis Dei idea alii crepant, elidiuntur, ac ideæ & imaginis diſcrimen oſtenditur, remota ultima, prior illa vindicatur. De Dei unitate porro, nec minus de æternitate & immenſitate diſſeritur; quæſtio vero, num Deus per eſſentiam, an vero per operationes ſaltim præſens ſit, pro inutili habetur & periculoſa. De ſcientia Dei media inprimis diſquiritur, & denique concluditur, potentiam Dei fundatam eſſe in ejus voluntate, illum ſcire, quæ a nobis ſint facienda, fierique, quia ſic Deus velit, ſi nolit, nec eadem futura eſſe. De mundi origine contra Epicuræos, Platonem quoque & Ariſtotelem copioſe diſſeritur, ac Plato eo deveniſſe fertur, ut eſſentiam quandam ſupremam, intelligentem & infinite potentem; quæ produxerit hoc univerſum, admiſiſſet, remoram vero injeciſſe opinionem, ex nihilo fieri nihil. Contra materiæ æternitatem diſputatur prolixe, Ariſtoteles confutatur, mundique creatio ac conſervatio diligentiſſime inculcatur, magnitudinem vero hujus univerſi occaſionem dediſſe antiquioribus fertur, quod infinitatem ipſi tribuerint. De concurſu divino ad actiones malas ita exiſtimat Autor, ut gloriam ignorantiæ hic Chriſtianis commendet, quandoquidem, ipſo opinante, præſtitiſſet, hanc quæſtionem nunquam fuiſſe diſceptatam. Contra Originiſtas infernalis ſupplicii quoque vindicatur æternitas; ex natura vero Angelos demonſtrari poſſe, dubitatur. De anima deinceps noſtra, immortalitate inprimis hujus prolixe & erudite diſſeritur, qui vero nomine d' *Eſprits forts* (quales eſſe velint, quamvis minime ſint) communiter appellitentur, hos tales eſſe credit doctiſſimus Autor, qui per ſuperbiam gloriæ ſibi ducerent, ſi aliter ſentire, quam multitudo, & cogitare ſecus, quam alii homines, poſſint.

p. 35. 63. 70, 78, 81. 90. 94 ſqq. 99. 101, 102. 104. 120. 130. 148, 150. 175 ſqq. 180 ſqq. 188. 208. 213. 248. 268. 289. 325. 330.

p. 417. poſſint. Scientia quoque hic aliquando duplex admittitur, *Spiritus*, qua lex divina ſcitur, *cordis* poſtea, qua lex in praxi obſervatur, paſſimque de rebus non prorſus quotidianis, v. g. de ordine juſtitiæ ac miſericordiæ in Deo, utra ſit altera noſtro concipiendi modo prior, de operibus Gentilium aliisque diſſeritur.

METHODE POUR ETUDIER L' HISTOIRE, ſive *METHODUS TRACTANDI STUDIUM HISTORICUM. Accedit Catalogus præcipuorum hiſtoricorum, adjectis judiciis de librorum & editionum pretio, magnis acceſſionibus locupletatus a J. B. MENCKENIO, Conſiliario & Hiſtoriographo Regis Poloniæ. Editio ultima, ad Pariſienſem & Bruxellenſem recognita, & accurate emendata. Tomi II.*

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Gleditſch & Filium, 1714, 8. Alph. 3 pl. 3.

PRodierat hic liber ſuperiori anno Lutetiæ, nec ita multo poſt præfixo Autoris nomine, *Langleti du Freſnoy*, Theologiæ Licentiati, Bruxellis, ac Cl. Menckenio, Societatis noſtræ directori, ita ſe probavit cum ordinis concinnitate, tum doctrinæ copia & ſtyli nitore, ut non ſolum juvenibus ejus lectionem de meliore nota commendaret, ſed eum quoque cum additamentis recudendum curaret. Priorem quidem partem pauculis diſtinxit notis: at poſteriorem, quæ Catalogum hiſtoricorum exhibet, & emendavit diligentiſſime & uberrime locupletavit, propria hanc in rem uſus bibliotheca, quam, quod ad hiſtoricos quidem libros attinet, inſtructiſſimam ſe poſſidere non diffitetur. Præmiſit etiam Additamenta quædam ex editione Bruxellenſi, cujus & nævos ſub finem præfationis ſincere indicat.

Accedamus ad ipſum libri Autorem, qui in Præfatione eos, qui ante ſe *Methodos hiſtoricas* ſcripſerunt, recenſet & in tres diſtribuit claſſes, in *prima* eos collocans, qui ſub hoc titulo publi-

publicarunt hiſtorias una cum doctrinis moralibus vel politicis inde deductis, e.g. Ludovicum Thomaſſinum, cujus *Methodum hiſtoriam profanam Chriſtiane tractandi* nos quoque *Suppl. T. II p. 518* recenſuimus: in *altera*, qui proximis annis magno numero ſub titulo *Methodi hiſtoricæ* ediderunt Introductiones, & Breviaria hiſtorica: in *tertia*, qui tradiderunt methodum rite tractandi ſtudium hiſtoricum, inter quos principem locum tribuit Bodino & Whearo, utrumque magnis laudibus extollens, non tamen ſilentio præteritis eorundem nævis. Huic poſtremæ claſſi Noſter cupit inſeri, ac proinde inſtitutum & tractationem ejus paucis contemplabimur. Exordium facit a fine ſtudii hiſtorici, notatque eos atro lapillo, qui ideo hiſtoriæ dant operam, ut memoriam repleant numeris Olympiadum annorumve, notitia variorum regum, conciliorum ac hæreſium, ſcientia antiquorum rituum & morum, originum urbium atque imperiorum, & quæ ſint hujus generis plura. Nimirum vult, eo conſilio tractandam eſſe hiſtoriam, ut ex aliorum recte praveque factis ſapere diſcas, alienoque exemplo damnove cautus reddaris, utque magnorum virorum exemplis inflammeris ad virtutem & prudentiam comparandam. Hinc cum exemplis præteritis conjungendam eſſe præſentis ævi experientiam: inveſtigandas eſſe cauſas, cur res proſpere ſucceſſerit vel minus: animum eſſe advertendum ad affectus, quibus homines ad aliquid agendum fuere compulſi, ut ita alii ſint ſpeculum noſtri ipſorum. Id quod jam olim Terentianus ille Demea (*Adelph. III, 4*) monuit: *Inſpicere*, inquiens, *tanquam in ſpeculum, in vitas omnium jubeo, atque ex aliis ſumere exemplum ſibi.* Ceterum cum hic finis hiſtoriæ ſit omnium communis, Autor ſuadet, ut & finis proprius ab unoquoque reſpiciatur, hoc eſt, ut ſui quisque ſtatus rationem habeat, inque legendis hiſtoriis ea potiſſimum animo infigat, quibus obſervatis res ſuas gerere prudentius poſſit. Quod ſane monitum eſſe egregium, nemo quisquam negaverit: ex quo & illud conficimus, peccare plerosque hiſtoriæ cultores, dum cognoſcendis Principum & Rerump. hiſtoriis tantum temporis impendunt, ipſi olim nec recte nec male adminiſtrandæ Reip. occaſionem nacturi: contra negligunt vitas virorum magno-

rum, eorum maxime, qui in eodem, quo ipſi, vixerunt ſtatu, ex quibus tamen, quid in vita ſequendum ſit fugiendumve, quæque ſit facillima certiſſimaque ad eruditionem vel virtutem via, diſcere poterant. Sed progrediamur ad *Cap. II*, quo Autor breviter diſſerit de ſcientiis ſtudio hiſtorico præmittendis, Geographia, Antiquitatum notitia, & Chronologia. Nec ſolum harum diſciplinarum demonſtrat neceſſitatem, ſed & methodum præſcribit commodam iſta ſtudia tractandi, ac præterea optimos in hunc uſum commendat libros: niſi quod antiquarios ſcriptores præterit, quos tamen cum nuper diligentiſſime collegerit Cl. Fabricius, facile hinc præcipuorum notitiam petere poſſunt harum litterarum ſtudioſi. *Cap. III* ordinem præſcribit in hiſtoria legenda ſervandum. Primordium itaque hiſtorici ſtudii capiendum cenſet a lectione compendii hiſtoriæ univerſalis: quam in rem maxime commendat *Petavii Rationarium temporum*, & ejus quidem editionem poſtremam, in Hollandia non ita pridem vulgatam. Ceterum in hiſtoria univerſali maxime attendi jubet ad migrationes populorum, Imperiorumque origines. In hiſtoria vero particulari initium fieri debere cenſet ab hiſtoria ſacra, vere quippe religionis propagationem inde ab orbe condito ad noſtra usque tempora repræſentante: hinc, perſtricta Chaldæorum Ægyptiorumque hiſtoria, Græcorum, ac deinde Romanorum res geſtas eſſe cognoſcendas: poſtea pertractandam eſſe eccleſiaſticam hiſtoriam, quam docet non a ſolis Theologiæ cultoribus, ſed ab omnibus Chriſtianis excoli oportere, ut inde firmiores reddantur in religione, & in virtute quoque magis magisque proficiant: tum hiſtoriæ patriæ navandam eſſe operam: ac denique, licet minus accurate, hiſtoriæ aliarum gentium celebriorum. Etiam commendat Vitas excellentium Virorum, ſuaſorque eſt, ut quisque ſemper ob oculos habeat vitam magni cujuspiam viri eodem functi munere, quo ipſe vel fungitur jam vel olim eſt functurus. *Capite IV*, quod in hiſtoria ſacra verſatur, libros recenſet, ad pellendas, quæ in hac hiſtoria ſeſe offerunt, difficultates accommodatos. De Ægyptiaca hiſtoria diſſerit *Cap. V*, ejusque demonſtratis variis utilitatibus, libros præcipuos commendat, quibus omnino addendæ ſunt Cl. Peri-

Perizonii *Origines Ægyptiacæ*, nobis recenſitæ *A. 1712 p. 537.* Pari modo *Cap. VI* de hiſtoria Græca agit atque Aſſyriaca, additis aliquot monitis in Græca hiſtoria obſervandis. Præcipuam adhibuit diligentiam *Cap. VII*, vbi, quis in legendis hiſtoriæ Romanæ Autoribus ſervandus ordo ſit, & a quo ad quem ſit procedendum, præcipit. De hiſtoria recentiorum monarchiarum inſcriptum eſt *Caput IIX*, quam tractaturis characterem cujusque gentis eſſe perſpiciendum, rationem ſtatus cujusque Reip. cognoſcendam, breve compendium hiſtoriæ cujusque regni eſſe perluſtrandum, (e. g. Puſendorfii Introductionem) ac denique Politicam eſſe diſcendam & Jurisprudentiam naturalem, arbitratur. Non mirum eſt, *Caput IX*, quo Hiſtoriam Franciæ conſiderat Autor, excreviſſe longius. Hæc eſt enim hiſtoria patriæ, de cujus neglectu conqueſtus, & cauſis ejus inveſtigatis, fatetur, nondum eſſe a quoquam hiſtoriam Franciæ in ordinem & quaſi ſyſtema corpusque redactam. Hinc ſuadet, ut eam hauriamus ex ſcriptoribus pluribus, ita ut primo hiſtoriam & antiquitates Gallorum veterum cognoſcamus: deinde hiſtoriam Francorum ante occupatam Galliam: denique Franco-Galliæ hiſtoriam. In hac tamen quatuor præmittenda cenſet, ut ad ſtudium hiſtoriæ Gallicæ accedamus paratiores, nempe (1) hiſtoriam de Majeſtate & ἀνυπευθυνίᾳ Regum, (quam in Francia ſemper fuiſſe ſcribit) eorumque juribus ac ceteris rebus ad ipſorum perſonam pertinentibus, (2) de miniſtris regni eorumque juribus, (3) de eccleſiæ Gallicanæ libertate, (4) Chronologiam hiſtoriæ Gallicæ. Hinc memorat cauſas, cur tam impeditum ſit hiſtoriæ Gallicæ ſtudium, curque nondum prodierit perfectum ejus corpus. Duæ nimirum ſunt, primo obſcuritas & incertitudo, quæ in ævi Merovingici atque Carolingici ſcriptoribus reperitur: deinde rerum temporibus Capetingicis geſtarum copia. Scilicet primis illis temporibus fabularum plena ſunt omnia, prætermiſſæ ſunt rerum geſtarum circumſtantiæ maxime neceſſariæ, multa occurrunt dubia circa nomina Regum & facta. Addit tamen Noſter, non paucorum induſtria factum eſſe, ut pleraque veteris ævi obſcuritas ſublata ſit. Horum citat ſcripta & commendat, in iisque maxime Mezeræum, cujus hiſtoriam omnium, quæ exſtant,

ſtant, perfectiſſimam judicat. Quod autem ad hiſtoriam ævi Capetingici attinet, ob multitudinem ſcriptores non recenſet, ſed in Catalogum infra producendum reſervat. Interim hic loci notat loca hujus hiſtoriæ inſigniora, in quibus paulo diligentius
p. 93 ſqq. verſandum ſit, addens judicium de ſcriptoribus potioribus. Hac occaſione interſerit characterem hodierni Regis a Buſſio expreſſum, ac generatim ipſe deſcribit Regum in tribus ſtemmatibus ceterorum characteres. Non minus longum eſt *Caput X* de hiſtoria Imperii, in duas diviſum ſectiones, quarum *prima* eſt
108. de Imperio occidentis in Germania. Notatu dignum eſt, quod hic Autor formam regiminis in Germania Ariſto-Democratico-Monarchicam eſſe judicat. Deſcribit hinc hodiernum Imperii Romano-Germanici ſtatum, erroribus tamen admiſſis nonnullis, quos ſubjectis notulis corrigit Cl. Menckenius. Porro de Jure publico agit, ac monumenta, quibus id nititur, recenſet, adjectis præcipuis ſcriptoribus. Hic præclare ſentit de Monzambano, & de Hippolyto a Lapide: de quo in nota Cl. Editor addit,
136. eum quibusdam videri fuiſſe Joachimum Dranſeum, Legatum
107. Suecicum: at infra in Catalogo eum librum refert ad Autorem Jacobum de Steinberg, Equitem Luneburgicum & Conſiliarium Suecicum, idque ait confirmari MSto illo codice, qui in tabulariis Regis Sueciæ exſtet. *Sectione II* de Imperio Orientis agit. Nam p. 165 pro *Chapitre II de l' Empire d' Occident* ſcribi oportet *Article II de l' Empire d' Orient*. Hic non ſolum docet, qui legendi ſint libri in hiſtoria Imperatorum Orientis, ſed & in hiſtoria Turcica. *Cap. XI* hiſtoriam ceterorum Europæ regnorum paucis perſequitur, Hiſpaniæ, Portugalliæ, Italiæ, Helvetiæ, Belgii fœderati, Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, Moſcoviæ, Poloniæ, Sueciæ & Daniæ. Hiſpaniæ hiſtoricos notat plenos eſſe miraculorum fidem omnem excedentium, ſcilicet ut miſcendo divina humanis omnia faciant auguſtiora. Laudat tamen Marianam, (quem cum antiquis componi poſſe judicavit Rapinus) & ceteros pariter ſcriptores indicat lectu non indignos. Britannicæ quoque hiſtoriæ momenta potiora & ſcriptores ſingulari
232 ſq. perſequitur diligentia, ita concludens, nullum Regnum habuiſſe meliores Reges, ſed eosdem infeliciores: Reginas contra ad clavum

vum imperii ſedentes & belli & pacis temporibus rem egiſſe proſperrime: Angliam procreaſſe viros in omni genere maximos. *Caput XII* breviter verſatur in hiſtoria ceterarum orbis partium. *Capite XIII* Autor deſcendit ad hiſtorias ſpecialiores, provinciarum puta, urbium, ordinum religioſorum pariter & militarium, familiarum principum, item ad vitas virorum Marte, eruditione vel ſanctitate illuſtrium, (quarum lectionem mirifice commendat, additis tamen neceſſariis cautionibus,) denique ad hiſtorias artium & ſcientiarum. *Cap. XIV & XV* de ſubſidiis ſtudii hiſtorici diſſerit, nempe de commentariis, epiſtolis, negotiationibus, tractatibus pacis, panegyricis, orationibus funebribus, hiſtoriis arcanis, ſatyris, diplomatibus, inſcriptionibus & numis. De commentariis (*Memoires*) quæ diſſerit, perpauca ſunt, ſed notatu digniſſima, memorandum quoque hic nobis eſt Menckenii noſtri *Schediaſma de Commentariis hiſtoricis*, *quos Galli* Memoires *vocant*, Lipſiæ An. 1708 editum, quod hic loci promittit propediem auctius recuſum iri, rogatque eruditos, ut ſecum communicent, ſi qua ſingularia habeant ad hocce argumentum pertinentia. Sed redimus ad Autorem, qui ubique obſervationes inſpergit utiliſſimas, e. g. quod in Patini epiſtolis falſiſſima narrentur, idque numero infinito: id quod exemplis aliquot manifeſtum facit. *Cap. XVI* diſſerit de methodo adoleſcentes hiſtoriam docendi. Negat, memoriam adoleſcentum onerandam eſſe, jubens potiſſima hiſtoriæ momenta firmiter imprimere atque repetere, & ſingula diſtinguere meditationibus, quibus vel illorum animi de veritate religionis confirmentur, vel exerceatur judicandi vis, vel denique mores emendentur: id quod elegantibus illuſtrat exemplis. *Cap. XVII* monita quædam præſcribit in lectione hiſtoricorum obſervanda. *Primum* vitare jubet & credulitatem & Pyrrhoniſmum, *ſecundo* paucos legere hiſtoricos, ſed eos optimos, *tertio* plus fidei tribuere hiſtoricis, qui ſuam nationem deſcripſerunt, quam qui peregrinam, *quarto*, antequam ad lectionem alicujus hiſtorici accedas, legere judicium de eo, ſi quod exſtat, e. g. Clerici in Curtium, *quinto* ſcripta ſuppoſititia a genuinis diſcernere. Ut autem in legendis hiſtoriis certiora ſectemur, Autor tria ſubjun-

p. 313.

315.

xit capita, quibus ad eum finem tendit. Scilicet *Cap. XIIX* characteres boni pariter & mali hiſtorici repræſentat, ſequentibus incluſos regulis. I Hiſtoricus bonus eſt, qui aptus natus eſt ad ſcribendam hiſtoriam, litteris excultus eſt, uſu rerum pollet, ac denique ἀπαθῶς ſcribit. Talis judicio Noſtri Thucydides eſt atque Thuanus. II Hiſtoricus neutri parti debet eſſe addictus. Hinc Noſter Pauli Sarpii Hiſtoriam Concilii Tridentini haud magni æſtimat, ſcriptam quippe animo vindictæ cupido in curiam Romanam: itemque rejicit relationem cujusdam ex Proteſtantibus (quem eſſe Juriæum in Apologia Gallice ſcripta pro Reformatoribus religionis, Cap. I p. 51 ſq. hic addimus,) de S. Franciſco & S. Dominico. III Hiſtoricus bonus eſt, qui approbatus fuit illo ipſo, quo ſcripſit, tempore, maxime a viris rerum deſcriptarum optime conſciis: quique non eſt rumorem ſecutus, ſed commentarios Principum & miniſtrorum aulicorum. In hanc claſſem reponit Thucydidem, Cominæum, Guicciardinum, Thuanum. IV Hiſtoricus malus eſt, qui tantum virtutes deſcribit ac laudes Principum aliorumque magnorum Virorum, vitia eorundem præteriens. V Hiſtoricus malus eſt, qui geſtit eorum detegere vitia, laudesque eorum obterit, & turpiſſimas congerit de iis narrationes. Refert in hunc cenſum Zoſimum. Quanquam fortaſſe minus firmus videri poſſit hic canon: ac jam olim elegantem pro Zoſimo apologiam ſcripſit Leunclavius. *Caput XIX* regulas exhibet ad judicium de factis hiſtoricis ferendum neceſſarias, vel potius obſervationes, utiles quidem illas ad verum a falſo dignoſcendum. *Capite XX* traduntur regulæ diſcernendi opera ſuppoſititia, quæ quidem jam luculente deſcriptæ ſunt a Cl. Clerico in *Arte Critica. Cap. XXI*, quod poſtremum eſt, oſtendit, quis fructus capi poſſit ex fabulis, ex libris ſuppoſititiis, & ex hiſtoriis affectu duce ſcriptis: ut adeo nullus liber tam malus ſit, quin aliqua ex parte proſit. Atque ita finis huic operi eſt impoſitus. Subnexa ſunt duo ejusdem fere argumenti
p. 467--559. opuſcula, alterum *Abbatis de S. Real de Uſu hiſtoriæ*, cujus recenſione ſuperſedemus, quippe jam facta in his Actis An. 1689 p. 239 ſqq. alterum *San-Euremontii* Diſſertatio *de Hiſtoricis Gallicis*. Hujus Viri opera conjunctim prodiere Amſtelodami An.

1706

1706 tomis quinque, ſeu potius ſex, ſi ultimum aliorum opuſcula rariora complexum computemus, quorum recenſionem a nobis tum omiſſam petere licet ex Cl. Clerici Bibliotheca ſelecta T. IX p. 319 ſqq. In præſenti Diſſertatione contendit, Galliam hiſtoricos procreaſſe oppido mediocres, imo ne unum quidem eſſe inter hiſtoricos Galliæ, cujus induſtria tam fertili argumento ſapientum voto ſatisfecerit. Cujus rei cauſas perſcrutatur, ſimul ediſſerens, cur Roma vetus tot eximios hiſtoricos produxerit. Hæc hactenus ex ipſo libro ſeu Tomo I. De Catalogo, notis elegantiſſimis diſtincto, qui alterum Tomum conſtituit, proximo Menſe dicemus paulo uberius.

INSTITUTIONUM IMPERIALIUM EXAmen Theoretico Practicum, publici Juris factum ab ALB. FRID. BERNEGGERO, Conſiliario Aulico Hohenl. Barttenſteinenſi.

Francof. apud Jo. Adolph & Jo.Guil. Rœnnagel, 1714, 8. Alph. 4.

COmpendium illud, quod Celeb. Schutzius ex magni nominis Jureconſulti Lauterbachii Collegio ad Pandectas excerpſit, communi quaſi Academiarum noſtrarum conſenſu Profeſſorum prælectionibus ad Pandectas eſt deſtinatum. Admirantur in illo plerique ordinem, materiarum ſelectum & amplitudinem cum verborum brevitate conjunctam, adeoque vix ullum aliud inſtituto illi magis idoneum eſſe exiſtimarunt. Verum enim vero ad Inſtitutiones ſimile quid huc usque deſideravimus. Magnum utique habemus numerum compendiorum Inſtitutionalium, aſt, quod Juris cultoribus non poteſt eſſe ingratiſſimum, methodo ab illa, quam Lauterbachius tenuit, plane diverſa conſcriptorum. Id namque ſentiunt incommodi, ut uni methodo aſſueti ad aliam plane in Pandectorum collegiis denuo ſe applicare debeant non ſine metu confuſionis. Diverſas deſcriptiones diviſionesque memoriæ ut imprimant hac ratione neceſſe eſt, quae differentia multos certe dubios reddit atque ancipites, cujus doctrinam atque præcepta ſequi ſit conſultum. Accuratiori judicii lance hæc perpendit Conſultiſſimus Dn. Berneggerus

neggerus, Consiliarius Aulicus Hohenl. Barttensteinensis, istisque quæ recensuimus, incommodis in hoc Justitutionum Imperialium Examine Theoretico-Practico obviam ire constituit. Ex asse illud respondet Lauterbachianis principiis, omnes descriptiones atque divisiones, quæ ad Institutiones pertinent, ex Lauterbachiano compendio Consultiss. Dn. Autor petiit, ipsissimis Lauterbachii verbis vel ideo plerumque retentis, ut eo facilius eundem utrinque sensum & verba reperirent, nec cum mutatis verbis alium quoque sensum quærerent Juris Cultores. Loca parallela ubique ex compendio isto notavit, rationes, quæ desiderabantur, supplevit, & loca obscuriora clarissima interpretationis luce perfudit. Omnia certe Consult. Dn. Autor ita disposuit, ut Juris studiosorum difficiles atque turbatas discendi rationis juvaret ac sublevaret. Interrogationes adhibuit, cum tirones ex illis compendiis, quæ interrogationibus absolvuntur, facilius proficere se posse sibi plerumque persuadeant. Nihil addimus nec uberiori elogio hunc Cl. Berneggeri laborem ornamus, qui ipse sua utilitate tironibus jurisprudentiæ, illisque qui studia illorum dirigunt, certissime se commendabit. Unum id saltem adhuc monemus, in Titulo de Actionibus Consult. Dn. Autorem hac vice generalia tantum proposuisse, & specialia, quæ huc pertinent, peculiari volumini futuris nundinis edendo reservasse.

EVERARDI OTTONIS DE ÆDILIBUS Coloniarum & Municipiorum Liber.

Francof. apud Thomam Fritsch, 1713, 8. Alph. 1 pl. 1.

AUtor Cl. hujus libelli ex penu Juris Romani, veterum Autorum scriptis, & monumentis marmori inciſis omnia consignavit, ut nuspiam fere, quod ad præsentem rem pertinet, desiderari quicquam posse videatur. Præterea occasione data nonnulla Juris Civilis, aliorumque veterum scriptorum loca & inscriptiones in marmoribus inventas illustrare, obscura ac sive temporum iniquitate, seu negligentia Commentatorum corrupta restituere successu haud infelici conatus est. Ipsum

opus

pous per Capita & §. §. distinguit, & in illorum I de Coloniis & Municipiis agit, quorum discrimen elegantissime demonstrat. Colonias enim esse cœtus hominum publica autoritate ex urbe in locum certum ædificiis munitum deductos, jura institutaque Quiritium habentes ostendit. Municipia vero civitates a populo Rom. vel subactas, vel sponte ipsi addictas, in munerum i. e. officiorum civilium societatem receptas, separatam tamen a Romanis Rempublicam habentes; hincque evincit, utraque & origine & sacris & legibus differre. De variis Magistratibus Coloniarum & Municipiorum, quos velut simias & effigies urbis dominantis Romanis similes fuisse dicit, tractat Cap. II. Sequenti Cap. III Ædilium necessitatem & frequentiam indicat. Etenim cum Reipublicæ maxime interfit, ut abundantia cibi suppetat, dardanarii autem coerceantur, ut omnia decenter & ornate habeantur, ut domus omnes unius referant figuram, utque viæ sternantur, muniantur, purgentur, eaque universa ædilitiis curis essent demandata, nullus sane dixerit, populum aut Reip. corpus sine illis inchoari, aut diu consistere posse. Idem magis adhuc eluescit, si plurimorum, quotquot ex antiquitate nobis innotuerunt, populorum consensus frequentem Ædilitii muneris usum evidenter commonstret. Id saltem hoc loco brevibus notandum, Ædilium munus apud Athenienses duplex fuisse, quippe alii dicti Astynomi, qui curabant ædificia, qua publica, qua privata, inprimis autem vias, e quibus sordes aut feras bestias removeri jubebant; alii vero Agoranomi, i. e. inspectores rerum venalium, qui modestiam exigebant in foro, pretia rebus imponebant, sycophantas expellebant, & puniebant, eosque qui in leges fori peccassent. Cap. IV etymologiam vocis Ædilis ab Ædibus sacris deducit, bilinguium coloniarum seu Græcanicarum civitatum in Italia ἀγυρανόμους & ἀστυνόμους eosdem cum Romanorum Ædilibus esse asserens; hos omnes autem studiose distinguit & ab Ædituis, perpetuis ædis sacræ custodibus, quam apperiebant & claudebant, quippe supplicantes ad simulacra adducebant, vasa sacra, opesque in fanis depositas a sacrilegis furibus vindicabant, atque sacerdotibus ministrantes omnia, quæ ad munditiem tutelamve templorum facerent, procurabant; & ab

§. 1. Oeconomis, Arcariis alias nominatis, arcæ publicæ appositis arbitris, qui tributa, reditus & quamcunque pecuniam publicam promebant, condebant, & titulos super inductionibus administrabant; & a Curatoribus civitatum, qui redituum publicorum curam habebant, eosdem in usum civitatis convertebant, pecuniam sub pignoribus idoneis fœnori collocabant, publica prædia cautione exacta locabant, in summa, attendebant, ne quid civitas detrimenti caperet, inde Patres Civitatum a Justiniano, ab aliis quoque Logistæ appellati. Cap. V Ædiles a Decurionibus ad §. 2. 3. postulationem populi ex ipso Decurionum ordine creatos, Ædilitatem vero gradum ad altiora munia fuisse tradit; hocque loco Principales & Decemprimos, a Chisletio cum Ædilibus confusos, a Fabro in Thesauro pro magistratibus municipiorum habitos, Manutio & Hotmanno vero legationis tantum causa creatos, ipsos Decuriones fuisse statuit, qui genere, patrimonio, ætate, autoritate, usu rerum, numero liberorum, aut munerum amplitudine excellerent, vel Principis judicio, pluribusve eodem tempore suffragiis jure Decurionis honorati essent. Immunes ab Ædilitate Sacerdotes & Provinciales & Municipales, milites veteranos, & qui advocationem impleverunt, viros probos puta, non Rabulistas; Philosophos absque sectæ discrimine, Rhetores Sophistas, non tamen Poetas; item Grammaticos, qui circa Græcæ & Latinæ linguæ curam occupati, jactis rudimentis puerorum animos ad virilem sapientiam præparabant, Medicos denique περιοδευτάς, quo nomine non Circumforanei illi intelligendi veniunt, sed Circuitores, sive Clinici, qui omnes urbis vicos ad sanandos ægros circumeunt, insigniti hocce nomine, ut distinguerentur ab iis, qui domi medicinæ magis student, quam eam exercent, in C. VI pronunciat. Varia Ædilium genera Cap. VII proponit, & incertum Ædilium numerum fuisse docet, munus vero eorum annuo spatio circumscriptum, nec ultra continuari licitum, ac proinde titulum Ædilis Quinquennalis de Censoribus explicandum, in quo tamen haud pauci lapsi. Fuerunt autem §. 4. alii Ædiles juri dicundo præfecti; aliis annonæ cura mandata; alii parentum egenorum liberis, sumtu publico sustentandis, de alimentis providebant, alimentarii illa de causa voca-

ti;

ti; in aliis civitatibus iisdem universa hæc injuncta; in aliis inter singulos distributa, prout civitatis amplitudo postulabat. Porro respectu horum officiorum Ædiles dignitate erant diversi; digniores, qui *Ædiles juri dicundo*, vel *Curiales* dicti; minores *Cerealer*, qui frumento præerant, *Ædiles annonæ* alibi vocati; ultimo denique loco Ædiles Plebeji recensentur, nescio an a Cerealibus adeo sejungendi; horum vestigia Patavii in *Deputatis ad Ecclesias*, *Cavallieri del Commune*, & *Deputatis alle biade*; imo Venetiis in iis, qui *Procuratorum D. Marci*, *Provisorum salutis*, *Veteris & Novæ justitiæ Ædilium*, denique *Provisorum frumenti* officiis funguntur, hodienum apparere, ex Sertorio Ursato & Guerino Pilone Soacio demonstrat. §. 5.

Cura Ædilium circa ædificia privata, publica & sacra, balnea, vias, annonam resque venales, circa pondera & mensuras, denique circa ludos versabatur, uti fuse omnia explicat Autor Cl. Cap. IIX, IX, X, & Annonæ Curatores ab Ædilibus probe distinguendos esse monet, C. 9. §. 7. cum illi frumentum saltem compararent, Ædiles autem id inter populum distribuerent. Summam Ædilium dignitatem Cap. XI describit. Quævis enim Municipalia parvi pendebant Romani, ast Ædiles Magistros appellabant; quare tanto fastu efferebantur, ut Ædilis supinus & cervix supina in proverbium abierint. §. 2.

Hujus autem dignitatis maximum præbent argumentum numi in ipsorum honorem cusi, & marmora, in quibus is honor vivis vel mortuis inscriptus; §. 3.

ornamenta honoris causa addita, uti §. 4.

cum jus dicerent, biga & bisellium, §. 5.

toga prætexta, i. e. toga alba, cujus ora & limbus per circuitum purpura prætexebatur. Sub hujus Cap. finem Duumviros in Municipiis Ædilibus superiores §. 6. fuisse observat. Jurisdictionem & potestatem Ædilium Cap. XII persequitur. De gravioribus causis in Italia Juridici, in Provinciis Præsides jus dicebant; de levioribus vero Ædiles, quæ nec mixti imperii, nec tribunal requirerent, sed de plano dijudicari §. 5. possent secundum Edicta Ædilium Curulium, inde mulctam dicebant, pignora capiebant, in via publica posita aut conjecta conscindebant, merces vitio affectas, vel nimis caro venditas proterebant, aut jactabant in profluentem, corrigebant pondera iniqua, & mensuras minores frangebant, ipsos vero reos flagel-

lis cædere, non quidem mercatores majores, ſed propolas, & ejusmodi genus homines, liberum ipſis erat. Miniſtri, quibus ſtipati Ædiles, & per quos juſſa exſequebantur, vocantur Lixæ, Officiales, Apparitores, Limocincti, Statores, Ῥαβδέχοι. Ultimo Cap. XIII duo inſignia Ædilium privilegia, unum, quo a tutelæ oneribus excuſati, alterum, quod in coloniis Latinis civitatem Rom. per Ædiliſtatis honorem adipiſcerentur, corpnidis loco ſubjicit.

HET NEGENDE ANATOMISCH CABINET van FREDERIC RUYSCH.

i. e.

FRIDERICI RUYSCHII ANAT. ET BOTAN. Profeſſ. nec non Academiæ Cæſareæ Curioſorum Collegæ, Theſaurus Anatomicus nonus.

Amſtelædami, apud Joannem Wolters, 1714, 4.
Plag. 11 ac fig. æn. Tab. 5.

Præf. NUmeroſiores *Autoris Clariſſimi* fuerunt occupationes, quam ut præſenti Theſauro Anatomico, dudum promiſſo, ultimam manum citius potuerit imponere, inque eo, præter Apologiam, Liſtero & Rau oppoſitam, curioſiſſima præparata & obſervata anatomica in emolumentum publicum porro exponepag. 2. re, a nobis aliquantisper nunc delibanda. Oſſis videlicet tibiæ portio ſuperior biſecta eum in finem ex homine a multis annis humato exhibetur, ut dicti oſſis ſicci ac exſucci diſtinctius cernatur cum ſubſtantia oſſeo-ſpongioſa, tum medulla contenta, non tam mollis, quam indurata, nivea & granuloſa, ſimulque analogia inter pinguedinem humanam & oſſium medullam intelligatur, cum & pinguedo ſub terra ſicca poſt complures annos duritiem & albedinem ad inſtar medullæ iſtius deprehendatur con3. trahere. Funiculi umbilicalis rarus pariter aſſervatur tumor durus, in cujusdam lanionis fœtu vivo recens edito poſt ſecun5. dam ad umbilicum ligaturam a Noſtro detectus, atque arteriæ intercoſtalis anevryſma magnitudine ovi gallinicei, e cadavere juvenis multo cum labore exemtum, qui a longo tempore de præcordiorum anxietate queſtus fuerat & tandem ſummis angoribus

goribus ac lipothymiis correptus ex tussi molesta subito satis cessserat. Portio thoracis pueri eo modo innuitur præparata, ut non solum vasa intercostalia eorumque reptatus, sed & sub pleura, ex parte elevata, membrana cellulosa, atque sub hac periostium, luculenter conspici queant. Quantus habeatur uterus post quatuordecim a puerperio dies, quæ mutatio situs oviductuum, ovariorum & ligamentorum, ac quam patulum orificium uteri internum post partum remaneat, Noster utero puerperæ, a multis annis a se conservato, valet edocere. Non omnes cordis venas ex coronaria produci, sed aliquot earum ex auricula quoque dextra emergere, in corde perspicue ostenditur, quod balsamo induratum fuit atque rubedine propter vasorum sanguineorum repletionem perfusum. Admirandum imprimis videtur, quod cum fœtu vivo robusto & bene formato talis prodierit placenta uterina, cui non modo sub funiculi umbilicalis ingressum ingens atheroma fuerit affixum, sed a latere quoque eius fœtus humani adhæserit, ex osse femoris, extremo pede ac tribus digitis, copiosa pinguedine obsitis, absque ullis musculis coagmentatum. Nec minorem meretur admirationem atque considerationem, quod fœmina quædam iste masticari atque articulate loqui perrexerit, etiamsi ipsi post salivationem mercurialem duæ insignes maxillæ inferioris portiones carioſæ cum ipso processu condyliformi a Chirurgo fuissent extractæ. Summa meningis piæ tenuitas vix verius innotescere asseritur, nisi quando vasa sanguinea, crassitiem ipsius augentia, dextre fuerint repleta. Quod animalculum, caniculo simile, anus quædam per vomitum rejecit cum bursula, in qua hæsit, æque describitur ac depingitur, ac fasciculus pilorum, hinc inde substantia lapidea Lithophyti instar obsitorum, per vias urinarias a Matrona quadam una cum materia purulenta rejectus. Testiculus virilis dexter post casum ab alto in tantam molem duram accrevisse commemoratur, ut resectus tres libras cum dimidia pondere adæquaverit ac intra se omnia vascula seminalia obtinuerit prorsus cartilaginosa. In rene humano magnam differentiam inter reptatum arteriolarum & venularum tunc demum Noster attonitum se cognovisse fatetur, ubi venas renales

p. 11.
12.
16 & 53.
18.
25.
27.
31.
35.
38.
42.

seorsim eo artificio ceperit replere, ut & ultimi venularum ramusculi, tomenti vel telæ aranearum instar tenues, oculis armatis luculenter conspiciantur. Hepar, propria membrana cinctum, quamvis non male audiat glandula, glandulas tamen hepatis dictas nil nisi continuationes haberi vasorum sanguineorum, quæ in fasciculos pulposos subrotundos & stellares degeneraverint, sanguinis serositatem contentam emittentes, tali artificiosa demonstratur præparatione, qua, sine coctione, sine excarnatione, sine ulla vi, hepatis humani integri, propria membrana amicti, ultimæ vasorum sanguineorum extremitates in proprio situ & statu naturali oculis objiciuntur.

p. 46.

A SYSTEM OF RATIONAL AND PRACTICAL CHIrurgery &c. by Richard Boulton late of Brazen-Nose Colledge in Oxford.

i. e.

RICHARDI BOULTON, COLLEGII ÆNEI Nasi, quod Oxonii est, nuper Socii, Systema rationale & practicum Chirurgicum.

Londini, apud W. Taylor & W. Innys, 1713, 8. Alph. 1 plag. 2.

AUtor Tumorum, Ulcerum, Vulnerum, Fracturarum atque Luxationum theoriam ac therapiam in præsenti explanans Systemate, non nisi compendium Operum Chirurgicorum, quæ *Richardus Wiseman* Chirurgus idiomate pariter Anglico Londini A. 1676 in fol. edidit, ita exhibet, ut multa omisisse, nonnulla immutasse, alia vero addidisse deprehendatur. Omisit namque non solum varia Capita, v. g. de tumoribus a lacte, de abscessibus uteri puerperarum, de procidentia ani, de strumis &c. sed integrum quoque tractatum ultimum octavum de lue venerea, omnesque observationes, quibus plerique affectus a Wisemanno fuerunt illustrati. Septem autem reliquos tractatus in quinque mutavit partes, dum varia capita, quæ apud Wisemannum tractatum 3 de morbis ani, & 4 de strumis absolvunt, partim primæ de tumoribus, partim secundæ de ulceribus parti subjunxit, tractatum autem 6 de vulneribus sclopetorum Appendicis loco

ad

ad partem tertiam retulit, fracturasque & luxationes in tractatu 7 conjunctas, seorsim in parte quarta & quinta pertractavit. Præter indicem nihilominus medicaminum addidit cum Chirurgiæ Introductionem, tum accuratiorem ex Anatomia & Philosophia corpusculari theoriam, illam præmittendo, hanc immiscendo, quam utramque paucis nunc indigitasse nobis sufficiet. In Chirurgiæ nempe introductione tam exponit, quid ars chirurgica in genere sit, & quæ a chirurgo debeant attendi, quo rationalem exerceat praxin, quam quid per Synthesin, Diæresin, Exæresin & Anaplerosin, veluti quatuor Chirurgiæ partes, intelligatur. Ast theoria exactior, quam interspersit, satis elucescet, si vel rationem apponamus, qua non modo productionem tumorum in genere, sed & activitatem topicorum discutientium, nunc mitiorum, nunc quorumcunque cum repellentibus combinatorum, in primo statim capite partis primæ dilucidat. Cum totius enim nostri corporis, consequenter cujuslibet etiam partis, tanquam organi, structura e variis resultet vasis ac vasculis, varios, qui per ipsa circulantur, humores continentibus, diversos omnino exoriri censet tumores, quoties humores ejusmodi, aut proprio vitio, aut ipsorum vasorum, in vasculis capillaribus subsisterent, hæcq; obstructa ab insequenti humore propulso nimium distenderentur, quam intumescentiam successive non minus augeri, quod vascula adsita necessario una comprimerentur, adeoque per hæc itidem circulus humoris impediretur. Discutientia vero mitiora, ex particulis, tum mucilaginosis crassioribus, tum subtilioribus aromaticis, coagmentata, ratione priorum cutem emolliendo doloremque leniendo poros relaxare, ratione autem posteriorum per poros patulos penetrare humoremque stagnantem crassum attenuare autumat, quo talis non tam per transpirationem vix possibilem secedat, quam a vasculis receptus consuetum circulum repetat. Effectum huncce a discutientibus quibuscunque, cum repellentibus sociatis, tanto magis facilitari, quanto potentius repellentia adstringentia simul vascula dilatata constringendo humoris a resolventibus attenuati protrusionem per canaliculos suos promoverent.

DIA

DIATRIBE MEDICO-SACRA DE MORBIS Biblicis, e prava diæta animique affectibus resultantibus, publice exhibita a CHRISTIANO WARLIZIO, Medicinæ Doct. ac Professore P. E. sereniss. Sax. & Anhalt. Princip. Archiatro.

Vitembergæ, sumpt. Christ. Theoph, Ludovici, 1714, 8. Alph. 1 plag. 3.

IN recenti adhuc memoria conservantur Commentationes, quas de rebus Medico-Sacris ingenti cum laude, nec minore Eruditorum utilitate, hactenus evulgavit Clarissimus Warlizius, *Senium*, puta, *Salomoneum*, *Valetudinarium senum*, *Sacræ Scripturæ in rebus verecundis modestia*, & *Lachrymæ Biblicæ*; imo ampliora subinde, & imprimis *Hortum Biblicum*, *Aromata Biblica*, *Resinas Biblicas*, *Anthropologiam Medico-Sacram* nec non *Cibos & Potiones Sacras* itemque *Passionalia Sacra* meditatur. Impræsentiarum Morbos Biblicos e prava diæta, seu perverso rerum non-naturalium sic dictarum usu resultantes exhibet. Qua occasione non solum, quomodo diæta congrua sit instituenda, & quales noxæ ex prava metuendæ sint, docet, sed & diversa Sacræ Scripturæ dicta hanc rem concernentia vel explicat, vel exemplis illustrat. In duodecim capita liber dispescitur, quorum I de aeris noxæ, II de errore in cibo & voracitate exitiali, III de excessu in potu & ebrietate pernitiosa, IV de somni longioris ac vigiliarum nimiarum damno, V de quiete diuturna & motu immoderato, VI de excrementorum retentorum molestiis insalubribus, VII de gaudii enormis ac risus vehementioris detrimento, IIX de mœrore & anxietate consumente, IX de ira furente, X de terroris gravioris periculo, XI de curæ affectu & effectu, XII de Veneris enervatione agit. Ut specimina quædam adducamus, postquam in Prolusione de Patriarcharum longævitate locutus est Autor, p. 35 de aere ex cinere de camino contaminato Exod. IX 8, 9, 10, 11 uberius agit; p. 59 quid devorare librum, Ezech. III, 3 significet, quidq; guttur in Sacra Scriptura dicatur, Psalm V, 10, explicat; p. 75 in antiquitatem mensæ accumbendi in conviviis inquirit. Somnum triplicem occurrere observat, 1) naturæ, Matth. IIX, 24, 2) culpæ seu peccati, Matth. XIII, 25, 3) gratiæ Joh. XI,

Joh. XI, 11, Deuteron. XXXI, 16, p. 251 ſeq. quid συνοχὴ Luc. XII, 50, XXI, 25, θλῖψις Matth. XXIV, 9, 21, Actor. XIV, 22, 2 Corinth. IV, 17, ςενος & ςενοχωρεῖσθαι, 2 Corinth. IV, 8, VI, 4 ſignificet, explicat; p. 258 mores proſequitur veterum mœrore confectorum, dum mulieres manus utrasque ſuper caput collidebant, vel copulabant, Jerem. II, 37, Ezech. XX, 14, manus expandebant ac contrahebant, Thren. I, 17, alii nudis pedibus incedebant, 2 Sam. XV, 30, femora percutiebant, Jerem. XXXI, 19, Ezech. XXI, 12, pectus feriebant, 1 Sam. XXIV, 6, Luc. XVIII, 13 veſtes lacerabant, Job. I, 20, 2 Sam. I, 11, comam evellebant, 1 Eſdr. IX, 3, Amos. IIX, 10, Ezech. VII, 18, XXVII, 31, Jerem. XLVII, 5, XLIIX, 37, crines radebant, vellebant, & tondebant, Mich. I, 16, Eſ. XXVI, 2, 3, Jer. VII, 29, XVI, 6, capillitium circum colla fluere ac errare ſinebant, Eſ. XLVII, 2, Luc. VII, 38, 44, barbas gerebant promiſſas, 2 Sam. XIX, 24, caput velabant, 2 Sam. XV, 30, XIX, 4, Jerem. XIV, 3, 4, Eſth. VI, 12, vel pendulum vel incurvatum habebant, Eſ. LVIII, 5, Judic. IIX, 24, Joh. X, 15, Zachar. I, v. ult. ſacco vel cilitio induebantur, Eſ. L, 3, & cinerem in caput conſpergebant, Eſ. III, 26, Thren. II, 10, Ezech. XXVII, 30, Matth. XI, 21, 2 Sam. I, 2, XIII, 19, Jon. II, 13, Ezech. XXIV, 17. Denique poſtquam p. 306 ſenſum dicti Matth. V, 22 prolixius explicuiſſet Autor, p. 381 tres de congreſſu brutorum quæſtiones curioſas ultimo capiti annectit, ſcilicet 1) cur bruta ſtata Veneris exercendæ ſeu coeundi tempora habeant, non item homo, 2) cur canes invicem in copula venerea cohæreant? 3) cur feles fœminæ in congreſſu tam vehementer ululent?

HESPERIDUM NORIMBERGENSIUM, Sive de Malorum Citreorum, Limonum Aurantiorumque Cultura & Uſu Libri IV, itemque de Floribus rarioribus in Agro Norico cultis, Autore JO. CHRISTOPH. VOLCAMERO.

Norimbergæ, apud Jo. Endteri Fil. & Hæred. 1713, fol. Alph. 3 plag. 7 & Figg. Tabb. 118.

NObiliſſ. Autor, cum Rovereti mercaturæ cauſa degeret, ſibi comparavit hujus culturæ cognitionem, quam experien-

tia postmodum auxit, cum hortus in suburbio Norimbergensi, ex hereditate paterna devolutus ad ipsum esset. In hoc quæ ipse observavit, Germanice literis consignavit, quae ab Erhardo Reuschio Latinitate donata hac editione prodierunt, simul cum præmissa ejusdem Epistolari Dissert. ad Volcamerum de Scriptoribus præcipuis, qui de Hesperidum cultura commentati sunt, ubi magnam partem Criticum agit, & secundum ductum historiæ Hesperidum primum Afros, dein Græcos, tum Italos ac Germanos tandem, refert, omissis Arabibus, usum malorum aureorum Medicum plerumque tradentibus. Notamus, agmen Scriptorum ducere Jobam sive Jubam, Numidiæ & Mauritaniæ Regem, qui, cum in bello Patris cum C. J. Cæsare puer admodum captus esset, Romæ inter alia studia ad rem hortensem se conferens, de Citri nomine scripsit. Omnium autem loco ipsi sunt illi Triumviri, Jo. Jov. Pontanus, Jo. Bapt. Ferrarius & Ulysses Aldrovandus.

Lib. I universa exequitur Autor, quæ ad culturam Hesperidum æstivam & hibernam pertinent, additis sub calcem descriptionibus aliquarum Italiæ regionum, ex quibus arbores illæ plerumque ad nos deferuntur. Hinc inserit fabulam de tribus Hesperi filiabus, ob rapinam Herculis ex Africa per Græciam in Italiam devenientibus, & hortos ibi colentibus, indeque Librum II inscribit Æglen, agentem de Citreis, quod illa cultura malorum citreorum fuerit delectata, Lib. III Arethusam, de Limonibus differentem, & Lib. IV Hesperthusam, Aurantiis dicatam. Trium istorum fructuum plerasque species æri incisas & accurate descriptas exhibet, adspersis nonnullis de earundem usu.

Eorum in gratiam, qui horticultura delectantur, specimina quædam excerpemus. Lib. I c. 5 ostendit, quod arbores non minus augmentum ac vegetationem ab aere, quam ab aqua & terra, sortiantur, dum ex Observationibus Marcelli Malpighii & Nehemiæ Grevv probat, arbores compage plurium vasorum viscerumque pro aeris receptione instructas esse. C. 13 experientia comprobatum testatur, arbores Hesperidum hominum quorundam, præsertim insectorum morbo, præsentiam adeo abhorrere, ut contactu solo enecentur. C. 14 adserit, vermiculos in visceribus

ſceribus pomorum ex putreſcentia neutiquam generari, ſed per foraminula ſubtiliſſima, oculos nudos fugientia, intrantes ſui ſpeciem intus procreare. C. 22 refert, circa Nervum, Genuenſium vicum, conſitas eſſe malos citreas nemoribus totis, quæ Auſtro obverſa hieme ipſa & flores oſtendant, & fructus ferant. Lib. II, cum c. 1 differentiam citrea inter mala & limonia minus alioquin evidentem explicaſſet, c. 2 quando de mali citrei uſu adverſus venenum agit, Atheneum refert, velut novi quid & ſuo tempore in Ægypto a cive ſuo compertum enarrare, quod ibidem facinoroſi duo ad ſerpentum morſus fuerint damnati, quibus ad locum ſupplicii procedentibus, uxor cauponis malum citreum, quod in manibus geſtans admorſerat, ſine dolo malo porrexerit, quo manducato ipſi ſine noxa morſus, venenatos exceperint. Quare judex id reſciſcens, ut ea de re certior fieret, die ſequenti alteri tantum dari malum juſſerit, factumque inde, ut, qui acceperit, ſervatus fuerit, alter autem obierit. Hunc tamen uſum jam ante Athenæum cognitum fuiſſe, Autor ex Virgilii Georg. probat. C. 8 commemorat, Malum Coniferum, Ital. *Cedro col Pigolo*, a Judæis illud fuiſſe credi, quod pependerit de arbore vetita, hincque Paradiſiacum vocari. Autoritate quoque Rabbinorum, inductorum verbis Levit. XXIII, 40, quod putent, hoc pomum eſſe fructum pulcherrimum, ſancitum eſt, ut Septembribus Tabernaculorum feriis pomum ejusmodi, ſine macula tamen omni, manu præferentes, Synagogam adeant.

Appendicis loco addit varia, ut: de ratione adumbrandi buxo horologii Solaris in area; modum hortos optice delineandi; deſcriptiones Obeliſci Conſtantinopolitani, in circo, ubi Orientis Domini haſtiludia celebrabant, a Theodoſio M. conſtituti, cum interpretatione characterum in eodem deſcriptorum.

D. S. SCHMIEDERI, IMP. ACAD. NAT. CURIOſ. Soc. Obſervatio de duplici Phænomeno Lunari nuper d. 24 Maji obſervato.

DUplex phænomenon ſatis rarum, ſpectatu curioſum atque cujus memoria eruditos inter retineatur, dignum, die 24

Maji a. c. cum tota nocte una cum aliis in itinere comitibus Lipsia Dresdam proficiscerer rheda publica, in corpore Lunari a me multisque aliis observatum jam exhibeo, in adjecta figura æneæ accurate repræsentatum. Cœlo advesperascente, hora nempe octava, & Sole jam sub Horizontem depresso, cum cœlum, nubibus antea densis iisque haud paucis conspersum, sudum redderetur & ventus ex Oriente spirare incipiens nubes aquis turgidas dispergeret, inque longos albescentes tractus mutari nubes conspicerentur: una ex his admodum longa albicans in copiosissimos floccos discerpta ac per totum fere cœli spatium ad Horizontem usque Occidentalem sese extendens, corpori Lunari in Oriente adhuc constituto aggluntinabatur,
TAB. IV. Fig. 1. ac eleganter quoad figuram (Fig. 1) per semihorulæ spatium, jucundo spectaculo, cometæ caudam mentiebatur. Curiosa hac nube disjecta & effluxo duarum fere horarum spatio cum cœlum maximam partem nubibus nunc depurgaretur, paucæque saltem hinc & inde in aere adhuc & albicantes & nigricantes hærerent; inopinato sensim sensimque novum, aere tunc temporis denso & vaporibus repleto, oculorum conspectui sese offere-
Fig. 2. bat phænomenon in Fig. 2, aspectu curiosum atque non tantum ob formam, verum quoque quod Luna nondum plena sed adhuc gibbosa apparuerit notatu dignum, cum alias in plenilunio talia sese nobis conspicienda præbeant. *Primo* sat magna Lunam (a) cingebat area seu corona (cccc) albicantis coloris, deinde crux generabatur pyramidalis lutea (bbbb) cum duabus simul in arca Paraselenis (d. e.) quorum una (d) eleganter imaginem Lunæ mentiebatur & cauda admodum lucida & longa instructa erat, altera vero (e) hac paulo debilior, interim tamen satis perfecta apparebat. *Tertio* sub conspectum quoque prodibat Paraselene (f) quæ nubeculæ tantum rotundæ & nonnihil lucidæ faciem exhibebat, ac tandem *quarto* splendor albicantis coloris Lunæ falcatæ ad instar (g) oriebatur, qui etiam omnium primo cum Paraselene (f) iterum disparebat. Postea crux & halo, ultimo autem Paraselenæ (d. e.) quoque evanescebant. Litteræ in Fig. 2 h & i indicant nubes, quarum illæ (h) albicantem, hæ vero (i) nigricantem habebant colorem, interdum

UNIV. BIBLIOTECA DERECHO

dum Lunæ faciem obſcurabant. Una ex albicantibus (h) ad finem fere usque hujus ſpectaculi curioſi aream lunarem, ut in Fig. 2 annotavimus, nonnihil tegebat. De cruce notandum eſt, quod iſta neutiquam in locis noſtræ obſervationis corpus lunare interſecuerit, neque ad perepheriam areæ usque lineis parallelis ſeſe extenderit, neque etiam æqualem de ſe ſplendorem atque claritatem ſparſerit, ut quidam ſe vidiſſe ajunt, ſed ex quatuor quaſi conflata pyramidibus & corpori Lunari impoſita videretur. Brachium enim (α) eleganter clarebat, (β) vero paulo debilius, (γ & δ) autem æquali nitore prædita erant, fortius tamen ſplendebant quam (β) nonnihil autem debilius quam (α). Cujus rei cauſam quilibet qui Lunæ corpus luce undiquaque nondum perfuſum attendit, perfacile intelligere valet. Ad materiam ejusmodi phænomenorum quod attinet, miſſis aliarum ſententiarum ineptiis iis ſubſcribimus, qui eam ex particulis aqueis in vaporem tenuem reſolutis, intermixtis interdum etiam exhalationibus, nunc paucis nunc copioſis, ſulphureis conſtare, ejusque formam atque colorem ex doctrina optica de reflexione & refractione radiorum in corpuſcula pellucida hujus vel illius figuræ & denſitatis incidentium deducendam atque explicandam aſſerunt. Conf. Dn. D. Jo. A. Schmidii pererudita Diſſert. de Cruce in Luna viſa, M. Chriſt. Colbii Diſſ. de Paraſelenis, coronis, cruce in Luna aliisque arcubus, Actor. Erud. An. M DC LXXXIV, nec non Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Decur. II A. II. Durationem autem noſtri phænomeni quod concernit, equidem ab hora X ad XII usq; oculos delectavit, quo tempore elapſo ſenſim ſenſimq; iterum evanuit, neutantum admirationis verum etiam variarum de omine ſententiarum cauſa extitit. Alii enim, quia Luna Turcarum inſigne eſt, inque ejus area tres Paraſelenæ apparuerunt, horum cum Polonis rebellibus atque Suecis hoſtilem adventum; alii alia mala nobis ſignificari putabant. Quorum vero omnium ſententias ex ſuperſtitione vana originem ducere, cum evidens ſit atque perſpicuum, earum refutationi nobis non eſſe immorandum cenſemus. Ceterum ſimile phænomenon paraſelenarum A. 1660 d. 17 Decembr. mane Gedani conſpectarum deſcribit *Hevelius* in Phænomenis aereis, quæ tractatui de

Mercurio & Venere in Sole visis per modum appendicis subjunguntur. Theorium vero ejus optime explicuit Hugenius in Posthumis.

A TREATISE OF THE SPHERE &c.

h. e.

TRACTATUS DE SPHÆRA &c. AUTORE Viro quondam Reverendo, JOHANNE WITTY, Artium Magistro & Diacono.

Londini, apud Johannem Wyat, 1714, 8.
Alph. 1 & fig. æn. ½ 20.

EQuidem præter *Aquilonium* de Sphæræ projectione profunde admodum meditatus *Christophorus Clavius* in tribus, quos de Astrolabio composuit, libris; sed opus ejus adeo prolixum & schemata tam implexa ac intricata, ut *Tacqueto* improbabile videatur, quod ab ullo unquam mortalium hactenus totum perlectum fuerit. Quamvis autem ipse *Tacquetus* Opticæ libro tertio projectionem Sphæræ facilius multo docuerit indeque structuram atque usum astrolabiorum derivaverit; negari tamen non potest, quod Cl. *Wittyus* majori perspicuitate ac facilitate idem argumentum pertractaverit & novum hujus doctrinæ usum in problematibus partis Sphæricæ, Astronomiæ atque Geographiæ per constructionem, citra calculi trigonometrici tædia, exacte solvendis ad imitationem celeberrimi *Flamstedii*, in sua doctrina Sphærica eclipsium Solarium constructiones similes exhibentis, monstraverit: ab anno enim 1705 per quindecim menses ipsius hospitio & consuetudine usus est in observatorio regio. Integer Tractatus quatuor capitibus absolvitur. Præmissis definitionibus Sphæræ & circulorum in Sphæra mundana concipi solitorum, nec non projectionum Sphæræ, atque axiomate ad projectiones utili, C. 1 de orthographica Sphæræ projectione agit. Considerat apparentiam circulorum Sphæræ in plano projectionis, tum ad planum perpendicularium, tum inclinatorum, tum eidem parallelorum: quorum illi ut rectæ, isti ut circuli, hi ut ellipses apparent. Inde methodos deducit circulos Sphæræ in plano projiciendi, & quomodo divisiones circulorum projectorum fiant in gradus competentes, aperte docet. Regulas,

las, quas tradidit, exemplo illustrat, projectione orthographica Sphæræ in plano primi meridiani seu coluro solstitiorum sub latitudine boreali 51° 32 facta. Cap. II de stereographica projectione Sphæræ tractat. Eundem prorsus ordinem tenet, quem in præcedente observaverat. Postquam enim demonstravit, qualis sit apparentia circulorum Sphæræ in plano projectionis, quod nempe circuli per polos plani projectionis transeuntes & ad planum perpendiculares repræsententur per lineas rectas, reliqui omnes per circulos; methodos projiciendi circulos Sphæræ inde deducit, & quomodo in gradus projecti dividantur, ostendit, addito exemplo Sphæræ in plano horizontali sub latitudine boreali 51° 32, item in plano ecliptice neque minus in plano coluri æquinoctiorum projectæ. Sequitur Cap. III usus projectionis Sphæræ in plano in solutione problematum astronomicorum ad partem Sphæricam pertinentium, nimirum quomodo Solis ascensio recta, distantia a polo, angulus cum meridiano inveniatur; quomodo ascensione recta & declinatione duarum fixarum atque distantia a tertia sive fixa, sive planeta data, tertiæ hujus sive planetæ ascensio recta & declinatio, longitudo item & latitudo ex illarum longitudine & latitudine data reperiatur; quomodo ortus & occasus Solis, longitudo diei atque noctis, amplitudo ortiva & occidua, mora stellarum super horizonte & sub eodem, Solis distantia a vertice ad azimuthum, tempus quo distantia Solis a vertice observata, ecliptice punctum ad datum tempus culminans, altitudo nonagesimi, angulus quem efficit verticalis cum ecliptica in loco Solis ad tempus datum, parallaxis longitudinis, finis crepusculi vespertini & initium matutini, ortus & occasus fixæ, differentia ascensionalis, ascensio obliqua, ortus & occasus heliacus stellæ determinetur. Mox ostendit, quomodo eadem problemata in projectione Sphæræ stereographica in plano coluri solstitialis solvantur. Denique C. IV invenies usum projectionis Sphæræ in delineatione mapparum Geographicarum tam universalium quam particularium, & in solutione aliorum problematum Geographicorum, quæ alias per trigonometriam sphæricam solvuntur. Tandem colophonem inponit tractationi integræ expositio variarum methodorum longitudinem locorum inveniendi, passim ab autoribus traditarum:

ditarum:

tarum: quo etiam ſpectat problema de longitudine loci in terra dati citra obſervationes alibi factas dato quocunque tempore invenienda, quod a tot præclaris ingeniis fruſtra hactenus tentatum tandem ſolviſſe viros celeberrimos *Whiſtonum* atque *Dittonum* fama publica conſtat. Quod ſi eorum inventum meruerit applauſum virorum artis navigandi peritorum &, qui ſummi hac in re arbitri cenſeri debent, *Newtoni*, *Flamſtedii* atque *Halleji*; non exiguus ſane ſplendor inde accedet nationi Anglorum tot præclaris in omni ſcientiarum genere inventis ab omni ævo nobilitatæ. Ceterum Noſter ſingulis problematibus per Sphæræ projectionem ſolutis ſubjicit ſolutiones per calculum trigonometricum: quo ipſo methodi prioris perfectio innoteſcit. Dolet vero Editor, quod jam anno ætatis 31 Autor diem ſuum obierit, cum opera ejus, quæ ante obitum publicavit, ſub titulo principiorum Deiſmi moderni confutatorum & rationabilitatis aſſentiendi myſteriis Chriſtianiſmi aſſertæ ac vindicatæ præclaram ingenii ipſius vim abunde loquantur. Non inanem operam ſumeret, qui in Latinam linguam hunc de Sphæra tractatum transferret.

JANI VINCENTII GRAVINÆ, JCTI ET Anteceſſoris Romani, Orationes & Opuſcula.

Trajecti ad Rhenum, apud Guil. van de Water, 1713, 8. Alph. 1 pl. 2.

INconſulto Autore Orationes has una cum Opuſculis in lucem produxit Jo. Baptiſta Ancionius J. C. Gravinæ, celeberrimi Magiſtri haud degener diſcipulus, qui eas Sereniſſ. Principi Eugenio dedicavit. In Oratione I, quæ *de inſtauratione ſtudiorum* agit, atque ad Clementem XI Pontif. R. directa eſt, Cl. Autor monſtrat, quomodo ſtudia literarum, quæ a recta inſtitutione deerrarunt, ope educationis in viam ſint reducenda. Tenera ſcilicet puerorum ingenia non ſunt Grammaticorum præceptis irretienda, ſed nominum & verborum flexione aliisque rudimentis cognitis, ad ſcriptores adducenda, ex quibus vocabulorum ſenſum & uſum arripiant. In his vero agmen ducat Ludov. Vivis Exercitationum libellus, quem Phædri Fabulæ, Terentii

Comœdiæ

Comœdiæ alii que Comici, nec materiæ obſcuritate neque oratoria verborum circuitione moleſti, ſequuntur. Atque cum in aliorum præter Comicos Scriptorum lectione ſine fabularum aut hiſtoriarum cognitione, videamur per tenebras ſine face aberraturi, porro Ovidii libri Metamorphoſeon una cum iis, qui & Græci & Romani imperii fata tradunt, ſedula manu volvendi. Quo facto ipſe tandem Cicero adeundus, Romanæ eloquentiæ princeps, ita tamen, ut ejus lectionem comitentur Livius, Salluſtius, C. Nepos & Cæſar. Hos excipiet Poetarum lectio, Virgilii, Horatii & Ovidii, niſi forte propter ſermonis proprietatem præire debeant Catullus, Tibullus & Propertius. In traditione præceptorum grammaticorum non leve quidem incommodum pariunt partim obſcuritas, cum quæ ad Latinæ linguæ intelligentiam faciunt, Latine, adeoque obſcura per obſcuriora tradantur, partim præceptorum & exceptionum multitudo ac copia; ex recentioribus tamen Grammaticis præcipue laudandi Scaliger, Sanctius, Voſſius & Scioppius. Abſoluta Grammatica Latina, eodem ſervato docendi ordine literis pueri imbuentur Græcis. In quibus omnium ſcriptorum inſtar erit Homerus, cui interpretando facilitatem afferet ſummam *Clavis*, quam vocant, *Homerica*. Eodem tempore, quo Græcas docentur literas, erudiri etiam poterunt communioribus Rhetoricæ præceptis, a quibus ad ratiocinandi & diſputandi artem nempe ad Dialecticam decedant, quæ tamen perinde ac Rhetorica fuerit inanis niſi materiam ſibi vel ex communibus rebus vel e ſcientiis contrahat. Dialecticam ſequatur Geometria & hanc iterum diligens naturæ ſtudium, in quo ſi per ſingula non liceat excurrere, ſaltem perſpicienda univerſa, donec mens illa deponatur anilis, educatione muliercularum & conſuetudine imperitorum ſomniis atque ineptiis circumfuſa. Ubi autem quis generales rerum cauſas & initia affectionum attigerit, confeſtim accedet ad cauſas civiles progreſſusque Societatis humanæ, ut perſpectis moribus hominum cognitisque rebus tum publicis, tum privatis atque communibus, norit de illis, utram velit in partem, honeſte diſputare atque ad voluntatem ſuam flectere animos hominum, verbis ac rationibus de morali civilique philoſophia petitis: quæ merito locum apud

ſaniores homines artis Rhetoricæ ſubibunt. Poſtquam igitur adoleſcentes ad ſapienter cogitandum rectèque dicendum inſtituti, via tandem ipſis ad ſcientiam divini humanique juris pandenda. Quod vero quo ex animi ſententia votoque procedat, varia eaque ſaluberrima in medium monita proferuntur. Oratio II *pro Legibus Romanis ad Magnum Moſchorum Regem* compoſita eſt. Omnibus enim iis, quæ unquam Petrus fortiter atque præclare fecit, laudibus in cœlum elatis, bona hæc omnia non perennia fore affirmat Cl. Autor, niſi parentium mores fluxi actusque inſtabiles legibus continerentur & ad certam juſtitiæ formam revocarentur. Saniorem autem ea inveniri non poſſe, quam Græci excogitarunt, in meliorem vero converterunt Romani. Qua occaſione in præſtantiam dignitatemque LL. RR. excurrit, ac tandem eo voto concludit, ut Moſcoviæ Imperator tranſitu aliquando a Græca ad Romanam Religionem facto inſignem & piis omnibus & etiam cœlitibus lætitiam ſpargat. Orat. III de *Sapientia univerſa* ortum, ſtatum & inclinationem doctrinarum, earumque inſtaurationem indicare molitur. Hinc animos legentium in altum per ætates regionesque remotiſſimas ad capita fontesque doctrinarum evectos ad noſtra usque tempora jucunda peregrinatione reducit, ac quid utile quidque noxium ſit, ubique oſtendit. Poteſt autem omne doctrinarum fatum in VII tribui conferriq; ætates, ita ut ab Orpheo ad Pythagoram producatur ſeculum Poeticum; a Pythagora usque ad Alexandrum Philoſophicum: ab Alexandro ad Auguſtum Oratorium: ab Auguſto usque ad Conſtantinum ſeculum Juridicum: a Conſtantino ad D. Bernardum Theologicum: a D. Bernardo ad Leonem X Scholaſticum: a Leone X ad noſtra usque tempora Phyſicum ſimul & Criticum. Oratione IV de *Jurisprudentia ad ſuos juris civilis auditores* jus Romanum extollit Autor, ejusque fata exponit. Ubi autem inter alia quæ ab opinione communi recedunt, etiam hæc multis paradoxa videbitur ſententia, quod Romani non honoris, non gloriæ, ſed virtutis propagandæ inſtinctu arma tuliſſe dicantur. Ecce ipſa celeberrimi Autoris verba: „Sane Græcorum populus non cultor „ &c. modo ſed autor atque inventor erat honeſtatis; verum

quia

quia ſuum anguſtos intra fines continuit imperium, ſe ipſum „ tantum publice, at exteros privata diſciplina Philoſophorum „ excoluit, minime vero nationes integras barbarie ſpoliavit; ſci-„ licet hanc Deus O. M. gloriam atque felicitatem Romanis re-„ ſervaverat, ut ſuis præliis condoceſaceret genus humanum, gen-„ tesque ab ſe devictas non jugo premerent ſervitutis, ſed a ferinis „ moribus, & ab immanitate ad veram libertatem, nempe ad ho-„ neſtatem & rationem, ſuis revocarent legibus, quibus tantum „ propagandis Pop. Rom. felici victoriarum curſu a divina Pro-„ videntia rerum humanarum arbitrium videtur accepiſſe. Non „ enim hominibus illi bellum indicere, ſed vitiis, atque ut huma-„ nitatem homini redderent, arma ſumſerunt; cum ii qui Roma-„ nis vivebant legibus; non tam victori populo parerent, quam „ imperio rectæ rationis obtemperarent. „ Orat. V *de recta in Jure diſputandi ratione* agit, eamque X his includit canonibus: 1 Sophiſtarum captionibus abſtinento, contraque perſpectam veritatem ingenium ne contendunto. 2 Verbis perſpicuis communique loquendi more utuntor: atque dum ratio pateſſit de argumentorum forma Sophiſtarum exemplo ne laboranto. 3 Prius in theſibus poſtea in hypotheſibus exercentor. 4 Altercare modo alternis ex tempore; modo ſcriptis perpetua oratione diſputare gaudento. 5 Argumentum ſatis expoſitum ne regerunto, neve obſtinanto, ac ſi diutius contendere libeſſit, aliunde petunto. 6 Objectionibus reſponſione ſolida renituntor: ſi deſit honeſtius, tacento. 7 Contra oppoſitam ſententiam lege aliqua repugnanto, legesq; legibus committunto, & in ſpeciem diſſentientes, abſtruſa ſententia eruenda, in concordiam redigunto. 8 In forenſibus quæſtionibus agitandis Accurſiani, at in veris ſenſibus Legum eruendis Cujaciani præferuntor. 9 Si Legum repugnantia nulla ſuat, communes juris regulas opponunto: ſi nec eſcint, primo vetuſtum jus ex hiſtoriis; deinde morales rationes a Græcis Philoſophis mutuantor. 10 Qui ſecus faxint, blaterones habentor, doctorum cœtibus excluduntor, erroribusque ſuis perpetuo torquentor. Oratio VI *de repetendis fontibus doctrinarum* tres nullo non tempore fontes doctrinarum patuiſſe docet: naturam ſcilicet rerum, quæ ſedes eſt Philoſophiæ: ſacros Codices, qui p. 142.

ſunt germanæ Theologiæ templa: & juris R. Juſtinianæi volumina, quibus integra Jurisprudentia conſervatur. Ab omnibus autem his fontibus ad putidas paludes eſſe deſcitum; quæ cum rectis ſaluberrimisque originibus ut viciſſim commutentur, veræ ſapientiæ intereſſe quam maxime. Oratio VII *de Canone interiori* eo tempore dicta eſt, cum recurreret annuus dies funeris illius, unde nobis beatæ vitæ proceſſit æternitas. Hinc eo potiſſimum tendit, ut ii, qui a civili ſcientia docentur alios regere, ſimul diſcant regere ſemetipſos nec modo cum civibus, dum in hac vita mortali morantur, verum & cum propriis affectibus tuto ac tranquille ad beatam ſpem immortalitatis habitare. Concludit denique orationum ſeriem VIII illa pro *Legibus Arcadum*. Quæ cum inter Opuſcula anno 1696 edita & a nobis Anno ſequenti recenſita inveniatur, miſſam eandem una cum opuſculis ſimul recuſis facimus, vere interim faſſi, quod paucos ætas noſtra Gravinas ferat.

JO. FRIDERICI MAYERI, D. ET P. P. Bibliotheca Biblica.

Lipſiæ, apud Jo. Mart. Burckmannum, 1711, 4. Plag. 21.

CAROLI ARNDII, P. P. ROSTOCH. BIBLIOtheca B. MAYERI Biblica eaque continuata.

Roſtochii & Lipſiæ, apud C. G. Garmannum, 1713, 4. Plag. 21½.

DEcem diſſertationibus de notitia Autorum Pontificiorum, Reformatorum & Lutheranorum, imo & Judæorum, qui in Scripturam Sacram commentarios ſcripſerunt, abſolvitur Bibliotheca Biblica, quam Theologus magni nominis, Jo. Frid. Mayerus, ſeparatim in Academia Gryphiswaldenſi publicæ luci exponere cœpit, ac deinceps A. M DCC V junctim edidit. In præſenti utimur tertia editione, & notamus ſtatim, quod prima diſſertatio

diſſertatio Scriptores Pontificios, qui catalogos commentatorum in ſanctiſſimum Codicem evulgarunt, nominatim Sixtum Senenſem cum Notgero, Antonium Poſſevinum, Angelum Roccham, Fabianum Juſtinianum, Andream Schottum, Antonium Sanderum, Jacobum Pamelium, Bibliothecam Jeſuiticam Alegambii, Hiſpaniam Nicolai Antonii, Catalogos Thuanæ aliarumque Bibliothecarum, Lud. Jacobum a S. Carolo & Richardum Simonem exhibeat. Secunda Scriptores Judæos & Chriſtianos, e quibus notitia Ebræorum in V. T. Commentatorum peti poſſit, recenſet, ac tertia tum Reformatos, Conr. Geſnerum, Thomam Jameſium, Gisbertum Voetium, Jo. Henr. Hottingerum, Gerhardum Meyerum, Jo. Henr. Heideggerum, & Guil. Crovæum, tum Lutheranos, Petr. Beſodnerum, Georg. Draudium, Paul. Bolduanum, Mich. Waltherum, Phil. Henr. Friedlieb, Jo. Korlemberger, Dan. Springinsgut, Jo. Georg. Dorſchæum, Aug. Pfeifferum & Mart. Lipenium, qui ſimile quid moliti ſunt, enumerat. Quarta & quinta de Autoribus, qui perpetuos in Scripturam S. ſive univerſam ſive plurimos ejus libros ſcripſerunt commentarios, ex Pontificiorum ordine videlicet Rabano Mauro, Anſelmo Laudunenſi, Dionyſio Carthuſiano, Hugone de S. Victore, Nicol. Lyra, Paulo Burgenſi, Matth. Thornione, Bibliis gloſſatis Duacenſibus, Iſidoro Clario, Jo. Benedicto, Thom. de Vio Cajetano, Thom. Malvenda, Luca Brugenſi & Theologis Lovanienſibus, Antonio de Eſcobar & Mendoza, Guil. Eſtio, Franc. Haræo, Jac. Gordonio, Jo. Mariana, Eman. Sa & Petr. Lanſelio, Jo. Steph. Menochio, Corn. a Lapide, Jac. Tirinio, Jo. de la Haye & Franc. Garzia de la Valle agunt. Sexta, ſeptima, octava & nona ad Reformatos progrediuntur, atque ex Interpretibus Jo. Calvinum, Conr. Pellicanum, Franc. Junium, Eman. Tremellium, Jo Druſium, Jo. Piſcatorem, Lud. & Jac. Capellos fratres, Jo. Lightfootum, Jo. Coccejum, Lud. de Dieu, Nic. Arnoldum, Abrah. Gulichium, Jo. Deodatum, Sam. Mareſium, Jo. Eduardum, verſionem Belgicam pariter atque Piſcatoris Germanicam, & Paul. Toſſanum producunt. Decima tandem de Bibliis Criticis Anglicanis & Poli

Synopſi diſſerit, ac in fine ſpem facit, fore, ut Commentariorum in libros Apocryphos Synopſin, quam Vir celeberrimus, Jo. Albertus Fabricius, in ſupplementum Poliani operis meditatur, aliquando habeamus. De Lutheranis ſcriptoribus, qui vel univerſum Codicem ſacrum, vel plerosque ejusdem libros commentariis illuſtrarunt, nihil addidit B. Mayerus; unde poſt ipſius obitum clariſſimo Viro, Carolo Arndio, qui Ebræam linguam ac Theologiam Catecheticam in alma Roſarum publice profitetur, defectum illum ſupplere viſum fuit. Quemadmodum vero ſupplementum in duo capita diſpeſcitur, ita in priori potiſſimum de Interpretibus Lutheranis, nimirum, Bibliorum Vinarienſium Autoribus, Abrah. Calovio, Dan. Cramero, Jo. & Gottfr. Olearii, Phil. Henr. Friedlieb, Luc. Oſiandro, Jo Quiſtorpio, Andr. Prücknero, Aug. Varenio, Sebaſt. Schmidio actum eſſe animadvertimus. Poſterius enim commentatores in ſingulos ſacrorum Bibliorum libros in ſcenam aſſert, optimosque eligit, ac illos nunc ob brevitatem nunc ob ſolidam rerum tractationem commendat, paſſimque de iis doctorum Virorum judicia magno numero interſpergit.

NOVA LITERARIA.

ROterodami Fritſchius & Bœhmius ſpecimen Dictionarii Bæliani dederunt, quale tertia jam editione apud illos prodiit. Relicta ab Autore ſupplementa ac emendationes, quæ juſtum volumen implerent, ſi ſeorſim excuderentur, ſuo quævis loco inſerentur. Magnamque adhibitum iri diligentiam promittunt, in tollendis orationis vitiis, quique in citationes Autorum, temporumve notas irrepſerunt, erroribus: utque per omnia nitori operis, & lectorum commodis, præcipue in ordinandis annotationibus, citationibusque, & digerendo indice conſulatur; quod vel ideo mature nuntiandum putavimus, quoniam novam libri editionem ſine ſupplementis quidem aut emendationibus Genevæ nunc procurari intelleximus. Jo. Maſſon, qui nuper in Angliam ad munus Eccleſiaſticum obeundum diſceſſit,

fit, Dordraci hactenus prelo subjecit Μηνολόγιον διαφόρων πόλεων e Codice Mediceo descriptum. A Burmanno vero Quintilianum & Ovidium exspectamus.

E Diario Veneto, cujus Tomum XVI & XVII accepimus, constat, novam Scientiarum Academiam, in qua Medicina, Physica experimentalis, Historia naturalis, Astronomia, ac reliquæ disciplinæ Mathematicæ publice doceantur, Bononiæ anni hujus d. 13 Martii solenniter inauguratam esse. Debet illa originem Comiti Marsilio, qui bibliothecam suam, & supellectilem mathematicam & antiquariam, nec non curiosorum naturæ apparatum eum in finem Senatui Bononiensi donavit. Amplissimas in eosdem usus ædes concessit Pontifex maximus, in quibus etiam Academia Pictorum, Sculptorum & Architectorum Clementina, itidem Ill. Marsilii consiliis instituta, conventus suos celebraret. Eundem nunc occupari ajunt studio veteris Romanorum armaturæ ex numis, signis marmoribusq; eruendæ.

Joachimus Fridericus Fellerus, Secretarius Vinariensis, Cl. Viri, Joachimi Felleri, filius unicus, patriarumq; virtutum hæres, utilissimum aggreditur institutum, dum *Monumenta varia inedita variisque linguis conscripta* singulis trimestribus ex instructissima penu promere parat. Et primum quidem *Trimestre*, quod nuperrime prodiit, complectitur 1 Epistolam Gallicam Ill. Leibnitii ad amicum de peccato originali, 2 Excerpta ex Chronico Colonienſi antiquo manu in membrana scripto, quod in Bibliotheca augusta Guelfebytana asservatur, res potissimum Imperatorum, Henrici V, Lotharii Saxonis & Conradi III ævo, nec non a Guelfis gestas illustrantia, 3 Cæsarum Ottonis II & III diplomata tria e Sagittarii Antiquitatibus Marchionatus Thuringici MS. excerpta, e quibus de vetustate & situ quorundam Thuringiæ locorum constat, 4 Excerpta e Tobiæ Oelhafen relatione A. 1658 manu exarata, de conatibus Legati Gallici, ut Electorem Bavarum Ferdinandum Mariam in dignitatem Cæsaream eveheret, tum 5 Catalogum plusquam centum historiæ Germanicæ Scriptorum passim adhuc in schedis latentium, quem Cl. Editor Observationibus haud vulgaribus passim distinxit.

LIBRI

LIBRI NOVI.

De Patricia Conſentina Nobilitate monimentorum epitome, Autore D. Fabricio Caſtiglione Morelli, *Patricio Conſentino, genere Mediolanenſi e principibus Antiochenis. Venet. 1713, f.*

Hieron. Baruffaldi, *Ph. D. Ferrarienſis, diſſ. de præficis ad illuſtrationem urnæ ſepulcralis Fl. Quartillæ præficæ; acc. Joſephi* Lanzoni, *Med. Ferrarienſis, adverſaria de luctu mortuali veterum. Ferrar. 1713, 8.*

Eſperienze, & Oſſervazioni intorno all' origine, ſviluppi, e coſtumi di vari inſetti, con altre ſpettanti alla naturale e medica ſtoria, fatta da Antonio Vallisnieri, *publico Profeſſore primario di Medicina Teorica nell' univerſità di Padova. In Padova 1713, 4.*

Rime ſcelte de' Poeti Ferraresi antichi, e moderni. Aggiuntevi nel fine alcune brevi notizie iſtoriche intorno ad eſſi. In Ferrara, 1713, 8.

Pauli Hulſii *Hiſtoria ſacra turpitudinis inceſtæ, continens Diſſert. de honeſtate & extenſione legum Levit. XVIII. Groningæ, 1714, 4.*

Principes de Phyſique rapportez à la Medicine Pratique, par M. Chambon. *A Paris, 1714, 12.*

Traité des Metaux & des Mineraux, & des remedes qu'on en peut tirer, par le meſme. A Paris, 1714, 12.

L'Iliade, Poeme, avec un diſcours ſur Homere, par M. de la Motte. *A Paris, 1714, 8.*

LECTORI SAL.

CUm compertum nobis ſit, deprehendi aliquos, qui, neſcimus qua invidia vel inſania commoti, exteris perſuaderi cupiant, Actorum noſtrorum exempla integra nunc proſtare omnino nulla; publice hoc loco indicandum duximus, utique apud Directorem noſtrum proſtare exempla Actorum integra non pauca inde ab A. 1682, quadraginta Tomos (non computatis quippe hujus anni Actis) complexa.

* * *

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Octobris Anno MDCC XIV.

LETTRES CHOISIES DE Mr. BAYLE, &c. h. e. *PETRI BÆLII EPISTOLÆ SELECTÆ, cum Annotationibus.* *Tomi III.*

Roterodami, apud Fritschium & Bœhmium, 1714. 12 maj. Alph. 2 pl. 9.

QUemadmodum epistolæ Gallicæ Guidonis Patini, tribus Voluminibus Coloniæ A. 1691 editæ, (quarum priorem editionem A. 1684 p. 248 recensuimus,) historiam litterariam inde ab A. 1645 usque ad A. 1672 illustrant: sic continuationis instar Bælianæ hæ epistolæ notitiam, partim etiam judicia continent de libris ab A. 1673 usque ad A. 1706 publicatis. Debemus autem has Bælii, quem A. 1704 p. 433 in his Actis merito vocavimus Virum πολυμαθέστατον & celeberrimum Belgii Varronem, epistolas curæ Domini Des-Maizeaux, ad quem ipsum permultæ hic exstant. Is, uti e Præfatione patet, non omnes, quas habuit, edidit Bælii epistolas, sed selegit eas, ex quibus fructus aliquis redundare ad lectores posset: quo consilio & ex iis, quas jam emittit in publicum, inutilia resecare non dubitavit, e. g. verba honoris, mandata, gratiarum actiones, & id genus alia. Notat etiam ingenue, in his epistolis Bælium subinde liberaliorem fuisse in erogandis laudibus Virorum doctorum eorumque librorum, idque eum fecisse partim ex civilitate, partim animum gratum testandi gratia iis, qui in ipsius gratiam laborem aliquem litterarium susceperant. Scilicet judicia de Viris doctis ad ipsos perscripta parum habent apud

cordatos homines ponderis: idque ipſe Bælius in Dictionario ſuo (voce *Grotius* not. M) Salmaſii exemplo comprobavit, qui in literis ad ipſum Grotium datis eum divinis ornarat laudibus virumque appellarat *ſupereminentiſſimum*: contra in epiſtola ad Sarravium miſſa vix tantum laudis ei conceſſit, ut mediocribus hominibus annumerari poſſet. Recordamur hiſtoriæ παρακλήλε ex Buchneri epiſtolis, ubi lib. I epiſt. 150 Paſtorium, ad quem ſcribit, eximie laudat, e contrario epiſt. 162 ad alium ſcripta eundem Paſtorium mirifice exagitat. Sed redimus ad Bælii epiſtolas, quibus & annotationes larga manu adjectæ ſunt, in quibus librorum, de quibus in epiſtolis mentio fit, autores, tituli, editiones, interdum etiam hiſtoria & argumenta, indicantur. Harum notarum, indice Præfatione, duo ſunt autores. Ex, quibus nullum ſubjectum eſt ſignum, profectæ ſunt a laudato Dn. Des-Maizeaux: illæ vero, quibus ſubjecta eſt littera M, autorem habent eum, qui compoſuit Præfationem, id eſt, ut perhibetur, Proſperum Marchandum, doctum bibliopolam Pariſinum. Præfationem excipiunt Additamenta & Emendationes, quibus id genus librorum vix carere poſſe, facile intelligitur. Sequitur Elogium Bælii, repetitum ex Baſnagii Hiſtoria Operum eruditorum. Verum cum nos in his Actis *A. 1711 p. 103 ſq.* Vitam Bælii Anglice ſcriptam ſatis diffuſe recenſuerimus, nunc nihil aliud nobis faciendum reſtat, quam ut paucis indicemus, Anglicam illam Vitam eſſe quidem pleniorem & accuratiorem Baſnagiana, ſed nec hanc lectu indignam eſſe ob varia optimæ notæ inſperſa judicia. Ceterum cum utrobique referatur, Bælium nunquam pro fœtu ſui ingenii agnoſcere voluiſſe *Commentarium philoſophicum de tolerantia religionum*, Annotator hoc loco ex quadam harum epiſtolarum locum adducit, ubi Bælius ſe profitetur autorem, ſub cujus nomine etiam ſuperiore anno illud opus recuſum eſt, & a nobis recenſitum hoc ipſo anno ſupra *p. 55*.

Ipſum hoc epiſtolarum ſyntagma, ſi connumeremus paucas ab aliis ad Bælium miſſas, (inter quas una a Regina CHRISTINA, una a Societate Regia Londinenſi, una a Societate literaria Dublinenſi,) complectitur epiſtolas 253, quarum pleræque ſcriptæ fuerunt ad Ancillonium, Clericum, Conſtantium, Coſtem,

Coſteum, Lenfantium, Des-Maizeaux, Minutoli & Rou. Ex his bellaria quædam more noſtro Lectoribus oblaturi ſumus. Prima ſtatim epiſtola, quæ longiſſima eſt, docet, A. 1673 Genevæ ſingulis hebdomadis conveniſſe eruditos quosdam Viros, præſide Dn. de Rocoles. Suadet igitur Bælius, ut in literariis his conventibus diſquirant de rebus ad hiſtoriam philoſophorum Græcorum pertinentibus: cum Voſſii opuſculum *de ſectis Philoſophorum* ſit nimis ſterile. Ipſe ſectas eorum ſtatuit tres, Dogmaticorum, Academicorum, & Pyrrhoniorum ſive Scepticorum: quorum illi credunt, inventam ſibi eſſe veritatem: iſti veritatem inveniri poſſe negantes, hoc ipſo ſaltim unum dogma atque unam ſcientiam admittunt: hi credentes, ſe nondum invenisse veritatem, eam per omne vitæ ſpatium quærunt. Poſtremi, Bælio judice, cautiſſime philoſophantur. Nam in omnibus tantum probabilitatem ineſſe dictitant, ipſum illud axioma ſuum primarium, quod de omnibus dubitari poſſit, in dubium vocantes, adeoque omnem omnino ſcientiam profligantes. Largitur tamen, Academicos & Pyrrhonios facile in unum eundemque ordinem redigi poſſe. Docet etiam, maximos ceterorum ſectarum viros propendiſſe in Pyrrhoniſmum, ex recentioribus Mich. Montanum & Mothium Vayerium aperte, Gaſſendum occulte; ex priſcis Pherecydem, Socratem, Democritum, Ciceronem, Auguſtinum, Horatium. Utilitatem Pyrrhoniſmi in eo verſari addit, quod talibus liceat diſputando impugnare quasvis opiniones, ipſi tamen non habeant metuere, ne forte idem ſibi faciant alii. Id quod jam ante Bælium obſervavit Minucius Felix, *cap. XIII Octavii n. 3* de Scepticis ſcribens: *Hoc genere philoſophari & caute indocti poſſunt, & docti glorioſe. Epiſt. 17 p. 71 ſq.* contra Vavaſſorem contendit, non Planudem, ſed ipſum Æſopum eſſe Autorem fabularum ſub hoc nomine exſtantium. *Epiſt. 21 p. 91* docetur, *Evangelii Novi Cardinalis Pallavicini, in ipſius Hiſtoria Concilii Tridentini proditi*, autorem eſſe *Le Noir*, Theologum Sagienſem in Normannia: hunc que librum ſub alio titulo (*Politique & Intrigues de la Cour de Rome, écrit par le Cardinal Pallavicin*) vendi poſtea cœpiſſe. *Epiſt. 24 p. 105* mentio Dialogi adhuc inediti, a Des-Preaux (Boileau) ſcripti, in quo

contendit, fieri hodierno tempore non posse, ut perfecte scribamus Latine, maxime versibus: cum nobis usus illius linguæ non sit satis perspectus, nosque indifferenter adjectivum anteponamus substantivo, cum tamen Romanus nemo dixerit, e. g. *Conscripti Patres*. *Epist. 42 p. 172* docet, libri sub titulo *le Protestant pacifique, ou Traité de la paix de l' Eglise* &c. contra Jurizum editi, præscripto nomine Leonis de la Guitonniere, autorem esse Albertum de Versé, qui munere sacerdotis abdicatus sit a Reformatis ob Socinianismum, & ex illo tempore vitam parum laudabilem egerit. *Epist. 54 p. 204* Autor libri, *Memoire sur l'inspiration des livres sacrez*, creditur esse Jo. Clericus. *Epist. 78 p. 270* docet, Autorem *Elementorum Mathematicorum* non esse Malebranchium, sed Prestetum, Patrem Oratorii. *Epist. 79 p. 274* prodit, librum, *Avis sur le Tableau du Socinianisme*, deberi Jaqueloto. Conf. p. 285 sq. De Balth. Bekkeri, Frisii, *Mundo fascinato* plura hic deprehendimus singularia. Scilicet (p. 349) Consistoria, Synodi, Classes eum librum sub examen vocarunt, resque illa magnum peperit rumorem, permultis Bekkeri sententiam approbantibus. Hinc (p. 359) Bekkerus fulmen sacrum metuens, dedit Retractationem, in eaque promisit, se ejecturum esse e libro suo, quæ Theologis displicuerint. Tamen (p. 375) A. 1692 munere suo fuit privatus. Tot autem libros occasione operis Bekkeriani scriptos ait, maxime lingua Belgica, ut fere centum francis constent. In primis (p. 454) Joannes van der Waeyen, Theologus Franequeranus, A. 1693 magnum emisit opus contra Bekkerum. Occasione (p. 395 sq.) exauctorationis Bekkeri A. 1692 cusa fuit moneta, repræsentans Diabolum, Sacerdotali amictu indutum, asino insidentem, & vexillum præferentem: eaque re indicatum, Diabolum in Synodis Anti-Bekkerianis retulisse triumphum. Eodem anno prodiisse dicit scriptum Belgicum, quo illa moneta fuerit explicata, simulque enarratum, quid in hoc negotio gestum sit in Synodis, classibus & consistoriis: eoque in scripto adversarios Bekkeri vocari Diabolistas, quasi solus Bekkerus oppugnaret Diabolum, isti vero ejus essent advocati ac patroni. Ad *Epist. 109*, ubi Bælius de Joanna Papissa disserit, Annotator memorat, in Bælii *Supplemento Dictionarii Historici & Critici*, quod

quod jam prelo paretur, longum haberi caput de illa Joanna, in quo hiſtoria hæc referatur in cenſum fabularum, quarum falſitas multis modis poſſit redargui. Ex *Epiſt. 112 p. 430* diſcimus, quinque poſtremos Tomos *Bibliothecæ Univerſalis* autorem habere Cl. Bernardum. Ut Bælium referamus inter *Philoſophos martyres*, inducimur fere *Epiſt. 118*, ubi *p. 456* teſtatur, ſe munere ſuo abdicatum eſſe ob editum librum *de Cometis*. Teſtatur etiam *Epiſt. 119 p. 459*, ſe officium facere philoſophi Chriſtiani, & adhuc magna gaudere tranquillitate animi. Addit, ſe non eſſe ſollicitum de adipiſcendo novo munere, quippe cum nec opum nec honoris cupiditate flagret, immo ſe ne recepturum quidem ullam novam vocationem, ſed in poſterum ſibi canturum eſſe & Muſis. *Epiſt. 136 p. 524* docet, librum, *le Teſtament politique du Duc de Lorraine*, eſſe librum ſuppoſitium, ejusque Autorem credi Cardinalem Furſtenbergium. *Epiſt. 137 p. 533* mentio fit Aſtrologi, cui nomen *Picatrix*: & in ſubjecta nota de hoc Autore diſſeritur. Eum cum omiſſum videamus a Cl. Fabricio Bibl. Græc. lib. III cap. 20, ubi catalogum Aſtrologorum exhibet, liceat hic repetere titulum libri, qui nonniſi MStus habetur. En titulum: *In nomine Domini, incipit liber, quem ſapiens philoſophus PICATRIX in Nigromanticis artibus ex quampluribus libris compoſuit: ſapiens enim philoſophus nobilis & honoratus PICATRIX hunc librum ex ducentis libris & pluribus philoſophiæ compilavit, quem ſuo proprio nomine nominavit. Ad laudem & gloriam altiſſimi & omnipotentis Dei, cujus eſt revelare ſuis prædeſtinatis ſecreta ſcientiarum; ad illuſtrationem doctorum, etiam Latinorum, quibus eſt inopia librorum ab antiquis doctoribus editorum; Alphonſus, Dei gratia, illuſtriſſimus Rex Hiſpaniarum totiusque Andaluſiæ, præcepit hunc librum ſummo ſtudio ſummaque diligentia de Arabico in Hiſpanicum transferri, cujus nomen eſt PICATRIX.* Conf. Additiones ad p. 534. Autorem libri, *Hiſtoire des Favorites*, eſſe Mademoiſelle de la Roche-Guilhen, quæ ob religionem ex Gallia profuga Londini ſedem fixit, diſceremus ex *Epiſt. 141 p. 546*, niſi id jam publice conſtaret. Vid. Acta noſtra *A. 1704 p. 46*. Quæ fuerint Dictionarii Bæliani fata in Gallia, Anglia & Hollandia, docent *Epiſt. 139 p. 538*, (conf.

p.556) *Epiſt. 152 p. 592*, & *Epiſt. 163 p. 623 ſqq.* In annotatione ad *Epiſt. 109 p. 414*, & ad *Epiſt. 181 p. 694* indicatur, *Supplementum* illius *Dictionarii* jam in ordinem redigi, ac propediem in lucem proditurum eſſe, in eoque præter emendationes & additiones innumeras multos apparituros eſſe *articulos novos* curioſiſſimos, copioſiſſimos atque utiliſſimos, e. g. de Joanna Papiſſa, Jacobo Clemente, Jo. Thoma Freigio, Simone Grynæo, Joſepho Hallo, Jano Huarto, Auguſtino Nipho, Martino Polono, Jo. Rusbrochio, Hieron. Savanarola, Guil. Xylandro, &c. Ac ſane optandum eſt, ut ſatisfiat deſideriis multorum, qui jamdudum mirati ſunt, maximorum quorundam Virorum in Bæliano Dictionario omiſſam eſſe mentionem. Nam quis putet, ſe nullum ibi reperturum eſſe Caput de *Zuinglio*, (quem omiſſum eſſe, eo magis mirum, quod Bælius nomen ſuum profeſſus eſt inter Proteſtantes, quorum caput & anteſignanus eſt Zuinglius, unde & Zuingliani primum dicti fuerunt, uti Lutherani a Luthero, de quo copioſiſſime Bælius egit, pariterque de Beza & Calvino, maximis poſt Zuinglium Reformatorum Theologis,) de *Epicteto*, *Euclide* Geometra, *Alexandro Alenſi*, *Thoma Munzero*, de quo tamen ſe acturum receperat voce *Anabaptiſtes*: porro de *Carteſio*, de *Wilhelmo*, Principe Auriaco, de *Philippo II*, Rege Hiſpaniæ, de *Antiſthene*, conditore ſectæ Cynicorum, de *Mazarino* Cardinali, de *Socrate*, *Porphyrio*, *Noſtradamo*, &c. Ut omittamus alios, quos a Bælio omiſſos queritur Cl. Reimmannus *Hiſt. litter. T. III p. 463*. Quid? quod ne de *Hollandia* quidem ſingulare caput exhibuit Bælius. Sed pergimus in recenſione noſtra. *Epiſt. 180 p. 689* docet, Autorem libri, *Le Clef du Cabinet des Princes de l'Europe* eſſe Claudium Jordanum, eundemque compoſuiſſe *les Voyages Hiſtoriques de l'Europe*, cujus libri & Germanicam verſionem habemus a Talandro, hoc eſt, Auguſto Bohſio, concinnatam. *Epiſt. 197 p. 749* docet, Autorem libri, *L'Eſprit des Cours de l'Europe*, eſſe Guedevillium, Exmonachum, eundemque ſcripſiſſe *Critique generale des Avantures de Telemaque*, Libelli, *La Religion des Hollandois*, autorem eſſe Stouppium, uti docetur *Epiſt. 208 p. 739*, jam *A. 1698 p. 291* in his Actis nos quoque indicavimus ex Ancillonianis. *Epiſtola 237* a Barone de Waleſ, & ſub-

& subsequens a Comite Albemarlio scriptæ sunt, qui Bælium obnixissime rogitant, ut Hagam se conferat, victurus in familia Albemarlii, & omni prosperitate ex voto fruiturus. Sed ipse *Epist. 239* se excusat, provectiorem prætexens ætatem & veterem vitæ consuetudinem. An ex *Epist. 251* & *252* Bælius referri possit inter philosophos αὐτόχειρας, disputandum relinquimus aliis. Certe scribit, se in morbo suo supremo noluisse medicamenta sumere; quia illa tantum productura essent morbum, non sublatura. Scilicet re ipsa facit, quod Seneca ait in Thebaide *Act. I v. 46, 47:*

Omitte pœnas languidas longæ moræ,
Mortemque totam recipe.

Hæc sufficiant ex Epistolis. Ex Additamentis unam asseremus annotationem, quæ pertinet ad *p. 930.* Nimirum A. 1697 Londini prodiit *Lucæ Mellieri Fides primorum Christianorum, ex Barnaba, Herma & Clemente Romano demonstrata, Defensioni Fidei Nicenæ D. Georgii Bulli oppositæ.* Docetur hic, nomen illud esse anagrammaticum, sub eoque latere Samuelem Crellium, Joannis Crellii, notissimi Sociniani, nepotem. Additur, eundem Amstelodami A. 1700 ἀνωνύμῳ edidisse *Cogitationum novarum de primo & secundo Adamo Compendium:* quem quidem librum meminimus etiam in his Actis *Suppl. T. III p. 483 sqq.* recensitum, ejusque ἑτεροδοξίαν notatam esse. Progredimur ad Indicem harum Epistolarum raro sane exemplo locupletissimum, quippe 286 paginis constantem, in quem ad recentiorum clarissimorum Virorum nomina diligentissime relatum est, quicquid de iis legitur in his epistolis, ut adeo plurimum notitiæ inde hauriri possit de fatis eorum ac scriptis, e. g. ipsius Bælii, de quo decem folia sunt completa, trium Basnagiorum, Argonnii, (qui sub titulo *Vigneul-Marville* edidit *Melanges d' Histoire & de Literature,*) Jac. Bernardi, Gilberti & Thomæ Burneti, Chauvini, Jo. Clerici, Gideonis Huetii, Jaquelotii, Petri Juriæi, Greg. Leti, Jo. Lockii, Petri Des-Maizeaux, Minutoli, Casimiri Oudini, Jo. Serrani, Spinozæ.

CATA-

CATALOGUE DES PRINCIPAUX HISTORIENS, avec des Remarques critiques &c.

i. e.

CATALOGUS PRÆCIPUORUM HISTORICORUM, una cum observationibus criticis, judicia de Autoribus optimisque editionibus complexis. Editio nova plurimis libris ac notulis aucta a J. B. MENCKENIO, Consiliario & Historiographo Regis Pol.

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditsch & Fil. 1714, 8. Alph, 1 pl. 7.

POstquam Mense superiori de prima Operis hujus parte, quæ Methodum historiarum elegantem complectitur, quantum res postulare visa est, dictum fuit; operæ pretium existimavimus, ut hoc loco alteram quoque partem, hoc est, Catalogum
p. 35. concinno ordine dispositum, paucis perlustraremus. Inter scriptores Hist. Eccl. veteres a Valesio editos Theodoretum, semel
38. quippe tantum Par. editum, rarissimum esse Autor censet. Tillemontium miratur intra quadraginta annorum spatium sex tantum seculorum historiam absolvisse 15 Voluminibus, in 4, quibus duo adhuc accessura spondet. Bartholomæi de Pisis *Librum*
64. *conformitatum vitæ S. Francisci cum vita Jesu Christi*, cujus editionem Mediolanensem A. 1513 præfert, quod in posterioribus multa fuerint omissa, librum vocat blasphemum eo, quod multo plures in eo virtutes S. Francisco quam ipsi Christo adscribantur. Inter editiones Taciti, minimum imo nullum pretium sta-
95. tuit Parisienſi, quæ in usum Delphini prodiit. Germanum in L.
186. IV Artis diplomaticæ Mabillonianæ, de palatiis veterum Regum Francorum, Valesii Notitiam Galliarum solam fere secutum esse, ipse Valesius, Nostro teste, dissimulare haud potuit. Johannis
190. du Tillet, quem a fratre Jo. Tilio, autore *Chronici de rebus Francorum a Pharamundo ad Henricum II*, diversum ait, opus Gallicum *Recueil des Roys de France* ob actorum publicorum
202, 204. copiam miris modis Autor commendat. Frossarti & Monstreleti editiones literis Gothicis conspicuas recentioribus longe præfert, atque illum quidem a Dionysio Sauvage corruptum magis

quam

quam illustratum fuisse docet. Dum *Francisci fata ab A. 1513 ad 1539*, a Steph. Doleto edita, memorat, eundem Doletum, quem rogo impositum 1543 novimus, nonnullis Francisci I filium naturalem creditum fuisse innuit. Aubignium, Historiæ universalis ab A. 1550 ad 1610 autorem, Protestantibus admodum addictum; p. 213. 216.

Maintenoniæ avum vocat. *Cl. Grangæi Philippicam in Sixtum V* non diffitetur scriptum acerrimum, sed quo excipi meruerit Sixtus; his enim præmiis dignos esse Pontifices, qui Reges solio deturbare cupiant. 226.

Hieronymi de la Guarde libellum *Memoire sur la mort d'Henry IV* rarissimum vocat, cujus duo tantum exempla, impressum alterum, alterum manu exaratum se vidisse refert. 235.

Commentariorum Pontisii autorem esse ait Thomam du Fossé, qui Sacii Comm. in S. Literas continuavit, additque: *comme ces Memoires sont d'un Devot, il y medit pieusement de diverses personnes.* 238. 250.

Victorem Siri, Historiographum, Gastonis Ducis Aurelianensis stipendia meruisse, eoque non uno in loco haud satis æquum deprehendi; ejusdemque Memorias multo quam Mercurium rarius prostare, pronuntiat. 252.

Comitis d'Estrades Commentarios, a nobis in Act. Suppl. T. V p. 97 recensitos, vix dimidiam partem, & quidem mendose satis, impressos esse, meliora adhuc latere refert. 268.

Carolum le Cointe ideo Annales suos Eccl. Francorum fusius exarasse putat, ne, si citius absolvisset, excideret annuis reditibus sibi a clero Gallicano concessis. 302.

Franciscanos tradit persuasisse Gallorum eloquentissimo Esprit Flecherio, ut Ximenii Cardinalis, quem in Divorum numerum referri optabant, vitam scripturus sanctitatis colorem illi conciliaret (*de vouloir bien donner une teinture de Sainteté sur la vie de ce Cardinal*) quæ causa fuerit, cur Ximenium exercitus inter preces & suspiria ducentem repræsentaverit. 303.

Aliam vero rationem secutum esse Marsolerium, qui sagacitatem in illo potius, quæ Politicum deceat, quam pietatem agnoscat. 342.

Librum Leonh. Augustini, qui sub tit. *La Sicilia di Philippo Paruta descritta con Medaglie*, Romæ 1649 in fol. prodiit, utpote rarissimum, magno pretio constare, alterum vero sub tit. *Phil. Parutæ Siciliæ numismata*, Panormi 1602 in fol. editum multo minoris esse valoris testatur. 352.

Historiæ fœderis Cameracensis elegantis, in Actis

A. 1710 p. 41 memoratæ autorem esse, Noster ait, Abbatem du Bos, qui & libellum *Interests d' Angleterre mal entendus* scripse-
p. 374. 408. rit. Historiam Hollandiæ, ut & Russiæ, quæ sub nomine *Balt. Hezeneil de la Neuville* prostat, Ballieto deberi, ex nominis anagrammate evincit, quasi dixeris: *Baillet, de la Neuville en Hez*, quod prædium est prope Claramontium in agro Bellovacensi,
483. ubi natus Ballietus. Quantum ad Sammarthanorum Historiam Genealogicam Galliæ, probe observat Autor, utramque editionem, secundam nempe Par. 1618. 2 Voluminibus, & tertiam ib. 1647 totidem Vol. impressam, comparandam esse historiæ Gallicæ cupidis, ideo quod prior non destituta est genealogiis Principum regii sanguinis, quæ tertium volumen posterioris constituere debebant, quod nescimus qua de causa nondum prodiit; ceterum posteriorem hic illic multis modis auctam fuisse. Ste-
441. phani Baluzii Historiam Genealogicam familiæ Alvernicæ, in Act. 1710 p. 179. memoratam, Regio jussu ideo suppressam fuisse refert, quod multa in illa monumenta hactenus ignota & fraudi suspecta contineantur. Libellum Gall. *Traité historique & critique de l' origine & de la Genealogie de la maison de Lorraine, par le Sr de Baleicourt, a Berlin 1712*, verum autorem habere *Hugonem*, ex ordine Præmonstratensium Lotharingiæ, nec Berolini sed Nanceji impressum fuisse, ac formulis ad concitandam seditionem accommodatis scatere, eoque decreto parliamenti Parisiensis eodem anno d. 17 Dec. jure meritoque fuisse damnatum.

Quantum ad ea, quæ Cl. Menckenius in supplementis suis præstitit, notamus generatim, tum ea capita, quæ ad autores historiæ Germanicæ non minus ac Juris Publici (quos tractatuum præliminarium historiæ Germ. nomine Noster complectitur) spectant, scriptoribus longe plurimis, qui omitti omnino non debebant, locupletata, tum & reliqua, quæ Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Italiæ, Belgii &c. scriptores exhibent, haud perfunctorie passim, imo & integris capitibus de Historicis Eccl. Angliæ & Belgii, de controversia Comaclensi &c. aucta fuisse atque exornata; ut nunc demum affirmari possit, Catalogum hunc Bibliothecam historicam omnibus prope numeris absolutam continere. Nec inelegantes Menckenius subinde adspersit notas, in qui-

bus

bus ipſum etiam Autorem aliquando emendat. Sed operæ pretium fuerit, ut ex his quoque pauca quædam ſpeciminis loco delibemus. In hiſtoricis univerſalibus dum Boxhornii fit mentio, p. 15.
de quo Autor parum magnifice ſentit, ejus curam in originibus nationum diligenter eruendis commendat Menckenius, nec diffitetur, appendicem rerum ab A. 1650 ad 1660 parenti ſuo Ottoni deberi. Librum Gallicum, *le Grand Theatre hiſtorique*, Lugd. 16.
B. 1703 V Vol. impreſſum, & a nobis A. 1714 p. 518 memoratum, e Germanico Imhofii, Solisbacenſis conſiliarii, libro, **der neu eröffnete hiſtoriſche Bilder-Saal** inſcripto, quod tum nondum nobis conſtabat, translatum eſſe, obſervat. Theatri ac Labyrinthi Ziegleriani Continuationem primam, plurima lectu digniſſima complexam, nunc ſub prelo eſſe nuntiat. In ſcriptoribus Juris Publ. præter alios complures, Goldaſti, Myleri ab Ehrenbach, Lunigii & ſimilium opera omnia diligenter recenſet, 18.
& inter alia falli eos obſervat, qui Goldaſti Politica Imperialia 103.
cum ejusdem libro **Politiſche Reichs-Händel** convenire credant, cum a ſe longiſſime differant. Freheri Scriptores rerum 116.
Germ. refert hoc tempore recudi Argentorati, cum notis hiſtoricis Cl. Struvii. Joh. Schilteri *Scriptores rerum Germ. a Carolo M.* 117. 125.
ad Fridericum III, Arg. 1702, f. ab Æneæ Sylvii *vita Friderici III* &c. ib. 1685 edita non niſi titulo differre, eoque deceptos aliquos eundem librum bis in bibliothecis ſuis ſervare obſervat. Lipſiæ 119.
typographos quosdam de Theſauro integro rerum Germanicarum aliquot voluminibus edendo, qui veteres ſcriptores omnes juſto ordine complectetur, quod Autor optaverat, utique cogitare, Menckenius adſerit. De Hortledero notat, Francofurta- 128.
nam editionem Gothanæ omnino præferendam, additque, librum ſeptimum, quamvis magnam partem impreſſum, lucem publicam nondum aſpexiſſe, aſſervari tamen in Archivo Vinarienſi. De Khevenhülleri Annalibus Ferdinandeis, libro rariſſimo, quædam haud vulgaria animadvertit; de quibus pariter in Actis Erud. Germanicis dictum eſt. Commentarius de vita Ludovicæ Julianæ Palatinæ, quæ mater fuit Friderici V, tum ſub 130.
hoc tit. *Le tableau d'une Princeſſe repreſentant divers myſteres & intrigues de nos temps*; tum ſub altero illo: *Memoires de* 153.

p. 161. *Louiſe Julienne* proſtare refert. Inter anecdota hiſtoriæ Saxonicæ memorat Jo. Georgii Wilckii Annales Joh. Friderici I El. ſpemque facit, ſe *Rerum Miſnenſium Scriptores* editurum, & recenſet in Bibliotheca ſua exſtantes, Eraſmum Stellam *de origine & regionibus Miſnenſium*; Jo. Garzonis *rerum Saxon. libros* 2 cum notis MS. Tenzelii; ejusdem Tenzelii *Vitam & fata Friderici fortis ſive Admorſi*, librum prelo prorſus paratum; Ge. Spalatini *vitas Electorum quorundam*; Ge. Arnoldi *Vitam Mauritii El.* & Bernh. Freidigeri *Vitam Henrici D. Sax.* Ita alibi quoque MStorum codicum, quos in manibus habet, mentionem facit, quales ſunt Ern. Brotuffii Chronica Saxoniæ p. 162, Chriſtoph. Manlii res Luſaticæ p. 164, Jo. Guil. de Bonheim, nobilis Germani, Cy-
203. clopica laniena Pariſienſis p. 223 &c. Pergimus ad Gallicos, in quibus quæ Cheſnius ſub Alani Charterii nomine ediderat 1617, nec Charterio, nec Berrio, quem idem poſtea ſubſtituerat, adſcribenda Noſter putat, potiusque cum Thaumaſſerio vindicat Æ-
300. gidio de Bouvier. Æl. Ant. Nebriſſenſem in *rebus a Ferdinando & Iſabella geſtis* nihil aliud egiſſe ait, quam ut Chronica Hiſpanica Ferdinandi de Pulgar Latine verteret, & ſuo quidem nomine vulgaret. Ebertum, Prof. Francofurtanum, Ludovici de Cabrera vitam Philippi II R. Hiſp. Latina civitate donatam prelo paratam habere nuntiat; qua de re nos quoque nonnihil diximus
318. Anno ſuperiore p. 192. Hier. Coneſtaggii Hiſtoriam unionis Luſitaniæ & Caſtellæ Johanni de Sylva, Comiti de Portalegre, qui ab Hiſpanis legatus cum Emanuele in Africam trajecerat, vindicat. Inter Angliæ Scriptores generales imprimis commen-
386. dat recentiſſimum ſcriptorem Laur. Echard, cujus *Hiſtory of England* Lond. 1707 in fol. prodiit.

Denique ut emendationes quoque perpaucas producamus, Petrum de Rewa in Monarchia Hungariæ, quem Autor
145. alios ſecutus res ad A. 1655 producere tradit, non niſi ad A. 1619 pertingere Noſter probat; ac falli porro eundem poſt alios, do-
158. cet, ubi a Nic. Reusnero recognitas Fabricii origines Saxonicas refert, quod de L. Elia Reusnero potius intelligendum. Similem
208. etiam errorem obſervat in Belcarii rebus Gallicis admiſſum, quas Autor, titulo libri deceptus, ad A. 1580 deduci credidit, cum

ex

ex ipso libro pateat, eas non nisi ad A. 1567 produci. Quæ porro de editionibus Commentariorum Morlæi & Sullii, tum & de Mercurio Gallico Autor minus accurate tradiderat, singulari cura emendat, nec ubivis obvia prodit. Suritæ Annales Arragoniæ non septem sed sex tomis constare, nec ad A. 1616 verum 1516 pertingere demonstrat. Pseudo-Dextri Chronicon nequaquam a Calderono, sed potius a Romano de la Higuera confictum fuisse docet, cujus & artibus Maximi, Braulionis & Helecæ, tum & Juliani Perez, aliaque Chronica suppositia deberi asserit. Stettleri Annales Helveticos, quamvis in titulo res tantum ad A. 1626 polliceantur, omnino reliqua quoque usque ad A. 1630 complecti, ex ipsa libri inspectione evincit. Leonis ab Aizema *historiam pacis Belgicæ*, librum modicæ molis in 4. cum ejusdem vasto opere, *Saken van Staet en Oorlogh* inscripto, quod aliquot in fol. Volumina complectitur, perperam confundi ab Autore aliisque, quos ille secutus est, declarat. Cetera Lectori permittimus, id tantum adhuc monentes, quod nomina autorum & annos impressionis innumeris fere locis, collatis libris ipsis, emendaverit Cl. Menckenius.

p. 228, 233. 237. 311. 324. 360. 373, 378.

ΠΛΑΤΩΝΟΣ ΠΟΛΙΤΕΙΩΝ ΒΙΒΛΟΙ Ι.

h. e.

PLATONIS DE REPUBLICA LIBRI X. Versionem emendavit, notasque adjecit EDMUNDUS MASSEY, Trin. Coll. Cantab. A. B.

Tomi II.

Cantabrigiæ, Typis Academicis, 1713, 8 maj. Alph. 2 pl. 3.

NOvam Platonicæ Reipublicæ editionem daturus Vir Clarissimus, de Codicibus primum omnium fuit sollicitus, sed eos nullos invenit, præter duos, recentes admodum, & paucis ahhinc annis Roma in Angliam delatos; hinc operæ pretium haud esse putavit, si eos conferret. Usus est ergo editionibus, quas hactenus vidimus, Aldobrandina, Basileensi, Parisina, cum annotationibus Henr. Stephani & Marsilii Ficini, quarum ali-

quas etiam retinuit. Verſio, quæ hic apparet, eſt Marſilii Ficini, ſed plurimis in locis a Viro Cl. emendata, ubi vel ſenſum Autoris eum plane ignorare deprehenderat, vel ubi ratio Latini ſermonis id poſtulare videbatur. Notæ non admodum multæ ſunt, tales tamen, quæ Lectorem in legendo Platone multum juvare poſſunt. Sic in principio cujuslibet vel libri vel diſcurſus brevis aliqua diſpoſitio occurrit, ex qua lector brevi quaſi tabula totum ſermonis filum perſpicere, & ſic ad ea legenda bene præparatus accedere poteſt. Neque criſin in eis deſiderabis: textus enim variis in locis, quamvis breviter vel ex conjectura, vel rationibus adductis reſtituitur. Vide p. 62, 70, 89. Porro loca ex Ariſtotele, Seneca, Cicerone, aliis, quæ vel ex Platone deſumta, vel ipſi parallela ſunt, cum ſtudio annotata videas, quale quid ſtatim principio libri primi obſervabis, ubi varia loca ex Catone Majore Ciceronis occurrent, quæ non infeliciter e Platonis fontibus derivata videbis. Scripturæ Sacræ quoque, quam Platonem in Ægypto evolviſſe credibile eſt, loca proferuntur, quibus ſimiliæ
p. 108. apud Platonem noſtrum leguntur. Sic locum ex libro 2: ἀλλὰ γὰρ ἐν ἄλλῃ δίκῃ δώσομεν ὧν ἂν ἐνθάδε ἀδικήσωμεν, ἢ αὐτοὶ, ἢ παῖδες παίδων: conferri jubet cum Exod. XX, ubi Deus ſe peccata in tertiam & quartam generationem puniturum comminatur.
100. Item ad alium locum, ubi Plato: παῖδας γὰρ παίδων φασὶ καὶ γένος κατόπισθεν λείπεσθαι τῶ ὁσίῳ καὶ εὐόρκῳ; non ſolum oſtendit convenientiam cum verbis Pſalmi 127: Ὡσεὶ βέλη ἐν χειρὶ δυνατοῦ, οὕτως υἱοὶ. Μακάριος ὃς πληρώσει τὴν ἐπιθυμίαν αὐτοῦ ἐξ αὐτῶν. Sed etiam addit, tum apud Judæos tum Gentiles ſingulare divinæ benevolentiæ genus habitum fuiſſe, ſi cui numeroſa contigiſſet ſoboles: ſuſpectamque mulierem, quæ binos peperiſſet, ab adulterii ſuſpicione fuiſſe liberatam. Alia occurrunt, ſed quæ a nobis brevitati ſtudentibus jam non obſervabuntur.

Ceterum id Lectorem celare non poſſumus: non adeo bene a typographis curatam eſſe noſtram hanc editionem. Nam, licet in chartæ pariter & typorum nitore nihil facile deſideres, menda tamen eam plurima fœdant, quæ in ſingulis fere paginis obſervavimus. Pauca quædam ſub finem voluminis adnotata ſunt, ſed illis

illis multo plura poterunt adjungi, quæ lectorem aliquando nimium quantum morabuntur.

Hiſtoriſche Gedächtnis-Müntzen.
ſive
NUMISMATA HISTORICA ANNI MDCCIV.

Norimbergæ, ſumtibus Joh. Andreæ Endteri, 1713, fol. Alph. 1 pl. 8 cum iconibus 96 inſertis.

QUinta hæc particula operis præſtantiſſimi eſt, quod ex merito ſuo laudavimus in his Actis An. 1712 & 1713. Idem ſtudium, quod antea, pergunt Pl. Rev. Interpres & curioſiſſimus Collector applicare felici induſtria. Neque enim verendum eſt, ut publicæ literariæ rei gratum non ſit ſuſceptum negotium. In quo enim tam ſcite aliorum memoria defenditur ab oblivione, id ipſum neceſſe eſt ferre ætatem. Sic efficitur ſcilicet, ut, qui faciunt ſcribenda, inſtigent alios, ut ſcribant de his legenda.

Sunt autem in iſta *Sectione quinta* Theſauri Numiſmatici Seculi XVIII numi omnino XCVI, eleganter expreſſi, de rebus geſtis memorabilibus Anni MDCCIV, quem ut Galli horumque ſocii nigerrimo, ita Germani ex adverſo Britannique & Batavi candidiſſimo calculo ſignandi cauſas habent. Plenus eſt adeo hic annus maximorum & inprimis nunquam exſpectatorum eventuum, quos artificum manus in aurum argentumque retulit, ut eo diutius perdurarent. Equidem alienum foret a propoſiti noſtri forma, recenſere iſtos numos omnes, jucundius multo ſpectandos in ipſo opere, & commentario eleganti explicatos; aliquos tamen ſeligemus.

Rudolphi Auguſti, Ducis Brunſuic. & Luneburg. mortem, quæ incidit in diem XXVI Januarii An. 1704, indicant numiſmata tria; velut alia quatuor exitum vitæ *Eliſabethæ Julianæ*, natæ Ducis Holſatiæ, uxorisque, quem nuper ereptum ſibi deflere cœpit Brunſuicenſis regio, *Antonii Ulrici*, Ducis Brunſuic. & Luneburg. die 4 Februarii 1704, poſtquam non diu ante conſummaverat inſtitutum a ſe Cœnobium Virginum Salzdalumenſe, *divini Nominis honori*, zur Ehre GOttes/dicatum. Nec prætereundus ſilentio eſt *Chriſtianus Ulricus*, Dux Wurtenbergicus & Oela- Pag. 341. 347. 359.

Oelsnenſis in Sileſia, cœleſtem animam reddens cœlo die 5 Aprilis, hoc ſymbolo, quod numus XVIII oſtendit, uſus memora-
Pag. 361. bili: *Principes Dii fiunt pietate & juſtitia.* Non diu poſt fato etiam ſuo obiit Ser. Princeps Anhaltinus in Cœthen, *Emanuel Lebrecht*, d. 30 Maji, optimi Princeps exempli, in quem ſuæ pietatis monumentum exſtare voluit conjux relicta, illuſtriſſ. *Giſela Agnes de Rathen, Comes de Nienburg*, ſeptem numiſmata ſcite efficta. Die 23 Junii exemta eſt vitæ humanæ Ser. *Annæ Doro-*
367. *thea*, Dux Saxo-Vinarienſis, Abbatiſſa Quedlinburgica; in cujus honorem qui ſignati ſunt numi exſequiales, repræſentant, præter imaginem Principis fœminæ, *iſthinc* aquilam, in aerem verſusque Solem graviore niſu evolantem, cui adſcriptum eſt: *Ardua Difficili Adſcenſu*; ſed *illic*, navem plenis provectam velis, cui additur: *Adverſis Decor Additus*; & *heic* tandem, Solem occidentem, cui adpoſitum eſt: *Abitu Decoratur Amœno.* Singula iſta verba ſymbolica continent in ſe nomen titulumque *Annæ Dorotheæ Abbatiſſæ.* Hos inter lamentabiles Germaniæ Principum caſus longe gravius premebantur accolæ Rheni Danubiique & Mœni; quippe cum Gallis Bavariæ Coloniæque Electores, occupata magna & Sueviæ & provinciarum Rhenenſium parte, jam imminebant etiam Franconiæ, hac ſubacta facilius penetraturi vel in ipſam Auſtriam, vel quocumque ferret hoſtilis impetus. Factum eſt autem omnipotentis auxilio Numinis, ut arma Britannorum, cum Germanis juncta & Batavis, everterent ſpes iſtas præcipitatas, illata hoſtibus prima clade ad Schellenbergium prope Donawerdam urbem, d. 2 Julii, & altera mox, quæ ſimilem ſui per ſecula multa non habuit, haud procul oppido *Hœchſtatt*, prope Danubium, d. 13 Auguſti menſis. Digniſſimus hic eventus viſus fuit, quem, ut alta mente, ſic vario etiam
372 ſq. metallo, reponeret gratum pro tam inſigni beneficio ſeculum.
384. Delectabile eſt inventum, quo Auguſta Vindelicorum, urbs inclyta, ſed intolerabilem experta vim hoſtium nihil merita, coluit memoriam ſuæ liberationis, quæ paucis a prælio Hœchſta-
399. dienſi diebus ipſi contigit inſperata. Una *numi angularis* imago ſpectandum præbet cœtum puellorum puellarumque orantium, ſublatis in cœlum manibus; circum Jehovæ nomen

legitur

legitur ex Eſaiæ LXV, 24: Wenn ſie noch beten / will ich hören / id eſt, *adhuc loquentibus eis, audiam*; infra exſtat: Augſpurgiſcher Kinder Friedens-Feſt; id eſt: *Auguſtanorum puerorum puellarumque ſolennia pacis*; altera facies numi hæc verba habet, anni numerum in ſe complexa, ſimul cum loco prælii, ſingulari felicitate: Der ſIzet an Der hÖChſten ſtätt hatts ſeInDes LIſt getLget; id eſt, *qui ſolio inſidet ſupremo, delevit inſidias vimque hoſtium.* Victoriam hanc incomparabilem fugamque communium inimicorum excepit expugnatio urbis munitiſſimæ, Ulmæ Suevorum, imo & Bavariæ totius, Landaviæque ad fines Alſatiæ; ut alias taceamus. P. 401-430.

Ceterum arcem regiam Berolinenſem; numo majori inſculptam admodum expreſſe a celebri *Medaliatore*, Chriſtiano Wermuthio, videre licet, velut & imaginem templi Cruciani, ſeu ædis, quam ornat Gymnaſium principale cum Seminario Theologico, Iſenaci. 378. 380.

Interim hoc ipſo anno faventem ſibi belli fortunam experta eſt Czarea ſua Majeſtas, oppreſſis ubique, & in Livonia potiſſimum, Suecorum, Poloniam mire turbantium, armis; illam vero declarant numi duo, quorum *unus* trophæum repræſentans LIVONIAM RECEPTAM indicat; *alter* aquilam currenti leoni inſidentem, petentemque roſtro ejus oculos; cui adſcribitur: SIC SOLEO INIMICOS. 383.

De Gallis Hiſpanisque triumphum quoque agebat maritimum Anna Britanniæ magnæ Regina, poſt expugnatam clavem freti Hiſpanici, urbem *Gibraltar*, quæ *Calpe* eſt antiquorum, d. 4 Auguſti, fractisque d. 14 ejusdem menſis Gallorum navibus prope portum Malacenſem. 405.

Quæ de fœdere Polonorum adverſus legitimum Regem Auguſtum II iniquiſſimo, deque fruſtra electo in ejus locum Stanislao Comite Leszinski, acta ſunt hoc ipſo anno, repræſentantur etiam in numis aliquot ſatis ingenioſe; quorum unus iſthic ſpectandum præbet Auguſtum Regem; cum Sole, nubes DISSIPANDO ſibi oppoſitas conſpicuo; heic bolidem accenſam, quæ IN SPLENDOREM RAPITVR, velut Stanislaus, cujus imago adeſt, ad coronam Polonicam. 409. 410.

Elegans quoque numus eſt, honori Celſiſſimi S. R. I. Principis, Dn. Maximiliani Caroli, Comitis in Löwenſtein-Wertheim, S. Cæſ. Maj. Conſiliarii intimi, Adminiſtratoris 421.

ſtratoris Bavariæ, & per annum fere ejusdem Legati primi in Comitiis Ratisbonenſibus, dicatus; qui uno latere ipſius imaginem affabre ſculptam, altero templum apertum, ad ejusque fores leonem robuſtum procubantem circumſpicientemque, exhibet, addito: VIGILANTIA CUSTOS. Pag. 444 Nec prætereundus ſilentio eſt nimus, quem Ser. Dux Saxo-Weiſſenfelſenſis, *Johannes Georgius*, hoc anno cudi curavit, pro memoria inſtituti ſe *ordinis equeſtris*. Cujus hæc eſt ratio: ordo hic novus, Gallico idiomate *Societé de la noble paſſion*, id eſt, *Societas nobilis paſſionis* appellatus, non aulæ modo Weiſſenfelſenſis proceribus & miniſtris ſummis, ſed Comitibus etiam, Baronibus, aliisque exteris fama celebribus deſtinatus, hac quidem lege, ut deinceps Principes Saxo-Querfurtenſes ordine ſucceſſionis ad regimen & præſidium quaſi ordinis perveniant, poſteri vero eorum, ex iis prognati, ipſo nativitatis jure pro Societatis membris habeantur. Qui in laudatum ordinem cooptari deſiderat, eum nobili genere ortum, & integra quoque fama eſſe oportet; perpendenda inſuper omnibus membris ſunt merita ac dotes ejusdem, ut judicari poſſit, an dignus ſit honore Societatis, nec ne? *Inſigne* Societatis eſt ſtella aurea, in medio literis J. G. tanquam Sereniſſimi Capitis & Autoris monogrammate, quod in parmula ex encauſto cœrulea micat, ornata. Pone illam crux rubra cernitur, faſcia candida, limbum aureum gerente, circumdata. Faſciæ inſcripta leguntur Gallica iſthæc: *j'aime l'honneur, qui vient par la vertue*; id eſt: *eſt mihi gratus honor, ſed qui virtute paratur*. Alterum hujus ſigni latus occupant inſignia Principatus Querfurtenſis, cum Gallica inſcriptione: *Societé de la noble paſſion inſtituée par* J. G. D. S. Q. id eſt: *Societas nobilis paſſionis inſtituta per Joh. Georgium Ducem Saxo-Querfurtenſem*. Porro illuſtris hæc Societas etiam proprio ſigillo gaudet, cujus anterior pars Sereniſſimi Autoris imaginem repræſentat, poſterior monſtrat Inſigne ſociale, Symbolo ante memorato circumdatum. Denique cum ſcopus Societatis novæ ſit gloria Numinis divini, & commendatio virtutis, tenentur, quicunque eam ingrediuntur, in ærarium Societatis, unde milites mutilati ali queant, aliquid conferre, quod beneficium ſingulis annis in die Paraſceves repeten-

petendum. Leges hujus ordinis primus publicavit Collega noſter, *Chriſtianus Junckerus*, Rector Scholæ Altenburg. nuper cheu defunctus, in Diſſertatione hiſtorica Germanice ſcripta, *de equeſtribus aliisq; ordinibus Sereniſſ. Electorum Ducumque Saxoniæ*. Tandem, quæ memoriam illuſtriſſimi Dn. Alexandri Hermanni; Comitis in *Wartensleben*, Regis Boruſſ. Campi Mareſchalli Generalis, Perill. Dn. Joh. Pauli *Bignon*, Regis Galliarum Comitis Conſiſtoriani, & Celeberrimi Dn. Georgii Wolfgangi *Wedelii*, Medicinæ Doctoris & Profeſſoris Jenenſis, conſervant, exponuntur Numiſmata, cum iis, quæ Franciſcus Comes ſeu Princeps *Ragoczi*, vindicationem libertatis Hungariæ affectans, cudi curavit, inventu hactenus rariora. Pag. 448. 450.

AN ESSAY TOWARDS SOME FARTHER EVIDENCE of our Saviour's Divinity.

i. e.

TENTAMEN UBERIORIS EVIDENTIÆ DE Divinitate Servatoris noſtri inveniendæ; Autore JOHANNE HUGHES.

Londini, apud Joh. Laurentium, 1712, in 8.
Plag. 8.

FErventi nunc cumprimis in Anglia controverſiæ de S. Trinitatis myſterio & præcipue de ſuprema Filii Dei Divinitate lucem quandam fœneraturus Clariſſimus Autor, id potiſſimum egit, ut ex Scripturis deſumeret argumenta, recentiſſimis exemplis edoctus, quam lubrica ſit in Patribus ſcrutandis in errores via, & quam nulla cogitari poſſit tam abſurda hypotheſis, quæ non cum vero ſimilitudine quadam ex ipſorum verbis queat defendi. Divinitatem itaque Servatoris noſtri ex Scripturis deducturus, ante omnia brevi Introductione præmiſſa monet, myſteria in Relig. Chriſtiana rationem ſuperantia a nemine æquo judice negari poſſe, ad ea vero Divinitatem Jeſu Chriſti Θεανθρώπου referri debere tanto minus cuiquam dubium eſſe poſſe, quod neque impoſſibilis illa ſit, neque improbabilis. Impoſſibilem eſſe divinæ naturæ cum humana in una Jeſu Chriſti perſona unionem nemo

dixerit, cum ipſum hominem in una perſona duas mirum in modum a ſe diverſas naturas continere, ſpiritualem & materialem, omnibus ſit manifeſtum. Quin ulterius progreſſus monſtrat, non impoſſibile eſſe, ut duæ perſonæ diſtinctæ unam conſtituant complexam, atque adeo in Chriſto ipſo perſonæ duæ, divina & humana, in unam tamen perſonam abierint, idque tanto magis ſibi probabile fieri dicit, quod alioqui, ſi divina natura in Chriſto cum humana ad unam perſonam dicatur unita, ſequi inde videatur, Patrem ergo & Spiritum S. pariter incarnatum eſſe, (naturæ enim divinæ nomen omnes tres includere,) cum potius perſona divina h. e. Filius Dei perſonam humanam aſſumpſiſſe dici poſſit. Hanc tamen conjecturam, cum ad Neſtorii hæreſin propius, quam par erat, accedere nonnemini videri poſſit, non poſitive aſſeri, ſed conſiderationi Theologorum proponi proteſtatur. Probabilem Divinitatem Servatoris noſtri nemini non futuram docet, qui omni ſtudio difficultatem & divinitatem ardui redemtionis operis a Chriſto confecti recte penſitaverit, & ad animum revocaverit. Ut vero non tantum probabilem, ſed certam omnino eam eſſe evincat, triplicem claſſem argumentorum Scripturæ, quibus ipſe potiſſimum convictus fuerit, etſi ceteroquin ea non æque ac alia conſiderentur, enarrat. Prima ab ipſius Chriſti ratione, qua ſe in terris geſſit, petita hoc libello deducitur, reliquæ claſſes ab Apoſtolorum ac ipſius denique Patris cœleſtis erga Servatorem noſtrum ſeſe gerendi modo alii tractationi reſervantur. In ipſius Servatoris noſtri geſtis documenta Divinitatis oſtenduntur primum in modo, quo miracula fecit, prorſus divino. Quanquam enim non negari poſſit, alios quoque genios malos bonosve mira poſſe operari, ipſosque Prophetas & Apoſtolos nomine Dei miracula ſtupenda patraſſe, in eo tamen divinam & longe ab omnibus diverſam majeſtatem Chriſti apparuiſſe, quod non tantum infinita & nuſquam reſtricta poteſtate iſta ſigna ediderit, ſed etiam iis verbis ea effecerit, quæ nulla Dei Patris mentione facta ipſum ſupremum Naturæ Dominum manifeſte monſtraverint, qualia exempla cum alibi frequentiſſime tum imprimis Marc. IV, 39, 41, Matth. VIII, 3, 8, 9, Marc. V, 41, 42, Luc. VII, 14, 15, præcipue Matth. IX, 2, 8,

obvia

obvia producit, quo ultimo loco manifestum est, ipsos Pharisæos modum agendi prorsus divinum agnovisse & blasphemiæ accusasse. Id vero Virum sanctissimum, & gloriæ Patris studiosissimum nunquam haud dubie facere sustinuisse probat, ut omni mentione Patris omissa, solo velut αὐτοχειροτονικῷ dicto suo usus homines eo induceret, ut vel blasphemiæ ipsum arguerent, vel Deo Patri æquarent, nisi Patri se æqualem esse sibi ipsi fuisset certo conscius; nec sufficisse solitariam semel factam declarationem, qua se nihil a se ipso facere fuerat testatus, quæ, si errores spectatorum debuisset prævenire, semper nec tacite sed aperte fuerat repetenda, alioqui non nisi humanæ cum divina conjunctæ naturæ in Christo documentum exstitura. Prophetas autem eodem αὐτοχειροτονικῷ modo miracula fecisse, probari non posse; Mosen quippe vel virga, divinæ missionis indice, vel verbis: *Ita ait Dominus*, superiorem potestatem agnovisse, Josuam Soli & Lunæ imperasse, sed postquam *locutus fuerat ad Dominum*, Jos. X, 12, Elisam pluvia interdixisse Israelitis, sed addita confirmatione: *Ita vivit Dominus Deus Israelis*, omnes alios autoritatem Dei, cujus nutu miracula patrarent, simul professos esse, unum Servatorem verbis, ei, quo Deus mundum creavit, modo prorsus respondentibus, propria, hoc est, divina autoritate plerumque signa ista edidisse. Eandem divinam & soli Deo propriam majestatem Noster in ejectione Dæmoniorum a Christo facta ostendit, quæ tantum abest, ut Christo velut alienæ potestatis usurpatori insultaverint, ut potius dicto audientia cesserint, nulla Patris adjuratione, solo verbo Christi pulsa, quod neutiquam juratos ejus hostes facturos probabile sit, nisi Deum supremum eum agnovissent, originaria sibi, non communicata autoritate adversus Dæmonas agentem. Quæ unius dicti majestas convitiatores eo induxit, ut a reliquis Exorcistis toto cœlo diversum, Principem Dæmoniorum Beelzebub eum vocarent, cum ἐξουσίας scilicet imperantem. Similia supremæ Divinitatis documenta divinus Spiritum S. discipulis suis conferendi & miraculorum potestatem tribuendi modus nobis exhibet, in quo eadem prorsus, qua Pater gaudet αὐθεντίᾳ, se quoque agere conduceat. Hæc in agente Christo Divinitatis argumenta. Sequun-

tur in quibus passive tantum se habuit, ejusdem majestatis indicia. Probat itaque Noster, Servatorem eam cultus rationem ab aliis admisisse, quam nemo nisi Deus admittere possit, non προσκύνησιν tantum, sed plenam fiduciæ invocationem a leprosa Matth. VIII, 2, Centurione, Apostolis Joh. XVI, 30, XX, 28, XXI, 17, imo Patrem filii dæmoniaci parum sibi tribuentem ea de re objurgasse, Marc. XX, 22, 23, quæ in virum tam sanctum, nisi supremæ Majestatis sibi fuisset conscius, non cadant. Probat, infinitam satisfactionem, pro peccatis totius mundi a Christo præstandam & reipsa præstitam, creaturæ vel Deo proximæ vires ita excedere, ut justitiæ Dei infinitæ non nisi per meritum æque infinitum h. e. divinum satisfieri posse, vel ipsa ratio nobis satis evidenter persuadeat. Succedunt denique dicta Christi, Divinitatem ipsius loquentia, inter quæ primo memoratur modus, quo futura prædixit, non velut a Patre sibi revelata, ad aliorum Prophetarum instar: *Ita ait Dominus*, dicendo, sed sua fide; *Ego dico vobis*, quæ dicendi ratio, etsi Deo competat loqui ἀνθρωποπαθῶς, ita sit comparata, ut meræ creaturæ adeo θεοπρεπῶς loqui neutiquam integrum sit, ne quidem, ubi vices agit supremi Dei, quem inter & se ipsam vastissimam differentiam ubique & verbis & agendi modo profiteri creaturam, vel maxime a Deo delegatam, oporteat. Deinde ipsa effata, quibus Servator nihil tam divinum præternisit, quod sibi ipsi non vindicaret, breviter, quandoquidem ab omnibus urgeri solent, perstringuntur; v. g. Joh. X, 30, coll. 33, V, 17, 18, XIV, 7, 8, IIX, 58, III, 13, XVII, 5, X, 15. Apoc. II, 23, quæ omnia sine manifesta blasphemia tribuere sibi ipsi haud potuisset, nisi certo de suprema Divinitate sua ipsi constitisset. Quæ omnia Capite postremo adversus objectiones cum Arianorum, tum Socinianorum vindicare laborat.

AN HISTORY OF THE GOVERNMENT OF THE primitive Church,

i. e.

HISTORIA HIERARCHIÆ ECCLESIÆ PRIMITIVÆ per tria secula, & initium quarti, qua docetur, Ecclesiam prima ista ætate, pariter ut perpetuo deinceps, per Episcopos

ſcopos Presbyteris ſuperiores fuiſſe gubernatam, conſideratiis ſimul Davidis Blondelli in contrarium ſuggeſtionibus; Autore FRANCISCO BROKESBY, S. Th. Bacc. & quondam Collegii S. Trinitatis Cantabrigiæ Socio.

Londini, apud T. Taylor, R. Gosling, & H. Clements, 1712, 8. Plag. 20.

TRitiſſimam controverſiam contra argumenta, cumprimis a doctiſſimo Blondello in Apologia pro ſententia Hieronymi adverſus Epiſcopatum mota, decertare conſtitutum eſt Autori Clariſſimo, ſubſidiis celebertimi Dodwelli, quod ipſe in Dedicatione gratus fatetur, mirum in modum adjuto. Præmittitur Diſſertatio prælimiaris, qua præjudiciis quibusdam adverſus regimen Epiſcopale conceptis obviam itur, iniprimis a ſilentio Scripturæ S. de hujuscemodi inſtitutione. Eam enim hac de re altum habere ſilentium non miratur, ſiquidem Actorum Apoſtolicorum hiſtoria iis temporibus deſinat, quibus, durante adhuc extraordinaria per Apoſtolos Eccleſiaſticarum rerum adminiſtratione, ordinaria munera nondum erant conſtituta, Chriſti porro intentio, Apoſtolorum praxis & in ſeptem Aſiæ Eccleſiis facta conſtitutio affatim in Scripturis innuantur, ac denique nullum vel Dici Dominicæ vel Pædobaptiſmi diſertum indicium ibidem habeatur, quæ tamen ab Epiſcopalis regiminis adverſariis magna religione nihilominus obſerventur. Expenduntur deinceps argumenta Blondelli alia, a promiſcuo vocum ἐπίσκοπος & πρεσβύτερος in N. T. uſu, a nomine ſacerdotum utrique ordini tributo, ab appellatione Presbyterorum Epiſcopis quoque data, ab iisdem functionibus utrique ordini communibus, denique a Synodorum quarundam recentiorum conſtitutionibus, quibus eminentia Epiſcopatus unice videatur deberi. In ipſa Hiſtoria Cap. I ſtatus Eccleſiæ vivente Chriſto conſideratur, quem electione XII Apoſtolorum & LXXII diſcipulorum jam tum diſparitatem munerum Eccleſiaſticorum innuiſſe, & LXXII quidem non ad tempus ſaltem vocaſſe, ſed poſt reditum Luc. X, 18, 19, iterata commiſſione officii confirmaſſe exiſtimat. Cap. II Eccleſiæ infantiam conſiderat, Apoſtolis adhuc Hieroſolymæ ſubſiſtentibus, ea tamen ætate jam tum credentium numerum ita creviſſe, ut poſſibile haud fuerit,

fuerit, una eos congregatione comprehendere, adverſus eos, qui Epiſcopos uni tantum congregationi præfectos fuiſſe velleant, obſervat. Cap. III in Miniſtros ab Apoſtolorum diſperſione in primis credentium cœtibus ſacra adminiſtrantes inquirit, probabile exiſtimans, eo tempore eos, qui πνευματικῶς χαρίσματος pollerent, nulla alia vocatione præcedente ſacris miniſtraſſe, donec ſuccedente paulatim ulteriore revelatione Presbyteri ab Apoſtolis primum inſtituerentur, quod partim exemplo Ananiæ & aliorum, partim teſtimonio Pſeudo-Ambroſii ad Epheſ. IV, 10, qui diſerte omnibus inter initia conceſſum fuiſſe & evangelizare & baptizare, & Scripturas in Eccleſia explanare affirmat, probatur, ſed ad exemplum noſtri temporis ceſſantibus donis iſtis trahi poſſe omnino negatur. Primum Epiſcopalis regiminis fundamentum in matre Eccleſiarum Hieroſolymitana per Jacobi Minoris ordinationem poſitum, Cap. V enarrat, quem in Sancta Urbe ſubſtitiſſe, ipſa Scriptura Act. XII, 17, XV, 13, Gal. II, 14, Act. XXI, 18, innuat, omnisque hiſtoriarum fides confirmet, reliquis Eccleſiis Presbyterorum doctrinæ, Apoſtolorum vero immediato regimini obnoxiis, donec appropinquante Apoſtolorum morte, Timotheo, Tito, aliis, inter quos & Diotrephen ex 3 Epiſtola Johannis, etſi munere ſuo abutentem, refert, ſimilis fere Apoſtolicæ autoritas ab Apoſtolis conferretur, id quod Cap. V ex Clementis potiſſimum Epiſtola aſſeritur, quanquam eo tempore nondum fixas ſedes iſti Apoſtolorum ſucceſſores habuerint. Unde Cap. VI ex Apocalyptica Angelorum appellatione Epiſcoporum ævo Apoſtolico exeunte ubique conſtitutorum documentum petitur, eaque appellatione non alios niſi Epiſcopos indigitari oſtenditur. Poſt Apoſtolorum ætatem manifeſtiſſimum Ignatii & totius Eccleſiæ Antiochenæ pro Epiſcoporum eminentia teſtimonium, adjuncto etiam Polycarpi ſuffragio indirecto, Cap. VII laudatur, ſequenti Aſiaticarum Eccleſiarum regimen Epiſcopale ex memoratis Epiſcoporum Synodis probatur, & in Syriæ, Palæſtinæ, Græciæ, Cretæ, aliarumque Regionum Eccleſiis idem obtinuiſſe, ſimilibus argumentis docetur, ſimulque Noeti Presbyteri, Epiphanio teſte a Presbyteris Epheſinis condemnati, caſus exa-

minatur,

minatur, & silentii apud Justinum pariter ac Tertullianum de Episcopis in Apologiis ipsorum obvii ratio redditur. Idem Cap. IX de Ecclesiis Ægypti, speciatim Alexandrina probatur, & synodi Nicenæ judicium partim de schismate Meletiano, partim de ordinatione Ischyræ pro invalida habita, tanquam insigne Episcopatus ubique introducti argumentum urgetur. Carthaginensis & reliquæ Africanæ Ecclesiæ subjunguntur Cap. X, & quantum Episcopali dignitati testimonia Cypriani affundant splendoris, quamque ea omnia longe aliam Episcopi curam, quam quæ ad unam saltim congregationem extendatur, loquantur, ostenditur; denique Cap. XI Hispanicæ, Gallicæ atque aliæ Occidentales Ecclesiæ considerantur, & Concilio Arelatensi A. D. 314 Episcopos Britanniæ nonnullos, Eborium Eboracensem, Restitutum Londinensem interfuisse docetur. Ea vero occasione Cap. XII primum Scoticarum Ecclesiarum regimen examinat Clar. Autor, & fabulam vulgatam, qua ante Palladii adventum in Scotiam jam tum alios Christiano sacra ibi administrasse, non Episcoporum sed Presbyterorum dignitate conspicuos, & ceteroquin monasticam vitam agentes, confutat, & quomodo a S. Columba, Scotorum Apostolo, Abbati monasterii, ab ipso in Insula Hy fundati, inusitatum privilegium, quo non modo Laicis, sed & Clero ipsoq; insulæ Episcopo superior declarabatur Abbas, sine præjudicio Episcopalis dignitatis a S. Columba potuerit conferri, prolixe enarrat. Cap. XIII in Chorepiscoporum officium accurate & imprimis ex Dodwelli mente inquiritur, quorum nomen ante Concilium Ancyranum A. 314 in Ecclesia non cognitum fuisse ipse Blondellus concesserat, rem ex Clementis Romani Epistola jam tum deduci posse asserverat. Eos igitur probat idoneis & eruditis documentis vere Episcopos, non vero Presbyteros fuisse, in Regionibus sive χώρεσις magnis Civitatibus subjectis constitutos, ut Episcopo in vasta diœcesi administranda suppetias ferrent, εἰς τύπον τῶν ἑβδομήκοντα, ὡς συλλειτουργοὶ διὰ τὴν σπουδὴν εἰς τὰς πτωχείας, ut verba habent Concilii Neo-Cæsareensis A. D. 314, privilegiis quoque Episcopalibus gendentes, qualia sunt, ut in Synodis nomina sua subscriberent, tanquam *definientes*, ut literas formatas aliis Episcopis mitterent, impri-

mis, ut Subdiaconos Lectoresque, etiam absque speciali Episcopi civitatensis, cui suberant, consensu, non autem sine illo literis diserte confirmato Presbyteros Diaconosque ordinarent, in omnibus tamen subordinati Episcopo ejus civitatis, cujus jurisdictioni χώρας ista parebat. Quod officium in oriente primo introductum, in occidente non ante A. D. 349 cognitum, cum ad contemtum haud dubie vergere videretur reliquorum Episcoporum, a Synodo Laodicena A. D. 365 fuit abrogatum, qua diserte constitutum est, non debere Episcopos constitui in pagis καὶ ἐν χώραις, sed περιοδευταῖς, latine *Visitatores* dictos. Hoc vero περιοδευτῶν munus non novum fuisse in Ecclesia, sed jam ab Ignatio ad Philadelph. C. 10, & ad Smyrneos, sub nomine θεοπρεσβύτερ, ut Pearsonus ibi legit, & ad Polyc. C. 7 sub θεοδρόμε appellatione indigitatum, ac Presbyteris vulgo proprium, hic tantum resuscitatum fuisse, ut Episcopus in ampla Diœcesi visitanda sublevaretur, Autor erudite docet, & in his omnibus nihil esse, quod Presbyterianos juvare possit, observat. Ultimo demum Capite celebratissimus Hieronymi locus ex Commentario in Epistolam ad Titum excutitur, & quam parum in eo roboris sit advertsus confirmatam omnium seculorum suffragio hierarchiam Episcopalem, ex scopo Hieronymi, aliisque ejusdem locis, contrariam sententiam manifeste præ se ferentibus, monstratur.

SPICILEGIUM OBSERVATIONUM AD Capitulationem Caroli VI.

Francof. ad Mœnum, ap. Jo. Maximil. Sande, 1714, 4. Alph. 2 pl. 16.

LEgum publicarum studio, superioribus seculis densa ignorantiæ caligine obducto, tandem nostrorum temporum felicitate & indefessa Virorum Celeber. opera lux serena affulgere visa est, magis indies exsplendescens. Testatur id Caroli VI Imp. Capitulatio, quæ vix typis vulgata Illustris Viri industria cum Perpetua & Josephina collata, notisque vernaculis exornata, adjectis scriptis publicis, quæ ad eam rem facere videbantur, cujus editionis mentionem anno superiori 1713 Mens. April pag. 151 fecimus. Novus ad eandem nunc se sistit Commentarius, titulo

Spicilegii

Spicilegii Observationum ad Capitulationem Caroli VI insignitus, in quo id præsertim Autor induxit in animum, ut instituta accurata hujus cum Capitulatione Josephina, subinde & Perpetua, collatione, momenta singula Jus Publicum Imperii statumve ejus alterantia, insertis documentis authenticis, ingenue annotet; interim Observationes suas saltem Supplementorum egregii Commentarii Nizschiani ad Josephinam Capitulationem, Franc. 1711, 4 editi, conscriptas esse fatetur. Nomen suum modeste quidem reticuit Autor, attamen cum *Dissertat. de jactitata Ordinis Cistercienſis libertate a ſuperioritate Territoriali & Advocatia* sibi vindicet, facile patet, has Observationes Georgio Henrico Wegelino, Heilbronnensi, deberi. Ipsum opus paucis perlustrabimus. Assecla Curiæ Pontificiæ vulgo asserunt, Electo Romanorum Regi Imperatoris Rom. nomen ante coronationem Romæ peractam haud competere, cum e contrario constet, consensu ipsius Pontificis, Maximilianum I elogio Electi, vel ut alii volunt, designati Romanorum Imperatoris usum; Pontificem vero vel ideo annuisse, ut Imperatoris animum, instaurandis Imperii juribus per Italiam intentum, averteret, Noster existimat. Tituli Archi-Ducis Regiis antepositi, Regis vero Germaniæ prorsus omissi, hanc causam reddit, quod Principem ipsa nascendi sorte Germanum in solium Imperatorium evectum ostendere vellent Electores; Germaniæ vero Regis nomen, a Maximiliano I elusis technis aulæ Pontificiæ admissum, consulto negligi, cum hodie Pontifices adeo effrenes omnino haud sint metuendi. Archi-Cancellariatum Trevirensem Regni Arelatensis terminis circumscribi, ex ipsius Capitulationis verbis notat. Status Imperii etiam ab Imperatore nomine *defensorum & protectorum fidei* cohonestari, quod plerumque soli Imperatori tribuunt, autoritate R. I. de anno 1524 demonstrat. Immediata præcise bona requiri, ut quis votum & sessionem in Comitiis Imperii obtineat; dari vero Status Imperii, qui territorio immediato destituantur, exemplo Prælatorum quorundam Sueviæ tradit. Comitibus Imperii immediatis, qui dignitatem Principalem consequuntur, facilius longe Sessionis jus tribui in Circulo Imperii, cujus antea membra extiterunt, cum & Comites ibi pag. 15. 5. 6. 9. 15. 25.

pag. 77. personalibus suffragiis gaudeant, quam in Comitiis, notat. Dubium olim subortum (nam restituto nunc Bohemiæ Rege idem penitus sublatum) utrum monita sua ad Capitulationis negotium perficiendum Regi Bohemiæ explicare fas sit, affirmando decidit, cum & in electione Leopoldi I monitorum Regis Bohemiæ rationem habere non abnuerit Collegium Electorale, & in Electione Josephina monita quædam legati Bohemici Capitulationi
99. inserta legantur. Limburgicis, sæva fatorum necessitate nunc quoad masculos extinctis, Pincernatum Imperii sub ipsis Suevicis Imperatoribus fuisse concessum, contra Hoffmannum vindicat.
104. Subofficialibus Imp. ne in functionibus suis ab aliis turbarentur, aut commoda ipsorum interciperentur, jam olim fuisse cautum,
106. ex antiquo privilegio Maximiliani I probat. Quod controversiam inter Electorum Legatos & Subofficiales attinet, cum Schilzio & Mauritio Legatos in Coronationis Imperatoriæ solennibus ad prælationem insignium, Subofficiales vero ad reliqua munera obeunda præillis admitti debere arbitratur. Jus Fœderum
143. Statibus antiquis jam temporibus integrum fuisse, multis demon-
309. stravit, de Clientelaribus etiam Fœderibus erudite quædam compilavit, quæ tamen singula hic referre longum nimis fuerit.
186. Quod ad litem, inter Abbatem Sanct-Gallensem & Helvetios summa animorum pariter & armorum contentione agitatam, hos, intermissam onerum feudalium præstationem ad exemtionem Abbatis totalem applicantes, erudite refellit, cum res facti Imperii juribus obesse nequeat.
204. Civitates Imperiales a multis retro seculis jus tributorum sibimet vindicasse asserit, cujus quidem adeo tenaces extiterint, ut nec privilegiis Imperatoriis exemtionum ab Ecclesiasticis aliisque personis impetrari solitis, nisi consensu istarum suffultis, intra limites jurisdictionis suæ locum concesserint, vel saltem determinaverint, quantam vim inesse talibus privilegiis vellent, cujus rei illustre exemplum ex diplo-
223. mate Civitatis Lindavensis ob oculos ponit. Pontificum artes, quibus Germanos pecunia emungebant, atque neglectis solenni-
226. bus Nicolai V Concordatis jura Cleri violabant, ad Art. XIV proponit, Ecclesiæ autem Gallicanæ libertatem summa virtute jam sub Merovingis defensam, Angliæ & Hispaniæ possessionem ni-

hil

bil Pontifici dandi, & Polonorum Statutum, quo Annatæ in defensionem & conservationem Reipubl. conversæ sunt, deprædicat. Jus succedendi in bonis proscriptorum Feudalibus Agnatis a crimine puris salvum servatum in Art. XX Capit. Carol. ad liberos etiam, præsertim ob verba: und allen andern / so Anwartung und Recht dran haben / extendendum sibi persuadet. Si quid tamen scrupuli hic superfit, id authentica interpretatione Cæsaris & Statuum Imperii facile amotum iri confidit. Status Imperii in dispensandis titulis a Cæsare licet concessis parciores sese præbere posse censet, si jurium suorum insignem deminutionem inde metuant, vel actu patiantur; eaque de causa Principes Imperii Sabaudiæ Duci titulum Regiæ Celsitudinis ab Imperatore 1690 ipsi concessum, tribuere noluisse, ne hoc titulo prærogativam aliquam in illo viderentur agnoscere. Notatu quoq; non indignum visum, quod, cum Collegium Comitum Wetteravicorum 1710 ad Conventum pacis condendæ ergo in Belgio institutum Legatum secundi ordinis misisset, Ordines Fœderati Belgii diu hæsitarint, num assurgere illorum desiderio vellent, quod Legati *secundi* ordinis haud secus ac *primi* charactere repræsentatitio moribus hodiernis gaudeant, Comitibus autem jus mittendi tantum Mandatarios plena potestate instructos adhuc competierit, donec argumentis Illustrissimi Legati B. ab Edelsheim exstimulati desiderio ipsius satisfacerent. Nec, silentio prætereundum, Regis Bohemiæ in distributione exemplarium Capitulationis Authenticorum nullam rationem fuisse habitam, quamvis haud ita pridem omnium Electoralium jurium compos fuerit redditus, forte quod superfluum existimaretur, peculiari hujus Capitulationis exhibitione Regem Bohemiæ nuper electum Imperatorem sibimet ipsi velut adstringere. Imperatorem ad normam Ordinat. Exec. Circul. obstrictum per Capitulationem fuisse constat, quod ad solum proscriptionis casum restringit Illustr. Dn. Lyncker, idem vero ad alios quoque casus, ne verba in Capit. als in andern Fällen otiosa existant, applicare Nostro visum est.

pag. 267.

276.

284.

335.

373.

DU POUVOIR DES SOUVERAINS ET de la Liberté de Conſcience &c.

h. e.

DE POTESTATE SUMMORUM IMPERANtium, & Libertate Conſcientiæ, Orationes duæ GERHARDI van NOODT, in Acad. Lugd. Bat. Anteceſſ. ex verſione Gallica JOH. BARBEYRACI, Jur. & Hiſtor. Profeſ. Lauſanenſis & Academiæ Regiæ Scientiarum Berolinenſis Socii. Editio altera emendatior & notis auctior. Acceſſit JOH. FRID. GRONOVII de Lege Regia ab eodem BARBEYRACO Gallico idiomate donata: ut & ejus de Natura Sortis diſſertatio.

Amſtelodami, ap. Petrum Humbertum, 1714, 12. Plag. 16.

COmparuerunt jam anno 1707 duæ illæ Orationes Clariſſimi *Noodtii* peregrino habitu adeo venuſte ab elegantiſſimo *Barbeyraco* indutæ, ut nec nativo decori illarum quidquam detractum agnoſceret pater, nec ſequi veſtigia optimi interpretis dubitaret, qui Anglicam nobis verſionem dedit, *Savagius*. Nunc vero denuo iſtæ prodeunt, ſic quidem, ut illi, quæ *de ſummorum Imperantium poteſtate* inſcribitur, quod hæc altera ſui parte genuinam mentem famoſiſſimæ illius *Legis Regiæ* explicat, comes velut data ſit *Joh. Friderici Gronovii* de eodem argumento Oratio; alteri vero, quæ *libertatem Conſcientiarum* tuetur, *de Natura Sortis* jungatur diſceptatio.

Prima eſt *Gronovii* patris, ut anticipavimus, de *Lege Regia* Oratio, quam Vir doctiſſimus d. 8 Febr. 1671 ſupremo Lugdunenſis Academiæ Magiſtratu ſe abdicaturus, paulo ante mortem ſuam, quæ eodem adhuc anno contigit, pronunciavit, docta me hercule, & quæ reliquis omnibus qui in eo lapide volvendo hactenus deſudarunt, facile palmam præripiat. Enimvero de natalibus legis illius tantopere variant hominum eruditorum ſententiæ, ut cui te tuto committas, haud in proclivi ſit. Nonnulli, quod *Bachovium* etiam obſervaſſe meminimus, non ſatis attendentes, eam non ab autore, ſed argumento, quod tractabat,

tractabat, ita appellari, imprudenter admodum eam cum legibus a regibus Romanis latis, qui error *Francisci Balduini* fuit, confuderunt; aut, quod eodem recidit, in *Livii* loco L. 34 c. 6 *an vetus Lex Regia simul cum ipsa urbe nata?* deprehendisse cum *Francisco Hottomanno* sibi visi sunt. Non procul abfuerunt ab hac ipsa opinione viri alias magni nominis *Paulus Manutius*, *Giphanius* & alii, qui illam ipsius Romuli legem esse crediderunt, sepultam ejectis regibus, sed postliminio restitutam temporibus principum Romanorum. Rursus alii decepti verbis *Ciceronis* L. 3 c. 3 de LL. *Regio Imperio duo sunto in præeundo, judicando, consulendo, Prætores, Judices, Consules adpellantor*, illius originem ad XII Tabb. legem rejecerunt, qui, si cogitassent, Ciceronem ibidem non veram sed idealem quandam cum Platone rempublicam effingere, facile ab eo errore cavere sibi potuissent. Porro alii, quod *Clapmarius* fecit, initia ejus in Vespasiani ævo collocant, tabula procul dubio Capitolina permoti; alii vero, quos inter *Franciscus Connanus*, & qui majori adhuc conatu id egit, *Martinus Schookius*, figmentum sequioris seculi, hariolantur; alii denique veram quidem esse largiuntur, sed præter nomen solum amplius quid superare, cum *Scipione Gentili* negant. Hi omnes uti a vero declinarunt, ita *Gronovius* noster legem regiam describit *Instrumentum publica autoritate conditum, vi cujus potestas summa ex decreto senatus, & populi consensu in unum collata fuit.* Observat autem, legem hanc non solemni ritu, ut alias moris erat, nec sub ejusmodi appellatione, nec eo tempore latam, quo libertatem invaserunt Julius & Octavius, sed collectam ab his per intervalla potestatem summam; in successoribus autem jam minus eam dissimulantibus, inde ab initio inaugurationis eorundem uno actu per SC. confirmari solitam, ea tandem tempestate, qua regium nomen pati didicerant Romani, a ICtis, rem, ut erat, vero elogio mactantibus, regiam legem dici cœpisse. Atque quidem nullam talem legem, quæ regia diceretur, quæve jus omne Populi in unum conferret, in Comitiis publicis inque Campo Martio, vel in Cæsaris vel in Augusti favorem, rogatam esse, præter silentium scriptorum συγχρόνων, duo cumprimis evincunt, odium Romanorum erga Regium nomen

men

men, deinde ſtudium principum Romanorum, quo relictis veteris libertatis imaginibus ſucum populo faciebant, ac ſi de ſervanda ea magis quam opprimenda eſſent ſolliciti. Recenſentur hac occaſione callidæ Julii, Octavii Tiberiique regnandi artes. Porro quæ illi Jura Majeſtatis diverſa diverſis temporibus ſubque variis Magiſtratuum titulis priſtinam reipublicæ formam mentientibus adquiſiverant, ea cuncta ſucceſſores inde ab initio inaugurationis ſuæ ex decreto Senatus ſimul accepiſſe oſtendit; inque hunc cenſum refert tabulam illam æneam Capitolinam mutilam Capite ſed genuinam & eximium antiquitatis monimentum, quæ prolixa recenſione partium ſummi Imperii ſingularum poteſtatem ita facit *Veſpaſiano* UTI. LICUIT. D. AUGUSTO. TIBERIOQUE. JULIO. CAES. AUG. TI. CLAUDIO. CAES. AUG. GERMANICO. Hunc morem conficiendi ejusmodi decreta in ſingulis deinde principibus inſecutis usque ad tempora *Auguſtuli* continuatum fuiſſe, perſuaſiſſimum habet Gronovius, etſi injuria ævi ad nos haud transmiſſa inveniantur. Decreta autem illa complexum ſummi imperii continentia tandem a JCtis Romanis eo tempore, cum Regium nomen Romæ jam minus exoſum frequentari cœpiſſet, Regiæ Legis encomio indigitata eſſe, valde ſit probabile. Obſervat hic *Gronovius*, Papinium Statium ſub Domitiano primum extitiſſe, qui eundem Imperatorem Silv. L. IV. Carm. I v. 46

Longamque tibi, REX MAGNE, *juventam*
Annuit, atque ſuos promiſit Jupiter annos,

alloqui non dubitaverit, quem deinde Hiſtoriæ Auguſtæ, ut vocantur, ſcriptores, liberaliter ſecuti ſint, quod tota teſtimoniorum nube demonſtrat. Quæ contra Dionis locum, qui obſtare Gronovio videbatur, monenda erant, infra adducemus. Id unum addimus, Virum doctiſſimum *Calculum Minervæ* conceſſum Julio Cæſari a Populo ſcite admodum de jure aggratiandi exponere. pag. 41.

Secunda eſt ipſius Cl. *Barbeyraci de natura ſortis* Diſſertatio. Continet illa, quod monuiſſe ſufficiet, vindicias contra Cl. *Joncurtium*, qui epiſtolis quatuor de Ludis fortunæ, *ſur les jeux de*

de hazard superiori anno Hagæ Comitum editis librum Autoris de eodem argumento antehac emissum vellicaverat.

Tertia est Consultissimi Noodtii *de summorum imperantium potestate* mascula & erudita oratio. Bipartita ea est. Priori parte, differentiis Principem inter bonum & Tyrannum expensis, ostenditur, illos, quibus imperii habenas moderandas fors dedit, non ideo ad culmen hoc evectos esse, ut licentiose cuncta agant, sed ut tutores velut status publici omnia ad hujus salutem referant. Neque enim credendum esse, potestatem summam in effreni & impuni licentia consistere, etiamsi detur, immediate illam a Deo proficisci, quod tamen quam falsum sit, ex æqualitate hominum, quam a natura habent, & digressione ad causas & initia societatum civilium facta, luculenter evincit. Reges nimirum frendæ justitiæ causa libera subjectione a populis ordinatos, ut singulos ab injuriis & violentia maleferiatorum tutos præstarent; nec probabile fieri, Gentes formatis jam Rebuspublicis a fine hoc recedere noluisse. Obtinere isthæc, etsi imperio Principis lex commissoria adjecta non sit, aut ille nihil repromiserit; nam & tunc plus juris in eum translatum haud videri, quam ante in se singuli habuerint, & societatem civilem naturalia jura corrumpere non posse. Eo etiam casu, quo populus se suaque & divina humanaque omnia in ditionem alterius dedit, id ab eo agi, ut servetur & conditionem suam tolerabiliorem efficiat. Si quem forte moveat, singulos libertatem suam vendere & in servitutem alteri addicere posse, cur talia non liceant integris populis? illi respondet, non equidem quæri hic, an servire debeat servus, sed an, si Dominus suo in servientem imperio abutatur, hic in pristinam libertatem vindicandi se jus nanciscatur? Male supponi, Dominum servo uti re alia quavis in patrimonio existente abuti posse: servum hominem manere, sorte non natura talem fieri. Sive autem captivitate, sive conventione servus evaserit, priori quidem casu, utpote statu bellico adhuc durante, omnia alteri adversus alterum licere, posteriori vero finem a servo intendi, conservationem sui, a Domino præstationem operarum. Velle autem sævire in servum & conditionem ejus ipsa morte duriorem facere, nec Domini ipsius

intereſſe, nec cum ſervi intentione & tacita pactione conveniat. Quæ deinceps ad gentes applicat. Cum vero animadvertat, quosdam ad *Legem Regiam* & dictum Ulpiani, *Principem legibus ſolutum eſſe*, hic provocare, duo monet, quorum prius, Ulpianum non de naturalibus ſed civilibus legibus, neque de his omnibus, ſed de *Julia* ſaltem & *Papia* loqui, quod poſt *Cujacium* ex inſcriptione fragmenti probat. Alterum, *Regiam Legem*, quam dicimus, Principem Romanum neque ab omnium legum civilium obſervatione, neque eodem tempore liberum declaraſſe. Graviter equidem obſtare videbatur Dio L. 53, qui de Imperatoribus loquens λέλυσθαι, inquit, γαρ τῶν νόμων, ὡς πολλὰ τὰ καθ' ἡμᾶς ῥήματα λέγει. Τοῦτο, ἐλεύθεροι ἀπὸ πάσης ἀναγκαίας νομοθεσίας εἰσὶ, καὶ ἀδενὶ τῶν γεγραμμένων ἐνέχονται: optimum vero alias Autorem hic aut adulatione lapſum, aut Græcum hominem Romanam loquendi formulam, LEGIBUS SOLVI, haud ſatis intellexiſſe, ex ipſo Dione evincit. *Primo* etenim ex eo, quod a nemine hactenus obſervatum erat, conſtat, Auguſtum ex eodem Senatus Decreto nec eodem anno & ſummum rerum arbitrium accepiſſe & legibus ſolutum eſſe. Prius contigit, eodem narrante, Auguſto VII Cos. poſterius eodem decimum conſulatum gerente: porro illa ipſa immunitas legem ſaltem *Cinciam* reſpicit, ut adeo reliquis adhuc teneretur. *Secundo* idem *Dio* teſtis eſt, Auguſto ſub conſulatu demum XI Tribunitiam poteſtatem perpetuam a Senatu conceſſam conſtitutumque eſſe, ut, quoties & de quibuscunque vellet, ad eundem, etiamſi Conſul non eſſet, referret, Urbem Proconſul intraret & in provinciis majorem præſidibus autoritatem haberet. Quinimo C. *Sentio* & Q. *Lucretio* COSS. placuit Senatui, ut de Republica ſtatuendi, leges novas condendi & ex ſuo nomine vocandi penes eundem arbitrium ſtaret; ex quo colligitur, Auguſtum ante id tempus veterum inſtitutis paruiſſe. *Tertio* idem *Dio* L. 59 perhibet, Caligulam Senatus Conſulto contra Legem Juliam & Papiam adjutum eſſe, quæ improbus cœlibibusque, ne ex teſtamento quidquam caperent, interdicebant; ex quo iterum apparet, Auguſto & Tiberio id privilegii non indultum fuiſſe. Si urgeas, formulam Legis τὰ καθ' ἡμᾶς ῥήματα apud Dionem ut & Ulpianum de legibus in genere non

de

de una saltem alteraveloqui, in promtu esse, ait, Latinæ linguæ gnaris, pluralem numerum pro singulari sæpe apud optimos Autores plane in eodem casu poni, quod idoneis ex Cicerone, Suetonio aliisque petitis testimoniis confirmat.

Quartum locum occupat ejusdem celeberrimi Viri de nobilissimo argumento *de Libertate conscientiæ* & quæ ex hac pendet, *tolerantia sectarum*, diserta & locuples oratio. Priori parte Religionem omnem, quatenus de Deo divinisque rebus sententiam innuit, internoque cultu absolvitur, Imperio Civili exemtam esse, traditur. Res eo redit, Religionem esse Societatem Deum inter & hominem, donum Dei, quod unicuivis concedat, inspiret, finem ejus salutem animæ, quam dum appetit homo, integrum ei esse debere eligendi libere media, quæ ad consequendam eam omnium maxime conducere existimat. Intellectum facultatem necessariam esse, & ut nemo concientiæ suæ ita imperare potest, ut aliter credat, ac ideas animo concipit, ita neminem alterius judicem esse in rebus proprium ejus commodum spectantibus, aut si certe velit, tantundem in se quoque alteri concedere debere. Quemlibet, quam profitetur, sectam meliorem aliis esse persuasum habere, pauciſſimos ad dijudicandam veritatem natos. Nullam rationem convincentem tolerantiæ sectarum opponi posse, modo secta, quod honestati aut securitati societatis humanæ adversetur, nihil admittat. Concludit inde, nemini, quo minus re melius perspecta ad aliam sectam se transferat, interdicendum esse; nomen tamen dantem societati cuidam Ecclesiasticæ regulis illius parere debere; modo aliæ non sint, quam quæ fini Religionis, unioni Hominis cum Deo, inserviant. Rebus igitur Ecclesiæ non in minis, tormentis, pœnis, quibus corpus solum affligitur, sed in consiliis, institutionibus lenibus pacificisque consistere. Neque vero putandum, plus juris hac in re competere Principi, quam in se vel alios singulis hominibus ante institutas Civitates, eum quod quis juris ante societatem non habuerit, id nec in Principem potuerit transferre. Neque opus etiam fuisse ampliorem ipsi vim tribuere, cum causa & finis societatum civilium introductique Principatus non Religio sit, sed securitas & tranquillitas publica, & omne id imperantium potestati exem-

tum esse censeri debeat, quodcunque ad scopum eum obtinendum haud cooperetur. His præmissis in parte altera ad confutandas secus sentientium objectiones se accingit, quarum potiores saltem hic adducemus. Atque quod illi ajunt, non nisi unum ad veritatem & salutem iter esse, & officio summorum Imperantium incumbere, ut errantes vi etiam in rectam viam reducant, ad id quidem varie respondet. Regerit enim, quamlibet sectam veram apparere colenti, Jus Gentium, de quo ipsi serimo est, quæ vera sit, non definire, sed cuilibet liberam electionem permittere. Deinde aut Principis aut Senatus Ecclesiastici ab eo ordinati judicio standum fore. Quidsi vero Princeps rerum ejusmodi ignarus sit, quid si rationibus non vincat, an periculo suo amplectendum cuiquam esset medium salutis inveniendæ, cui non fidit? Quidsi eadem reprobanda occurrant in Senatu Ecclesiastico, an majori suffragiorum parti cedendum erit, remedio ad civiles saltem dissensiones tollendas apto? Num ideo instam cuivis rationem percipimus, ut alienam sequamur? Contra naturam est, Religionem, quantumvis optimam, colere, quam veram quis non agnoscit: nunquam ad salutem ea via pertingere poterit, qui impiam credit, & in contemtum Numinis, indifferentissimum & hypocrisin sic demum omnis abibit religio. Si porro contendas, gloriam Dei hoc exigere, bonum finem præ oculis haberi, pertinaciam aberrantium metu pœnæ infringendam esse, Noster respondet: vitia mere interna, per quæ solus Deus lædituf, soli hujus vindictæ relinqui. Is cum illico punire queat, nec velit tamen, hominis non esse prorogare terminos jurisdictionis in res cognitioni suæ non subjectas. Deinde pertinaciam male dici, cui rationes non satisfaciunt, constantiæ magis laudem mereri sententiæ, quam semel veram quis agnovit, firmiter inhærere. Si ulterius urgeas, datum id Principi esse, ut cultum, cæremonias & instituta sacrorum defendat, id quidem non negari, sed improbari modum. Prodi religionem, quasi ipsam se tueri nequeat, si armis defendatur. Alia jam omittimus, quæ si e *Lockio, Bælio, Clerico* aliisque largiori manu nobis data sunt, ideo valorem suum non perdunt, quippe in compendium velut a Nostro redacta & orationis luminibus eleganter picta.

ARCHI-

ARCHIBALDI PITCARNII OPUSCULA MEDICA, quorum nunc multa primum prodeunt. Editio tertia Edimburgensi auctior.

Roterod. apud Fritsch & Bœhm, 1714, 4. Alph. 1 plag. 13.

PRima dissertationum Medicarum Medici insignis *Pitcarnii* editio prodiit Roterodami A. 1701, altera Edinburgi A. 1713. In prima continentur 1 Oratio Autoris inauguralis, sub auspicium Professionis Medicæ Lugduni Batavorum d. 26 Aprilis A. 1692 habita, qua ostendit, Medicinam ab omni Philosophorum secta liberam esse: 2 Theoria morborum oculi, in qua ex distantia foci a crystallino colligit, nullorum in cornea, nedum in aqueo humore sitorum corporum imagines in oculo pingi, quod ultra 3 semidiametros crystallini cum semisse ab eo distent: 3 Dissertatio de circulatione sanguinis per vasa minima, edita Lugduni Batavorum A. 1693, ubi Geometrice ostendit, secretionem non requirere poros figuris particularum similes & poris figuram circularem, orificiis eorum amplitudinem diversam vindicat: 4 Dissertatio de causis diversæ molis, qua fluit sanguis per pulmonem natis & non natis, edita 1693, in qua communem plerorumque Medicorum opinionem destruit, quod aer in pulmonibus sanguinis misceatur & cur fœtus in utero sine respiratione vivere possit, in lucem vero editus minime, disquirit: 5 Dissertatio de motu, quo cibi in ventriculo rediguntur ad formam sangnini reficiendo idoneam, edita 1693, in qua contendit, cibos in ventriculo digeri solo ventriculi motu, sine ulla putrefactione, concoctione, fermentatione, solutione (hypothesin hanc, nuperrime a Cl. *Hecquéto* Medico Parisino quoque propugnatam, strictim proposuimus in Actis A. 1713 p. 556:) 6 Solutio problematis de inventoribus, edita Edimburgi 1688 & auctior Lugduni Batavorum 1693, qua regulæ nonnullæ proponuntur ad inventores agnoscendum utiles Nostro visæ: 7 Dissertatio de circulatione sanguinis in animalibus genitis & non genitis, edita 1693, ubi expendit affectiones aliquas circulationis sangninis ab aliis non observatas: 8 Dissertatio de curatione febrium, quæ per evacuationem instituitur, edita Edimburgi 1695, in qua impugnat receptam opinionem de febrium ex vitio partium sanguinis fermentescentium ortu, & e-

vincere ſtudet, depelli non modo febres ſed & alios morbos melius per ſecretionem articularem ſeu tranſpirationem, quam per ventralem: 9 denique Diſſertatio brevis de opera, quam præſtant corpora acida vel alcalica in curatione morborum. Quamvis vero hæ diſſertationes hactenus in omnium fuerint manibus, qui ultra vulgus Medicorum ſapere volunt, ut adeo ſupervacanea cenſeri poſſit prolixa earundem recenſio; cum tamen plurima ſelecta & notatu digna in iisdem occurrant, nonnulla paſſim inde decerpere & in uſum naturæ curioſorum huc transferre libet, antequam ad eas diſſertationes pedem promoveamus, quæ tertiæ editioni nunc acceſſerunt, diſtinctius a nobis commemorandæ.

Cauſarum phyſicarum inveſtigationem, qualem Philoſophi inſtituere ſolent, Medicis neque utilem, neque neceſſariam eſſe cenſet, cum in medicina pro principio aſſumendum non ſit, de quo diſputant Viri mathematice docti & minimis præjudiciis irretiti. Quoniam vero Medicorum eſt, ut morborum & medicamentorum vires, quæ per operationes inveniri poſſunt, expendant & ad leges revocent, non autem ut cauſis phyſicis eruendis inſudent, quæ nonniſi ex prius inventis virium legibus deduci poſſunt, nec inventæ Medico profuturæ; ideo ſuadet, ut Aſtronomorum inſtitutum ſibi imitandum proponentes, obſervationes circa morbos morborumque auxilia conferant & nulla habita opinionum ratione ex eo, quod fieri ſolet, quid futurum ſit ac faciendum, colligant. At tum demum Aſtronomos imitabuntur Medici, ſi illorum more obſervationibus & experimentis graviter incumbent, ſi ſtudio Matheſeos præſertim ſublimioris judicii quoddam acumen & meditandi habitum ſibi comparabunt, ſi denique Aſtronomiæ operam navabunt, ut, quos imitari debent, eos intimius norint. Noſtro itaque judicio ſtudia ſolidiora ſupponit methodus tractandi Medicinam *Pitcarnianæ*: abſit ut nobis perſuadeamus, quod Doctores ignorantiæ infelices *Pitcarnii* interpretes, quo deſidi placeant turbæ, ingeminare ſolent, eam ſtudio Mathematico, Phyſico, Anatomico, Chymico, Botanico infenſam eſſe. Morbi plerique, judice Noſtro, vitio circulationis in vaſis minimis oriuntur: quæ cum nondum ſatis explorata ſit;

non

non miratur, quod, invento ab *Harvæo* ſanguinis circulo, non major in arte Medica facta ſit mutatio. *Williſio* propoſitum eſſe judicat, Medicæ artis fundamenta evertere, quod omnis ejus ars nitatur incerta ſanguinis in omnem partem divagatione & liquoris præſertim nervei per quascunque vias ſpontaneo itu reditque: in ejus ſcriptis non alia contineri niſi vetera novis vocibus involuta. Quod per poros diverſimode figuratos ſemper transmittantur figuræ diverſi generis, non tantum unius, ut vulgata fert ſententia, ita demonſtrat. Sit cribrum foraminulis circularibus pertuſum: per hoc tranſibunt ſphæræ, quarum diameter non excedit diametrum foraminulorum. Sit præterea ſphæroides, cujus diameter longior major, brevior autem minor diametro foraminuli: unus erit caſus, quo per cribrum non tranſibit, nempe ſi diameter longior fuerit diametro foraminuli parallela; aſt infiniti ſunt caſus, quo tranſibit, nempe ſi diameter brevior diametro foraminuli parallela aut ſub quocunque angulo ad eandem inclinata. Sint adeo conditiones admittentes $= a$, excludentes $= b$, vices admiſſionis $= m$, excluſionis $= n$: erit exſpectatio admiſſionis $(am + bn) : (m + n)$ per ea, quæ in Actis hujus anni dicta ſunt. Eſt vero n reſpectu ipſius m infinita, adeoque ob m & am quantitates infinite parvas, valor exſpectationis $am : m$ ſeu a. Patet adeo, admiſſionem ſemper fieri. Eodem modo demonſtrat, excluſionem ſemper obtingere, ſi in ſecretione requiratur pororum & partium congruentia. Ad *Richardi Lowweri* experimentum, quo ſanguini in pulmonibus aerem permiſceri probat, quia in arteriam pulmonis atrum impelli, at ex vena pulmonis floridum & rubicundum prodire obſervatur, reſpondet, Autorem ejus non probaſſe (quod tamen maxime fieri debebat) mutationem illam coloris non poſſe oriri aliunde quam ex aeris permiſtione, cum ab alterna compreſſione vaſorum pulmonis & hinc nata partium fluidi transcurrentis ſolutione, ab aere elaſtico & gravi irruente &c. pendere poſſit. Ex *Joh. Mayowii* experimento, quo ſanguinem jam pridem emiſſum non adeo ſe in vacuo *Guerickiano* expandere ac arterioſum recentem conſtat, inferri poſſe negat, quod ideo plus aeris in illo contineatur, cum fluidum aliud alio facilius aerem elabi patiatur. Et hoc quidem

quod

quod Noſter gratis aſſumit, experimentis ſæpius iteratis aliquot abhinc annis comprobavit *Cl. Wolfius*. Cum enim ipſe ſentiret, ſpiritum vini in vacuo *Guerickiano* adeo expandi, non quod plus aeris in eo contineatur, quam in aqua, ſed quod aqua ſpecifice levior exiſtat; nec ignoraret, fluida per calorem ſpecifice leviora reddi, aquam, lac, urinam &c. vel ad fornacem hieme calefecit & eandem in omnibus fluidis expanſionem notavit. Immo quod notatu dignum eſt, aqua leniter calefacta, ut tactus calorem vix diſgnoſceret, in tantum volumen expanſa, etiamſi in vacuo *Guerickiano* aere antea fuiſſet privata. Similiter ſanguinem ex naribus emiſſum & per horam ac amplius in vaſe detentum perinde expandi didicit, ac ſi recenter emiſſus eſſet, modo ad fornacem collocaretur, ne calor omnis in auras avolaret. Calor nimirum non modo gravitatem fluidorum ſpecificam imminuit, verum etiam elaterem aeris incluſi intendit, ut facilius erumpat. Inventorem cenſeri debere ſtatuit Cl. *Pitcarnius*, qui primus ea tradidit, ex quibus id ipſum facilius deduci poteſt, quam ulla primi *Euclidis* propoſitio ex ejusdem axiomatis, definitionibus & poſtulatis, dumque ea traderet, non fuit occupatus in iis corollariis deducendis, quæ millies minoris momenti & utilitatis ſunt, quam illud eſt, de quo quæritur. At ſi neque ea tradiderit primus, ex quibus inventum ea facilitate colligatur, neque inventum ipſum diſerte explicuerit, ſed prolixe & diſerte infinita alia minimi momenti protulerit, tanquam ex datis emanantia, illum non eſſe inventi, de quo quæritur, cenſendum autorem. Addit 2: eum inventi auctorem eſſe habendum, qui primus de eo publice locutus ſit & eodem modo, quo poſtea de eo locuti ſint alii, quibus nemo notitiam ejus dubiam reddit, neque ſimul & quidem æque vel magis diſerte alia tradiderit invento propoſito contraria. At ſi non aliter de eo locutus ſit, quam loqui ſolent ii, quos nemo non fatetur inventi eſſe ignaros, aliaque plurima ſæpius diſertiusque tradiderit invento illi adverſantia, eum inventorem non debere cenſeri. Cum per experimenta *Sanctorii* conſtet, excretiones per alvum, veſicam & cutem eſſe ut 1, 4 & 10; decuplo probabilius eſſe infert, febrim & morbum quemcunque intra animal ortum ſudando potius, quam cacando depulſum iri: hinc eos redarguit,

arguit, qui febres continuas per purgantia depellere conantur.

Enimvero noſtrum potiſſimum inſtitutum eſt, ut de iis diſſertationibus dicamus, quæ in editione prima deſiderantur. Primum inter eas locum obtinent obſervationes de fluxu menſtruo, ſequuntur aliæ de ingreſſu luis venereæ, de variolis, de diviſione morborum, de affectione ſcorbutica. His ſubjicitur diſſertatio de legibus hiſtoriæ naturalis edita Edimburgi 1696, tandemque colophonem imponit epiſtola prolixa *Thomæ Boeri*, Medici Scoti & in Academia nobili Abredonenſi Matheſeos Profeſſoris, qua reſpondetur libello *Aſtruccii*, Medici Pariſienſis & Academiæ Regiæ Scientiarum Socii, adverſus *Pitcarnii* diſſertationem de ciborum digeſtione per triturationem ſolam edito.

Fluxus menſtrui cauſam agnoſcit, quod in homine creſcendi finem adepto plus ſanguinis quotidie generetur, quam ad nutriendum requiritur, eadem manente per aliquot annos ab eo tempore vi ventriculi. Hinc quantitatem ſanguinis, quæ ſupra amiſſum indies congeritur, inveniri cenſet, ſi quantitas expulſi per numerum dierum horarumve inter duas hæmorrhagias intercedentium dividatur. Cur fœminæ fluxum menſtruum habeant, non viri, rationem hanc reddit, quod ſanguis in fœminis per aortam deſcendentem majori momento feratur quam in viris, pluribus quippe ramis in illis quam in his inde prodeuntibus iisque amplioribus, & arteriis in utero aeri expoſitis. Sanguinem ex parte corporis infima ſecerni ſtatuit, quia ibi latera vaſorum horizonti parallela adeoque vis gravitatis major. Priusquam ſanguis fluat, tenſiones vaſorum dolores comitari; chalybem gravitate ſua fluxum provocare & ſanguinem ætate provectiore augeri, quod cordis & ventriculi vires in ratione molis augeantur. Vi hujus theoriæ fluxum menſtruum definit per plethoram ad vaſa uteri aeri expoſita, definitione nempe cauſali.

Quamvis corporis animalis partem inflammari poſſe ſtatuit, absque ulla contagii opera, & ſine alterius animalis contactu ulcerari, inflammationem inducente, quicquid ſanguinem ſemenve tadat. Hinc luem veneream oriri poſſe, nullo transmiſſo a majoribus contagio præſertim in regionibus auſtralibus, ubi exſpiratio major & res venerea frequentior. Morbum venereum in au-

ſtralibus tolli uſu ligni Guajaci, radicis Saſſæ, Oxypalathi, Bardanæ & ſimilium ex aqua decoctorum, quod ſudorem excitent & ſordes exſpirationis circa vaſa hærentes abluant: in borealibus metallis gravioribus veluti hydrargyro expelli, quia ſordes graviores denſioresque quam in auſtralibus. Immo ſi partes auri adeo atteri poſſint, ut ſanguini innatent; auro tutius atque citius quam hydrargyro luem veneream ſanatum iri exiſtimat. Monet, ſe ſæpius arſenicum exhibuiſſe non ſine ſucceſſu iis, qui doloribus ventris ferociſſimis cruciati, nullis auxiliis liberari poterant.

Variolis correptos hac methodo ſanari jubet. Febricitantibus ſanguinem eſſe mittendum, etiam cum variolæ jam eruperint, donec ceſſaverit febris. Hinc ægrum bibere debere aquam aliquam, Pharmacopœis propriam, quæ nihil ſapiat, & cui per horas aliquot ſtercus ovillum infundendum & poſtea opium addendum, ſi diarrhœa minatur. Pro potu commendat aquam hordei cum laudano & ſyrupo papaveris albi. Faciei nihil eſſe applicandum; die autem poſt eruptas variolas juſculum ex ſomine avenæ prodeſſe. Si die ab eruptione quinto, ſexto, ſeptimo vel octavo variolæ evaneſcant, venæ ſectione opus eſſe & cervici pulverem cantharidum applicandum.

In arthritide ſive podagra vomitoria prodeſſe cenſet, poſt illa Mercurium ſenſim datum. Parti dolenti applicanda eſſe lintea madida liquore, qui aquæ fontanæ ferventis libras octo, arſenici albi vel flavi uncias duas, calcis vivæ uncias ſex recipit, ſubdito igne lento per 24 horas. Prodeſſe etiam, ſi libris 12 vini albi vel cereviſiæ affundantur libræ 4 lactis ferventis & abluto coagulo immittatur libra una baccarum oxyacanthi omnibusque per horæ dimidium coctis mane & veſpere exhibeatur ægro libra una.

Diviſionem morborum quadruplicem affert. Alios enim eſſe canalium ſtatuit, alios fluidorum, alios ex utrisque compoſitos, alios denique extra animal ſitos. Singulorum exempla affert & inde quædam corollaria ad praxin profutura derivat. Artem medendi nullam eſſe pronunciat, medicamentorum inventionem caſui adſcribens. Unde medicinam definit per memoriam

riam eorum, quæ cuilibet morbo usus ostendit fuisse utilia: E. gr. casu febricitantes sanari exhibito Cortice Peruviano, qui China Chinæ dicitur, neque enim corticis, sanguinis aut motus quartanam excitantis naturam esse notam.

In dissertatione de legibus historiæ naturalis id potissimum agit Cl. Autor, ut *Robertum Sibbaldum*, qui A. 1684 Prodromum Historiæ naturalis Scotiæ edidit, labori huic prorsus imparem fuisse multosque errores commisisse ostendat: quod ut eo evidentius fiat, regulas quasdam præmittit, quæ ex ipsius sententia in conscribenda historia naturali observandæ. Censet nimirum 1 historiæ naturalis autorem nulli Philosophorum sectæ debere esse addictum, quæ principiis Mathematicis non nitatur; 2 non scribere nisi oculis propriis usurpata; 3 iis artibus instructum esse, quæ rationem figuras atque facultates corporum ab invicem secernendi docent; 4 ante absolutum historiæ opus non delabi ad problema aliud difficilius, quodque nisi absoluta historia solvi non potest. Has regulas omnes neglexisse *Sibbaldum* fuse ostendit, ita ut tandem appareat, *Sibbaldi* historiam Scotiæ naturalem esse nullius momenti.

THE ANATOMY OF HUMANE BODY, &c.

i. e.

ANATOMIA CORPORIS HUMANI, FIGURarum, potiores partes advivum adumbrantium, viginti tribus Tabulis æneis illustrata; Autore W. CHESELDEN, Chirurgo & Societatis Regiæ Socio.

Londini, ap. Wilh. Innys & reliquos, 1713, 8.

Plag. 19 & fig. æn. 23.

AUtor præsentem Anatomen in usum edens eorum, qui ipsa in Medicina & Chirurgia proficere annituntur, studio non solum varias subtiliores, minus necessarias, divisiones omisit, sed & iis præcipue partibus, quæ figuram & situm constantem servare solent, suam impendit operam. Cum vero vix quicquam absurdius videatur, quam unam partem describere per alteram nondum descriptam & cognitam, ideo ab ossibus auspicatur, quod sine hisce musculi nequeant intelligi; ea tamen ratione in

Lib. I ossa pertractat, ut simul de cartilaginibus, ligamentis & junctura rum glandulis lubricantibus sit solicitus. Hinc in *Lib. II* ad musculos tanto magis progreditur, quanto minus absque eorum cognitione vascula designari valeant, quæ per illos seruntur. Tum in *Lib. III* viscera cum integumentis tali methodo explanat, qualis potissimum ad œconomiam animalem cognoscendam possit conducere, utpote præter integumenta communia & membranas, distinctis capitibus glandulas salivales, omentum, ductum alimentorum & mesenterium, hepar, folliculum fellis, pancreas & lienem, vasa lactea, pulmones, pericardium & cor, arterias & venas, vasa lymphatica glandulasque concomitantes, meningem duram & piam, atque cerebrum, cerebellum, medullam oblongatam & spiralem, exhibens. In *Lib.* denique *IV* circa urinæ & generationis in utroque sexu organa, fœtum in utero degentem, atque oculos & aures occupatur, tum huic, tum reliquis Figuras subnectens, quæ partes descriptas ad vivum repræsentent, hinc inde autem Observationes proprias interspergens, e
p. 70. quibus sequentes sufficerit apposuisse. In duobus nempe corporibus a se dissectis collum ossis femoris fractum detexit, ob quam fracturam per abbreviatus occasionem dederit femur luxatum
98. falso conjiciendi. In fœmina, a tumore aliquo suffocata, per anatomen deprehendit, quomodo talis tumor vere scirrhosus 16 unciarum pondere in altero latere a sterno usque ad glandulam
99. parotidem extiterit protensus. Tan sillas scirrho affectas haud omnes censet extirpandas, quo aliqua eorum portio relicta ci-
109. bum masticatum in pharyngem adhuc queat dirigere. In subjecto muliebri tres aliquando lienes, in virili autem hepatis molem, 14 libras & 4 uncias adæquantem, pariter annotavit, ac in
110. alio ex ictero denato ductum choledochum communem a pancreate scirrhoso compressum, e diverso bilis folliculum, ductus
126. felleos & cyst-hepaticos multum dilatatos. In muliere ab hydrope extincta semilunares aortæ valvulas lapide calcario vidit opertas, hydropem eatenus post se relinquente, quatenus earum munere sic sublato sinister itidem cordis ventriculus a sanguine, hunc nimium replente, nimiumque distendente, in contractione
137. sua fuerit impeditus. In non nemine, qui cum gutta serena vi-

vere

vere deſiit, omnes cerebri ventriculi lympha turgidi apparuerunt, ac thalami nervorum opticorum nervique optici, dum e cranio elabuntur, ad planitiem compreſſi. De cetero in Præfamine Noſter operam, a D. Douglas Anatomico & Green atque Ferne Chirurgis ſibi præſtitam, gratus extollit, variasque Figurarum Tabulas non minus, ac exactiorem muſculorum deſcripticnem laudato Douglas fert acceptas. Quemadmodum vero Librorum contenta & introductionem, conſtitutivarum corporis animalis partium definiendarum gratia, præmiſit, ita ſyllabum ſive indicem humani corporis partium anatomicum ſub calcem adjecit, in 35 Prælectiones diſtinctum.

LIBRI NOVI RUSSICO IDIOMATE conſcripti.

DUm in eo ſumus, ut librorum quorundam Ruſſici idiomatis mentionem faciamus, non eſt nobis diſſimulandum, Ruſſos hodie ad exemplum Polonorum vicinorum vocabulis exoticis Germanicis pariter atque Gallicis, illis præcipue, quæ ad Jurisprudentiam, Politicam, Architecturam artemque bellicam pertinere videntur, copioſe uti ab aliquo tempore conſueviſſe. Quam dicendi rationem non tantum in ſcriptis diligenter obſervant, ſed etiam in variis ſermonibus, quos quotidie inter ſe invicem miſcent, neceſſitate non urgente cum ſumma ſollicitudine & affectatione quadam retinent, eo potiſſimum conſilio, ut pro doctioribus inpoſterum haberi velint. Etſi vero ſeniores puritatem linguæ Slavonicæ, quæ omnia animi ſenſa ſufficienter exprimere poteſt, nec peregrinis notionibus indiget, amare pergant, eandemque omni modo conſervare conentur, attamen hæc conſuetudo inter reliquos indies invaleſcit.

TRUDI MARSA ROSSIISKAGO &c.

i. e.

LABORES MARTIS RVSSICI, SIVE BELLICÆ expeditiones S. Czareæ Majeſtatis adverſus hoſtes.

Petropoli, 1713, fol. cum 26 fig. æn.

QUemadmodum præſens libellus ad illuſtrandam modernorum bellorum hiſtoriam multum conferre poteſt, ita eo ma-

jorem fidem meretur, quod ipsius Augustissimi Cæsaris, qui plerisque omnibus præliis obsidionibusque præfuit, auspiciis in lucem emittatur. Figuræ æri incisæ partim urbes a Russis occupatas, Narvam, Revaliam, Pernaviam, Elbingam, Rigam, Stetinum aliasque, partim prælia ad Calisiam, Pultavam & reliqua inde ab anno 1702 ad nostra tempora repræsentant, quibus singulis descriptio topographica æque ac historica omnium rerum gestarum, nec non occisorum, vulneratorum captivorumque recensus adjicitur. Non possumus vero, quin primæ tabulæ mentionem faciamus, quandoquidem in ea caput supremi Russorum Monarchæ laurea coronatum inter trophæa & insignia artium tam bellicarum quam liberalium conspicitur, cum inscriptione rhythmica Russica in hanc fere sententiam:

Orbis Hyperborei moderator, maxime Cæsar,
Quæ Tibi bellandi gloria major erit?
Finibus anne Tuis sævos fugasse tyrannos,
An regnis Regis adseruisse suis?

Etenim per sævos tyrannos infideles indigitari nullum nobis est dubium.

GEOGRAPHIA ILI KRATKOE SEMNAJO kruga opisanie.

i. e.

GEOGRAPHIA, SIVE BREVIS TERRARVM orbis descriptio.

E typographia quæ Moscuæ est, 1710, 8.

Dividitur opus in quatuor partes, quarum prima Europam delineat, ac in specie de Hispania, Gallia, Italia, Germania, Belgio, Dania, Polonia, Anglia, Hungaria & Tartaris Crimensibus agit, trium vero reliquarum contenta circa regiones Asiæ, Africæ & Americæ versantur. In Prolegomenis de globo, circulo æquinoctiali, æquatore, zodiaco, zonis, ac polis disseritur; in ipsa vero tractatione de Russorum Imperio, cujus memorabilia ex instituto commemorari debuissent, pauca saltem proferuntur, forsan ideo, quod Autori non nisi versionem aliorum Compendiorum Geopraphicorum hac vice adornare, ac inposterum plura superaddere visum fuerit. Interea unum vel alterum annotare juvabit.

juvabit. Sic p. 16 observatur, Hispaniæ vocabulum esse Slavonicum, quod veteres coloni *is Pania* h. e. ex Pania, provincia Asiæ, migrantes regno dederint. Pag. 27 *Kesarskaja Zemla* h. e. Cæsarea terra sive Germania describitur, Germanisque inter alias artes inventio typographiæ tribuitur. Pag. 50 linguam Hungaricam cum nulla alia quam cum Jugorica convenire asseritur, ut alia taceamus. Illud unum adhuc notamus, Virum nobilissimum, Dn. *Pauce*, ipsius Imperatoris Russici jussu, in integro quodam Geographiæ systemate Russico idiomate concinnando nunc occupari.

ISTORIA O ORDINACH &c.

i. e.

HISTORIA ORDINUM SIVE DIGNITATUM MILITARIUM & equestrium, eorundemque fundatio, praxis, requisita & insignia; Autore ADRIANO SCHOONEBECK.

Moscuæ, 1710, in 8. Alph. 1 pl. 8 & figg. æn. 40.

UT meliora seligeret Potentissimus Cæsar statuta ac morem equitum, pro ferendis legibus instituti a se ordinis S. Andreæ, hunc librum, Amst. 1699 Gallice editum, in linguam Russicam transferri, novam versionem figuris elegantissimis, ab ipso Autore, cælatorum principe, qui hactenus in Moscovia commoratus, nuper illic vitam finivit, exornari jussit. Nos rerensione operis nunc facile supersedemus, cum de Gallica editione abunde dictum sit Tomo III Supplem. p. 534 sq.

ISTORIA O RASSORENIE &c.

i. e.

HISTORIA DEPOPULATIONIS SANCTÆ urbis Hierosolymitanæ per Imp. Romanum Titum A. D. 72.

item

WTORAIA O WSIATII &c.

i. e.

DE EXPUGNATIONE CELEBRIS METROpoleos Græciæ Constantinopoleos per Turcarum Sultanum Ottavum Mahometh, A. post C. N. 1453 facta.

Mos-

Moſcuæ, 1713, menſe Novembri, 8. Plag. 18 & figg. æn. 5.

IUnctim hæ deſcriptiones juſſu S. Czareæ Majeſtatis in lucem prodeunt, quarum prior ex Flavii Joſephi libro ſexto de bello Judaico depromta eſt, poſteriori aliunde decerptæ delineatio Conſtantinopoleos, additis numeris, quibus palatia, fana, & balnea deſignantur, adjungitur. Figuræ famem Hieroſolymitanorum ac matrem proprios filios mactantem, varia prodigia urbi interitum præſagientia, ſupplicia & cruciatus aliaque ob oculos ponunt. In fine p. 301 annexa eſt inſcriptio Græca, reperta in ſepulchro Conſtantini Magni, quam Cl. Bandurus etiam Antiqq. CPtanarum Tomo I Parte III p. 184 ſqq. cum explicatione erudita inſeruit. Tum hujus explicatio literarum ſeu abbreviaturarum Græcarum interprete Gennadio Patriarcha in lingua Græca, eademque inſcriptio Slavonice explicata legitur.

OPISANIE ISTORII W NEISGE PISCHET o raſoremii Grada Troi.

i. e.

INDEX HISTORIÆ BELLI TROJANI.

Moſcuæ, 1712, menſe Junio, 8.

CIrca hunc librum nihil amplius monendum erit, quam quod ſcripta Dictys Cretenſis & Daretis Phrygii de bello & excidio Trojæ, quorum editionem recentiſſimam in Actis 1702 p. 49 ſqq memoravimus, ad mandatum Potentiſſimi Cæſaris in linguam Slavonicam translata hic legantur.

APOPHTHEGMATA, TO IEST; KRATKICH witiewatych i nrawoutſchitelnich retſchei.

i. e.

APOPHTHEGMATA, SIVE BREVES SALE conditæ & morales ſententiæ; Libri tres.

Moſcuæ, 1712, 8.

EX Diogene Laertio, Plutarcho, Stobæo, Eraſmo aliisque præſens collectio deſumta, ac in tres libros diviſa eſt, quorum primus multorum Philoſophorum ſapienter dicta enarrat, ſecundus Imperatorum Romanorum, Regum, Ducum, Senatorum aliorumque illuſtrium Virorum ſententias politicas recenſet, & tertius Lacedæmoniorum ſales Atticas annectit.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris Anno M DCC XIV.

HISTORIA PATRIARCHARUM ALEXANDRINORUM Jacobitarum.

Parisiis, apud Franciscum Fournier, 1713, 4 maj. Alph. 3 pl. 14 ½.

QUinque affluxerunt anni, ex quo Io. Bapt. Sollerii *Tractatum Historico-Chronologicum de Patriarchis Alexandrinis* laudavimus, simulque meminimus, Cl. *Davidem Wilckins* locupletissimam Ecclesiæ Alexandrinæ Historiam composuisse, prelo jam paratam. Non deterritus his Cl. Eusebius Renaudotius, qui nomen suum in titulo omissum Dedicationi præscripsit, cujusque aliud Opus, Historiam Ecclesiasticam illustrans, *A. 1711 p. 532* recensuimus, jam in publicum emittit præsens multis annis elaboratum Opus, in quo se multo plura, quam Sollerius, & certiora ex variis autoribus collegisse profitetur, quæ si non totius Ecclesiæ Alexandrinæ, saltim partis illius, quæ per Dioscorum & ejus successores a Catholica Ecclesia avulsa est, historiam illustrent. Statim in Præfatione fontes indicat, ex quibus Historiam suam hausit, atque adeo, addito de cujusque fide & autoritate judicio, Historicos Orientales recenset cum editos, Elmacinum, Eutychium, Abulfaragium, Benarrahebum, tum ineditos, Severum, Aschmoninæ Episcopum, (autorem Historiæ Patriarcharum Alexandrinorum, ex qua Renaudotius scribit colligi posse magis accuratam rerum Ægyptiacarum Christianarum historiam, quam ex editis scriptoribus quibuscunque,) Severique continuatores, Michaelem, Episcopum Taneos, Mauhubum, Marcum filium Zaraa, & Abulbircatum. Dicit quoque sententiam suam de Kircheriano Patriarcharum Alexandrinorum Catalogo, quem pla- A. 1709. p. 536. 539.

ne factitium esse & ab Ægyptio aliquo imperite concinnatum scribit: item de Jobi Ludolphi Historia Æthiopica, quam multorum, magnorumque nævorum ream facit: denique de Wanslebii Historia Ecclesiæ Alexandrinæ, quam de meliore nota commendat. Hactenus Præfatio.

Initio statim Operis fatetur Autor, Orientalem historiam non esse semper sinceram, sed multis passim corruptam fabulis, adeoque se relaturum traditionem Orientalium, prout eam in ipsorum scriptoribus invenerit. Sic illi de Marco Evangelista, qui primus fertur Alexandrinus Patriarcha, tradunt, eum non Judaicæ fuisse originis, sed Africanum, ac Barnabam habuisse patruum: postea cum neptem Barnabæ uxorem duxerit Petrus Apostolus, hac occasione Marcum in amicitiam Petri pervenisse factumque Christianum esse. Ut miracula, quæ ei tribuunt, prætereamus, porro scribunt, Marcum fuisse unum ex LXX Christi Discipulis, item unum ex ministris illis, qui in nuptiis Canæ Galileæ celebratis hauserunt aquam in vinum mutandam. Ceterum cum Seldenus ex Eutychii relatione de duodecim presbyteris a Marco constitutis probatum iverit æqualitatem
2. 7 sqq. Episcoporum & Presbyterorum, Noster sollicite eum refutat, ostendens, Seldenum ignoratione linguæ Eutychium perperam interpretatum esse, & quæ is de electione dixerat, cepisse de ordinatione: prætereaque totam Eutychii narrationem rejicit tanquam falsam & inanem. Decimus Patriarcha fuit Demetrius,
20. notissimus Origenis adversarius, a cujus ævo cum minus obscura sit historia Ecclesiæ, tractata quippe a Græcis & Latinis scriptoribus, Noster subinde Orientalium traditionum, quas enarrat, modo obscuritatem illustrat, modo falsitatem detegit & revincit, e. g. insulsas de Origene fabulas. Inter hæc alia inspergit le-
28 sqq. ctoribus non ingrata, ut cum de appellatione *Papæ* differit, quod
31. nomen cum olim multis Episcopis & Patriarchis esset commune, duobus tantummodo proprium remansit, Romano & Alexandrino: cum Arabicæ hæreseos meminit, cujus autorem scri-
40--48. bit fuisse Beryllum, Bostrenum Episcopum: cum Orientalium traditiones refert de Manete, Manichæorum parente: cum o-
71 sqq. stendit, Canones Nicænos, quos præter legitimos viginti illos

Orien-

Orientalis Eccleſia agnoſcit permultos, non quidem eſſe proprie Nicænos, uti contenderint Franciſcus Turrianus & Abrahamus Echellenſis; ſed nec eſſe ſuppoſititios & ab impoſtore aliquo confectos, ſed eſſe Corpus Canonum Eccleſiæ univerſæ, multis interpolatum additionibus: cum obſervat, hiſtoriolam de Athanaſii baptiſmo puerorum ignotam eſſe ſcriptoribus Orientalibus, adeoque non immerito in dubium vocari. p. 85 ſq.

Sed redimus ad Hiſtoriam Patriarcharum, quorum vigeſimus quintus, *Dioſcorus*, Cyrilli Anti-Neſtoriani ſucceſſor, Neſtorianus fuit. 114.

Ab hoc Jacobitæ ſuorum Patriarcharum ſucceſſionem deducunt: contra Melchitæ ſeu orthodoxi (hæc enim diviſio ab illo inde tempore poſtea perduravit) Dioſcori ſucceſſores damnant, nec in Epiſcoporum habent numero. Hinc ingens in hiſtoria perturbatio ex ſucceſſionis iſtius diverſitate, quam explicare quidem conatur Noſter, quoad fieri poteſt, ita tamen ut, cum non tam eccleſiæ Alexandrinæ, quam ſectæ Jacobiticæ res perſequatur, de hæreticis illis patriarchis, quorum hucusque memoria fuit obſcuriſſima, plura omnino, quam de ceteris, proferat.

Jacobitæ autem illi, etſi aperte damnant Eutychen, veri tamen Eutychiani, ſive Monophyſitæ ſunt. 118.

Dioſcoro ſucceſſit, ejecto Proterio, Timotheus Ælurus, pariter ab orthodoxia averſus: nec tamen usque ad Muhamedana tempora hæretici unquam integre obtinuerunt Eccleſiam Alexandrinam. Immo per totum illud tempus, quod a Juſtini Juſtinianique imperio effluxit usque ad captam Ægyptum, non modo cathedram Alexandriæ non habuerunt Jacobitæ, ſed nec Eccleſias, in quibus ſua ſibi ſacra facerent, habere per leges Imperatorias illis licuit. Unde coacti ſunt recipere ſe in Thebaidis monaſteria, ubi ſedem fixerunt eorum Patriarchæ usque ad Benjaminem, qui demum A. C. 640 ex illis latebris emerſit, & æqualem cum orthodoxo Patriarcha libertatem dignitatemque obtinuit, qua adhuc ſucceſſores gaudent. 122.

Ceterum Timotheo, quem diximus, ſucceſſorem Jacobitæ dederunt Petrum Moggum, famoſum in hiſtoria eccleſiaſtica virum, quem Kircherus male confundit cum Petro Gnapheo, qui quidem & ipſe fuit Jacobitarum Epiſcopus, ſed Antiochenus, non Alexandrinus. Sub trigeſimo ſecundo

p. 133. 156. Patriarcha, Timotheo juniore, qui A. C. 535 obiit, vixit Jacobus ille Zanzalus, a quo Jacobitæ nomen acceperunt. Poſtea vero, quam Muhamedani Ægypto ſunt potiti, hi commune jus conceſſerunt æque Jacobitis ac orthodoxis. Hinc ex illo tempore ad præſens usque duos Alexandria habuit Patriarchas, orthodoxum, qui vulgo Melchitarum appellatur, & hæreticum Jacobitarum. Hoc etiam inter eos intercedit diſcrimen, quod orthodoxi Græca, Jacobitæ Coptica lingua ſacra faciunt. Ceterum hac occaſione Cl. Autor non ſolum chronologicam Califarum ſive Muhamedanorum Principum ſucceſſionem accurate conſtituit, e. g. *p. 167, 174, 198, 212, 240, 309*, &c. ſed etiam hiſtoriam eorum diligenter perſequitur. Paſſim etiam enarrat Muhamedanorum in Chriſtianos perſecutiones, ſæpe diriſſimas. Verum non licet nobis omnia perſequi. Unde & hic excerpſiſſe quædam ſufficiat. Dignum relatu videtur, quod ſub Marco, Patriarcha XLIX, 248 ſq. ſeculo IIX Abrahamus quidam Epiſcopus realem negavit præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia. Legi etiam merentur, quæ de Almamonis, ſeptimi Abbaſidarum, qui 274 ſq. A. C. 833 obiit, meritis in rem litterariam prædicantur. Sic & accurate copioſeque agit de Eutychio Batricide, Melchitarum 246 ſqq. Alexandriæ ſeculo X Patriarcha, oſtenditque, Seldenum in ejus hiſtoria multa peccaſſe, eo quod in hiſtoria Orientali, judice quidem Noſtro, eſſet infantiſſimus. Memorabile non minus eſt, quod de Califa Hakemo, qui A. C. 1020 obiit, legimus. Is in vita crudeliſſimus fuerat homo, & acerbiſſimis vexationibus Chriſtianos erat perſecutus. Poſt ejus mortem multi impoſtores, qui eum aliquatenus referebant, ſe ipſum eſſe mentiebantur: atque ita multi in eam adducti opinionem ſunt, 400. in vivis adhuc eſſe Hakemum. Inter illos præcipuus fuit *Cherutus* quidam, Hakemo ſimillimus, qui per multos annos a plurimis pro Hakemo habitus atque cultus eſt, licet latuerit, & omnibus ſilentium & ſecretum imperarit. Neque mirum eſſe debet, (ita pergit Renaudotius,) homines credulos & ſuperſtitioſos, qui *Mehedim*, hoc eſt, Meſſiam quendam exſpectabant, ut illum adhuc Perſæ exſpectant, talibus fabulis deceptos fuiſſe circa Principem, qui ex ea familia eſſe credebatur,

ex

ex qua prodire debebat Messias ille seu Mehedi. Porro etiam refert Noster traditionem, a multis relatam autoribus, quod Rex Æthiopiæ Nili fluxum aliam in regionem avertere possit atque ita Ægyptios in summam adducere miseriam. Sed non est credulus huic fabulæ, addens, Balthasarem Tellezium, Jesuitam, in sua Historia Æthiopiæ demonstrasse, causam incrementi Nili esse imbres, qui in Æthiopia continui ac largissimi decidant mense Majo, & immensam illam vim aquarum producant, quæ Nilum augeant tantopere, ut Ægyptum omnem inundet. p. 480 sqq.

Ad historiam litterariam pertinet, quod de Salaheddini, qui seculo XII imperium Ægypti occupavit, bibliotheca tradit constanti centies mille voluminibus. Non mirabitur, inquit Noster, tantam librorum multitudinem, qui sciet, exstare apud Muhametanos infinitam eorum copiam. Sola Hadgi Calfæ, qui ante paucos annos Constantinopoli vivebat, bibliotheca quadraginta & amplius millia titulorum complectitur, quorum librorum plerique non uno volumine comprehenduntur. Ita ante annos circiter ducentos Ismael quidam Abulcacem invitatus a Noah filio Almansoris Samanide, ut ad se veniret, excusavit se, quod libros suos transferre vix posset, quibus deferendis quadringenti cameli vix sufficerent. 536 sq.

Hæc Renaudotius. Nec præterit Rasche Galut sive Æchmalotarchas Judæorum in Ægypto, demonstrans, quam vana sit Judæorum de illis gloriatio, cum Æchmalotarcha eodem prope jure Judæos regat, quo Patriarcha Christianos, & ut iste a Clero & primoribus laicorum, ita ille a Judæorum optimatibus & plebe eligatur, ejusque electio confirmetur a Principe Muhamedano: ut adeo Æchmalotarchæ illi non Principes sint, sed Doctores. 594 sq.

Septuagesimus quintus Alexandrinorum Jacobitarum Patriarcha fuit Cyrillus, A. C. 1243 mortuus, in quo desinunt historiæ Alexandrinæ scriptores, quos Noster secutus est. Igitur successorum ejus ad nostram usque ætatem Catalogum duntaxat exhibet, multis tamen observationibus distinctum, quem primus publicavit ex Abulbircato Wanslebius. 599.

Ultimus isque centesimus tertius est *Ioannes Tukhi*, qui A. C. 1703 Chrisma magno apparatu consecravit:

id quod ducentis retro annis factum non fuerat. Ceterum ſubinde etiam recenſentur miracula, quæ jactant Jacobitæ. Fatetur tamen Noſter, ſe iſtis narrationibus nihil fidei habere. Maxime notanda ſunt ejus verba *p. 407: Miracula illa non aliter accipienda ſunt, quam vanæ otioſorum hominum fabulæ, quas non tam fallendi aut ſectam ſuam commendandi ſtudio excogitant, quam ut Chriſtianos duriſſima Saracenorum ſervitute conflictatos talibus miraculis in officio contineant, & a fide abneganda deterreant.* Denique Noſter Autor promittit in fine Præfationis Diſſertationes *de Eccleſia Neſtoriana*, quod promiſſum repetit in ipſo libro *p. 112 & 155*: item *p. 118* Diſſertationem *de fide Jacobitarum*: *p. 150* aliam *de Maronitis*: *p. 337 de Eccleſia Æthiopica*: *p. 408 de ritibus pœnitentiæ*: ac denique *p. 421 Notas ad Liturgias.*

Geſchicht-Schreiber von dem Biſchoffthum Wirtzburg.

h. e.

RERUM HERBIPOLITANARUM SCRIPTORES IN unum corpus redacti; Autore IO. PETRO LVDOVICO, ICto.

Francofurti, apud Thomam Fritſch, 1713, fol. Alph. II pl. 20 & fig. æn. 60.

EDitor Celeberrimus, magnum hactenus inter ICtos & Hiſtoricos nomen conſecutus, in eleganti operi huic præfixa præfatione rationem ſuſceptæ hujus collectionis reddit. Nimirum Juris publici ſingularium Germaniæ provinciarum uſum agnovit eximium tum in tractandis patriæ legibus & conſuetudinibus, quarum occaſiones ex hiſtoria patria nobis bene ſunt cognitæ: tum in cognoſcenda Domini & ordinum conditione, ne quis plus ſibi, quam par eſt, tribuat: tum demum in firmandis ſubditorum Juribus, ne illa a Domino temere peſſundentur. Accedit quod ſine accurata juris publici provincialis cognitione nemo ſolidi quidquam in Jure publico Imp. Romano-

mano-Germanici, in jure feudali, in jure denique patrio civili ejusque cum Romano differentiis præstare possit. Huic ergo defectui ut medelam aliquam, quantum in ipso est, Vir Celeberrimus pararet, hoc volumine Herbipolensium rerum Scriptores edere cœpit, non quod Franconicus circulus aliquid præ aliis habeat prærogativæ, sed quod primum ad manus essent harum rerum scriptores, qui justo volumini complendo sufficerent.

Primum ergo locum in hoc volumine occupat *Anonymi introductio ad specialem Franciæ Orientalis historiam*, quæ non eleganti solum stilo, sed accurate quoque & a Viro ejus historiæ non ignaro scripta est. Is c. 1 generalia quædam de Germania præfatus, scilicet de abusu illorum scriptorum, qui ab arca Noæ historiarum suarum initium facere consueverunt, de falso denegata Germanis ingeniis docilitate, & quæ alia hujusmodi sunt, ad generalem Germaniæ divisionem, ejusque populorum descriptionem progreditur, ad orientales Francos c. 10 demum reversus. Ibi gloria populi universam fere Germaniam quondam subjugantis, Romanumque imperium in se transferentis, decantatur, comparatio quoque eorundem cum Saxonibus, quos solos subjugare non poterant, instituitur. Sequuntur ritus ipsorum & consuetudines tum pacis tum belli tempore, paucis, sed quantum in re antiqua satis est, delineatæ. Succedit jam ipsa c. XI. Francorum historia, quæ a Valeriano Imp. usque ad Clotharii Francorum Regis tempora deducitur. Prima nempe Francorum apud Romanos mentio fit illo tempore, quo aliquot centum ipsorum Aurelianus Moguntiaci Præfectus nihil tale metuentes occidit & cepit. Gallieni tempore Franci Galliam & Hispaniam invadebant, varia tamen postmodum adversus Romanos fortuna usi. Ubi recte Autor observat, Romanorum historicis non semper fidem esse adhibendam, quum certum sit, nullum potuisse Francorum esse superstitem, omnes a Romanis enarratæ ipsorum clades veræ fuissent. Sequenti tempore quidam ex Francis ad Impp. Romanorum aulam pervenerunt, imo & Magnentius Francus Imperator salutatus est. Interea Reges, sive, ut alii, Duces ipsorum memorantur, qui, Nostro judice, natio- c. XII. nibus aliquot Francicis dominabantur. Primus, qui post sol-

lapsum

lapſum Romanorum Imperium, variasque inter Gallos, Vandalos & Francos turbas, univerſum Francorum imperium ſuſcepit, fuit Pharamundus. Succedebant ſub Clodione, Meroveo & aliis turbulenta in omnibus provinciis tempora, propter varias hinc inde populorum migrationes, diverſasque Romanorum, Hunnorum, Gothorum, Francorum, Vandalorum, Saxonum & aliarum gentium colliſiones. Pertexitur porro hiſtoria usque ad tempora Clotharii III, qui Franciam occidentalem, in varios Regulos hactenus diviſam, iterum conjunxit. Quum vero ſcriptum hoc titulum præ ſe ferat Introductionis in ſpecialem orientalis Franciæ hiſtoriam, in ejus autem prioribus capitibus in genere de Germania tota agatur, in poſtremis non niſi de occidentalium Francorum Regibus ſermo ſit, adeoque præter pauca quædam ex c. II & 12 adducta nihil fere de orientalibus Francis occurrat, ſuſpicamur, opus hoc non integrum hic prodiiſſe, ſed reliqua adhuc nobis eſſe exſpectanda. Capite ultimo pauca ſaltem de orientali Francia attinguntur, ubi explosis Trithemii & aliorum de initiis ejus provinciæ commentis, originem Ducum ejus a Gotberto, primo eorum, qui chriſtianam religionem amplexi ſunt, deducit, id quod circa medium ſeculi ſeptimi factum eſſe non temere conjicitur.

c. XIII ſq.

c. XXIV.

c. XXV.

p. 353. Sequuntur *Jo. Mülleri de origine Francorum*, & breve *de Epiſcopis Herbipolenſibus compendium.* Erat is Reip. Noribergenſis ſcriba, qui, quum ad archivum admitteretur, neque in hiſtoria patria rudis eſſet, omnium Principum, rerum publicarum & Epiſcoporum, cum quibus res eſt Noribergenſibus, hiſtoriam contexuit, & quæ ex uſu Reip. ſunt, ſollicite obſervavit. Quæ opuſcula a Noribergenſibus cum cura adſervantur, nec niſi ſenatoribus, ut exinde, quid Reipubl. interſit, addiſcant, traduntur.

p. 373. Præcipuus vero in hoc volumine autor eſt *Laur. Friſius*, cujus chronicon maximam ejus partem implet. Is erat Conſiliarius & Archivarius Wirzburgenſis, Mergentheimii natus A. 1491. Laudant in eo præcipue comitatem, qua eruditis inſerviebat, ſinceritatem, & ſingularem in hiſtoria conſcribenda prudentiam. Codices hujus operis varios nactus Cl. Editor, varietates

tates ipsorum adnotare non omisit. Incertum vero est, quousque chronicon hoc produxerit Autor. Quidam enim codices saltem usque ad A. 1495, alii ad A. 1550 historiam exhibent, & narrant aliqui, ultimorum quinquaginta annorum historiam in Herbipolensi archivo adservari, propter multas rerum gestarum, quibus ipse Autor interfuit, insertas circumstantias haud facile publicandam. Citat Frisius alia quoque scripta a se concinnata, ut, *de ratione & usu linguæ Germanicæ, Genealogiam Caroli M. de Wirzburgici Ducatus juribus & consuetudinibus, & de tumultu rusticano*, quæ si eadem solertia, qua nostrum opus, elaborata sint, & adhuc exstent, dignissima certe forent, quæ publice legantur. Sed asserenda sunt quædam ejus dexteritatis specimina. Ubi de translato ad Francos Occidentis Imperio agitur, p. 404. non inepte de tota re hunc in modum judicat. Cum eo tempore Leo III Pontifex Maximus variorum criminum accusaretur, ac Wirzburgenses præcipue de eo apud Carolum, M. conquererentur, ipse Romam de tota re judicaturus proficiscitur. Pontifex vero non optime sibi conscius Carolum, cum nihil tale suspicaretur, Imperatorem pronunciat. Quo facto Carolus, nostri Autoris judicio, malum nomen acquisivit, dum Pontificibus jus Imperatores constituendi concessione sua tribuit. Quantæ enim inde sequioribus temporibus turbæ ortæ sint, historiarum monumenta satis loquuntur. Accedit quod hoc ipso facto nulla re auctus fuerit Carolus, præterquam titulo, quod inutile nomen Noster vocat. Eadem de 431. causa factum putat, ut imperium post Caroli Crassi tempora ad Saxones transferretur, non, quod nullus esset inter Francos ea dignitate dignus, sed ut, quod injusto titulo Franci possederant, ipsis tandem aliquando eriperetur. Quorsum etiam pertinent, 515. quæ de rebus gestis Friderici Barbarossæ breviter quidem, sed summo cum judicio narrantur. Sub finem operis elegantissima 873. exstat tumultus rusticani Sec. XVI exorti descriptio, in qua præcipue, quæ in ditione Wirzburgensis Episcopi cum rusticis gesta sunt, accurate recensentur. De causis eorum motuum ipse plane silet, nec eas Luthero (quem tamen scelestum hominem vocat) adscribit, in qua quidem re a plerisque Pontificiis 871.

p. 412. ſcriptoribus recedit. Ceterum, ut alia quoque enotemus, originem anſerum Martinalium, conviviorum die S. Burcardi celebratorum & aliarum hujusmodi feſtivitatum, a clericorum me-
422. dii ævi conſuetudinibus deducit. Proverbii Germanici: **Wer das Glück hat/ führet die Braut heim/** occaſionem narrat dediſſe S. Arnonem Epiſc. Wirzburgenſem, qui Bohemiæ Ducis
431. filiam Moraviæ Duci deſponſatam per inſidias ſubduxit. Nec illud memoratu indignum, quod Seculo X Abbates quosdam ſibi Epiſcoporum nomen ſumpſiſſe Noſter notat, unde facile quæ-
490. dam in hiſtoria difficultates tolli poterunt. In diplomate A. 1122, cui Wirtzburgenſe Capitulum ſubſcripſit, duo occurrunt Præpoſiti, quorum alter ante, alter poſt Decanum collocatur. Mirum hoc nobis primo videbatur, cum vero ad Trithemium pergeremus, occurrerunt apud ipſum inferius p. 994, 997 eædem ſubſcriptiones, ſed cum additamento. Nimirum prior Præpoſitus erat templi Dominici, ſive Capituli majoris, alter vero monaſterii novi ſeu S. Joannis, qui Decanum majoris Capituli ſequebatur. Ceterum alias quoque in ejus ævi documentis Decanum
531. Præpoſito antepoſitum eſſe obſervavimus. In alio diplomate A. 1192. Henricus III Epiſc. Wirtzburgenſis S. Petri Apoſtoli ſe Vicarium vocat, ejusque auctoritate Proceſſionem quandam Pentecoſtalem ſuis ſerio injungit. Poſſent & alia moneri, ad Germanicæ præcipue linguæ etymologiam ſpectantia, cujus genuinam indolem Autor prorſus habuit perſpectam, ſed brevitatis nobis ratio habenda eſt. Ad alium ergo Autorem convertimur *Johannem Reinhardum*, de quo vix quicquam conſtat niſi quod Wirtzburgi Magiſter præſentiæ fuit. Sic autem vocarunt eum, qui canonicis præſentibus præmia pro horarum lectione diſtribuebat. Is Friſii chronicon jam laudatum in epitomen quandam redegit, quæ tamen integra hic non eſt inſerta, ſed ubi quædam a Friſio vel indicta vel diverſa occurrunt, ea Celeb. Editor in ipſo Friſii textu poſt ſingula capita notavit. Succedunt *Anonymi* quidam, qui breviſſimis hiſtoriam Wirtzburgenſem inde, ubi Friſius deſiit, ad noſtra tempora conti-
951. nuarunt, nec non *Caſp. Bruſchii Catalogus Epiſcoporum Herbipolenſium*, de quibus ob nimiam brevitatem nihil addimus.

Vi-

Vita S. Kiliani, qui primus Herbipolensium Episcopus habetur, ab *Anonymo* quodam conscripta, & a *Nic. Serrario* notis illustrata, in quibus varia quæ tum ad totius Franconiæ tum ad Wirtzburgensem historiam faciunt, leguntur. *Joh. Trithemii chronicon monasterii S. Jacobi apud Herbipolim*, in quo ipse sub extremum vitæ tempus Abbas fuit. De eo Editor in præfatione operis varia narrat, præcipue, quanta gratia apud Joachimum, Brandenburgensem tunc Marchionem, fuerit Trithemius, uti ex literis aliquot amœbæis ipsorum in bibliotheca Berolinensi adservatis atque integre hic insertis ostenditur. *Chronicon Wirtzburgense* a Baluzio Miscellan. tom. I p. 501 editum, quod excerpta tantum chronologica pro ipsorum temporum more brevissima continet. *Jo. Trithemius de origine gentis Francorum*, qui a belli Trojani tempore usque ad seculum VI Francorum Reges & Duces breviter describit. Accedit Appendix variorum omissorum & addendorum ex MS. chronici Reinhardiani adjectorum, in qua varia capitula, consuetudines & ceremoniæ continentur. Sub finem quoque præfationis quædam de insignibus Wirtzburgensibus adferuntur, nec non de titulo Ducis Franconiæ, quo Episcopus gaudet, ubi rejectis aliorum sententiis mens Nostri breviter eo redit. Episcopos, postquam superioritatem territorialem sibi adtribuerant, primum Principis, postea & Ducis Franconiæ nomine usos fuisse. Qvumque alii Franconiæ Principes repugnarent, reversalibus tandem Episcopi literis factum esse, ut hic titulus aliis fraudi esse nequeat, quum de nomine potius quam de ipsa re fuerit controversia. p. 966. 993. 1004. 1011. 1046.

Historie des Lutherthums.

h. e.

VITI LUDOVICI A SECKENDORFF Historia Lutheranismi Germanice conversa, in novum ordinem digesta, & variis accessionibus locupletata.

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditsch & filium, 1714, 4 maj. Alph. 9 plag. 3.

QUum opus illud Seckendorffianum, quo historiam re-

purgatæ a Luthero religionis ex authenticis monumentis deſcriptam tradit Ill. Autor, ſimulque contra Maimburgii depravationes vindicat, eruditis mire placuerit, & ab omnibus ſummo cum plauſu receptum fuerit, non pauci optarunt, ut idem in communem uſum vernaculo ſermone translatum &, omiſſo Maimburgii textu, juſto ordine diſpoſitum legeretur. Laborem ergo hunc ſuſcepit Vir Reverendus, Elias Frick, in æde Dominica apud Ulmenſes Verbi Divini miniſter, qui ut cetera ſumma cum laude præſtitit, ita acceſſionibus quoque nonnullis opus locupletavit. Nimirum ita omnia hic diſpoſuit Vir doctiſſimus, ut ſub anno quovis occurrat, primo quidem, quid in Imperio ejusque Comitiis & Conventibus publicis religionis cauſa actum fuerit, porro quid Lutherus ejusque aſſeclæ in religione reſtauranda paſſim laboraverint, quales Evangelii doctrina progreſſus in variis regnis, provinciis & urbibus fecerit, tandem quibus conatibus & perſecutionibus ejus curſum adverſarii impedire allaboraverint. De acceſſionibus porro ut conſtet, quarum maximam partem in præfatione percenſet ipſe Cl. Editor, nos quasdam ex ipſius
p. 206. operis evolutione producemus. Ubi de Lipſienſi diſputatione A. 1519 habita ſermo eſt, poſt duas Moſellani epiſtolas, quæ eandem deſcribit, tertiam a Seckendorffio omiſſam, a Schiltero vero in libro de Libert. Eccleſiarum Germ. editam inſerit. Deſcribit vero characteres Lutheri, Caroloſtadii & Eccii accurate ſatis, ut adeo ex hac additione hiſtoria ejus diſceptationis non parum illuſtretur. De oratione Moſellani ſub ejus diſputationis auſpicium habita, refertur, Jac. Cellarium, Profeſſorem Hebr. Linguæ, tradidiſſe, eam non memoriter ſed ex ſchedula declamatam fuiſſe. Contrarium tamen adſeruit Petrus Suavenius peculiari ſcripto, quod Moſellano inſcripſerat,
214. quodque in Ulmenſi bibliotheca hodienum adſervatur. In eadem quoque extat volumen Actorum hujus diſputationis, ex
336. quo hic illic quædam afferuntur. A. 1521 Lucas Cranach, celebris pictor, imagines quasdam edidit hoc titulo: *Paſſionale Chriſti & Anti-Chriſti.* Harum ſubſcriptiones Luthero plerique tribuunt, quas tamen, ipſo abſente editas, & a Melanchtone

tone potius & Schwerdfegero JCto confectas esse, ostendit Nostер. De literis, quibus Lutherus ad comitia Wormatiensia citabatur, salvo item conductu Imp. quædam notatu non indigna proferuntur. Nimirum in tomis Altenburgensibus traditur, literas citatorias & salvum conductum unum & idem fuisse, quod tamen aliter se habere probatur. Vindicatur quoque Lutherus contra Arnoldum, qui de eo scripserat, ipsum omne bellum Christianis illicitum pronunciasse, quod ex verbis ipsius in medium productis refellitur. In Caroloſtadii vita multa adduntur, quæ apud Seckendorffium non legebantur, præcipue de repetita ejusdem emendatione, & ad deteriora propensione. Non obscurum nomen in historia Reformationis est *Hartmuthi von Croneberg*, Nobilis Franci. At epistolas sub ejus nomine publicatas Luthero ipsi adscripserat tomorum Altenburgensium editor Jo. Christfried Sagittarius, id quod a Nostro accurate refutatur. De Francisco Sickingio, Nobili Franco, iterum Nostro vapulat Arnoldus, quod eum Imperatoris Consiliarium intimum & Campi Mareschallum vocaret, quorum munerum neutrum administrasse legitur: tum &, quod turbas ejusdem a Luthero ejusque sociis probatas fuisse tradit, in quo quidem, Nostro teste, omnes historicos sibi dissentientes habet. In actis annorum 1529 & 1530 multa supplentur, emendantur, & illustrantur ex Celeb. Viri Jo. Joach. Müllери, Archivarii Vinarienſis, historia Protestationis & Augustanæ Confessionis, quæ singula suo loco inserta & uncinulis inclusa sunt, ne cum Seckendorffianis confundantur. Inseruntur quoque ex Ulmensi archivo articuli in Schwabacensi conventu concinnati, quos in Vinarienſi archivo frustra quæsiverat Seckendorffius. Binæ præterea epistolæ Lutheri hactenus ineditæ, & A. 1536 occasione unionis ecclesiarum superioris Germaniæ cum Wittenbergensi, quod ad articulum de Sacra Cœna spectabat, conscriptæ in opere nostro occurrunt: nec non alia ad hanc unionem pertinentia, quæ Nostер ex Relatione Martini Frechtii, Ecclesiastæ Ulmensis, qui ipse huic negotio interfuerat, desumsit. Prætermittimus plura alia, illud tantum monentes, quod Nostер Seckendorffium in chronologicis subinde emen-

p. 342. 415. 479. 520. 574. 575. 936. seqq. 965. 1535.

UNIVERSIDAD COMPLUTENSE BIBLIOTECA DERECHO

daverit. Sub finem tres addidit indices, quorum primo omnia Lutheri ſcripta ordine chronologico recenſet, & oſtendit, quonam loco in variis Operum ipſius editionibus evolvi queant; alter res hoc opere contentas, tertius doctrinas noſtras & adverſariorum, de quibus in hac hiſtoria fit mentio, ordine alphabetico magno Lectorum commodo exhibet.

Einleitung zu der Wapen-Kunſt ꝛc.
h. e.
JOHANNIS WOLFGANGI TRIER INTRODUCTIO ad doctrinam de Inſignibus.

Lipſiæ, apud Joh. Frid. Braunium, 8. Alph. 2 & fig. æn. pl. 17.

COnſultiſſimus Autor, Collega noſter perinduſtrius, in præfatione de Heraldica, cujus publica Profeſſio in Academia noſtra ante aliquot annos ipſi primo demandata eſt, agit, ejusque nomine intelligit doctrinam de nobilitate tam ſuperiore quam inferiore, inprimis vero de ſummis imperantibus horumque inſignibus, familiis, regionibus & juribus. Hujus ſcientiæ culturam ut eo magis promoveret, inſtituit ante biennium Collegium Heraldicum, de quo relatio ſub finem prolegomenorum extat. Conſtat illud ex nonnullis doctis Academiæ noſtræ civibus, qui ex ſcriptoribus juris publici & hiſtoriarum, aliisque monumentis, præſertim rerum Germanicarum, memoratu digniſſima, quæ ad inſignia, familias, regiones, & publica jura pertinent, excerpunt, ſuo tempore edenda. Quod ad librum ipſum attinet, is in duas partes, generalem & ſpecialem, diſpeſcitur. In priore principia doctrinæ de inſignibus duodecim capitibus, non quidem fuſe, ſed tamen magna diligentia adhibita atque ita traduntur, ut ſufficiens omnino ejus cognitio inde hauriri poſſit. Exempla inſignium, quibus regulæ præpoſitæ illuſtrantur, ligno affabre inciſa regulis ubique ſubjiciuntur. Pars ſpecialis inſignia Imperatoris Regumque Europæorum, Principum, Comitum & Civitatum liberarum Imperii, nec non præcipuorum Principum exterorum & liberarum Re-

rum-

rumpublicarum æri inſculpta exhibet, additis deſcriptionibus notisque hiſtoricis atque ad jus publicum pertinentibus. Harum notarum ut ſpecimen quoddam demus, ex deſcriptione inſignium Regiorum Polonicorum pauca delibabimus. Notatur error Scriptorum nonnullorum, qui aquilam argenteam, Regni inſigne, faſcia aurea in pectore ornatam exhibent: cujus ſententiæ occaſio ex eo orta eſſe aſſeritur, quod Sigiſmundi tres & Stephanus, Reges Poloniarum, pectori aquilæ literam primam nominis ſui imponere conſueviſſent. Circa originem crucis Patriarchalis, quæ eſt in ſcuto equitis Lithuanici, rejicitur opinio illorum, qui eam a Ludovico Rege Poloniarum & Hungariæ (hujus enim Regni inſignia crucem ejusmodi exhibent) arceſſunt. Quandoquidem Ludovicus Lithuaniam nunquam rexit. Conjicitur vero, a Ludovici ſucceſſore Uladislao Jagellone crucem hanc in honorem religionis Chriſtianæ recens agnitæ fuiſſe aſſumtam. Præterea veroſimile eſſe, Papam, qui olim primo Regi Chriſtiano Hungariæ crucem Patriarchalem, in inſignia poſtea receptam, miſit, eandem munificentiam erga Uladislaum exercuiſſe. Fuſe etiam Autor explicat parmulam mediam, quæ inſignia Archimareſchallatus Imperii & Ducatus Saxoniæ iſtit. Inprimis de figura, quæ a plerisque ſertum rutaceum appellatur, multis agit, & diverſas aliorum ſententias refert atque expendit. Memoratu quoque dignum putat, media hac parmula omnes fere colores in inſignibus uſitatos contineri. Auream ex parte eſſe aream inſignium Ducatus Saxonici, argenteam aream dimidiam inſignium Archimareſchallatus, utramque nigro diſtinctam, gladios eſſe rubeos, ſertum viride: quibus addi poteſt color purpureus mitræ electoralis ſcuto incumbentis, & color naturalis pellis Ponticæ, qua mitra farta eſt. Solum colorem cœruleum deeſſe. Exinde putat patere ſenſum genuinum, quo accipi debeat celebre vaticinium Polonicum, quod Sereniſſimo Regi noſtro *Diverſicoloris* characterem tribuit. Nimirum interpretationem quærendam eſſe in inſignibus, e quibus etiam multa ex ceteris vaticiniis ejusdem vatis de priſcis Regibus Poloniæ interpretanda fuerunt. Ita enim de Henrico legi, *flos de*

valle

valle, quod lilia in insignibus gereret, & esset e familia Valesiorum ortus. De Iohanne Casimiro, *manipulus sterilis*, quod clypeus ejus gentilitius manipulum frugum præferret, & quod liberis careret. De Michaele, *noctis breve sidus*, quod tessera familiæ ejus esset luna, & quod brevi tempore regnaverit.

ATHANASIUS CONVICTED OF FORGERY &c.

i. e.

ATHANASIUS DE IMPOSTURA CONVICTUS, IN Epistola ad Thirlbyum, Collegii, quod a Jesu nomen habet, in Academia Cantabrigiensi alumnum; Autore GULIELMO WHISTONO, A.M.

Londini, impensis Autoris, 1712, 8. Plag. dimidiat. 4.

EN Dissertationem Epistolicam, Responsioni, quam Cl. Thirlby ad Whistoni XVII Fundamenta suspicionum adversus Athanasium motarum edidit, & nos in Actis nostris anno
p. 1. M DCC XIII p. 169 sqq. recensuimus, oppositam. Cl. Autor ejus ab initio significat, se indicia de Athanasii impostoris maximam partem debere duobus aliis Eruditis; se ipsum tamen te-
2. stimonia ab illis suppeditata evolvisse, & alia quædam una cum variis observationibus & corollariis addidisse. Antequam vero illa in medium proferat, cogitata sua circa Thirlby Responsionem octo Observationibus & septendecim Animadversionibus includit. Observat autem, (1) quod Cl. Thirlby suspicionum loco manifestam probationem & indubitatam evidentiam requirat. Cui respondet, posse aliquem sufficiens habere fundamentum integritatem alicujus in dubium vocandi, licet ipsum im-
3 posturæ reum demonstrare nequeat coram judice. (2) Quod relationes Athanasii non satis antiquæ sint ad satisfaciendum nobis his in rebus; cum non antea incipiant, quam circa annum vigesimum quintum post Concilium Nicænum, & decimum quartum post Concilium Tyrium, Hierosolymitanum & CPolitanum. (3.) Quod vindiciæ Athanasii vel auctoritate ipsius Athanasii, vel asseclarum ejus, Basilii, Nazianzeni, Socratis, aliorumque nitantur. Hoc vero non posse non, maxime si Socratem respiciamus, præcipuum de illo testem, pro insigni fraude

de haberi putat; cum ipſe Socrates H. E. II, 1 prolixe referat, ſe mutaſſe illas hiſtoriæ partes, quas ab initio ex Rufino maxime deſumſerit, ut illas relationibus Athanaſii accommodaret. Sozomenum vero in multis ſequi Socratem, & conſequenter & Athanaſium. Imo Theodoretum ipſum, qui omnium diligentiſſimus fuerit, & fide digniſſimus, & multa produxerit ab aliis omiſſa, & hæc inter non pauca originalia, haut raro ſequi Athanaſium. Unde Rufinum antiquiorem & recentiorem Theodoretum maximæ auctoritatis hiſtoricos in cauſa præſenti habendos Cl. Autor pronunciat, reliquos vero duos Sozomenum proximæ, & Socratem ultimæ auctoritatis eſſe; ita tamen, ut nulla illorum teſtimonia cum genuinis Euſebii, vel ejuſcemodi coævi ſcriptoris monumentis comparari poſſint. p. 4.

(4) Quod, cum Athanaſius res maxime incredibiles enarret, tamen Patroni ejus ad aſſenſum nos obligare velint. Huc iterum refert, quæ Athanaſius de cæde Arſenii accuſatus de vita Arſenii, de Legatis Synodi Tyriæ nomeni ipſius tantum de crimine, quaſi commeatum annuum ex Ægypto Byzantium deſtinatum præludere minatus ſit, deferentibus, de Dionyſio item Alexandrino τῇ ὁμοουσίᾳ favente, & Euſebio mentionem faciente epiſtolarum quarundam Romæ circa hæreſin Sabellianam ſcriptarum, memorat; non alias quidem rationes addens, quam quod, præter teſtimonia ab ipſo Athanaſio profecta, alia iis in rebus non habeamus. 5. 6.

(5) Quod non ſolum monumenta Arianorum, ſed etiam Euſebii, Epiphanii, Rufini, Hilarii, Phœbadii, Fauſtini & Marcellini, imo & haut raro Socratis, Sozomeni & Theodoreti Athanaſio contradicant. 7.

(6) Quod optima via ſit in omnibus cauſis, utendi libris & locis originalibus, non vero iis, quæ a recentioribus partium ſtudio abreptis inde adducantur. Itaque monet Cl. Autor, ut, ſi quis rectum formare judicium velit, an rationes Athanaſii contra Arianos firmæ ſint, an minus, ipſius Athanaſii Orationes legat, non verba Photii. Et ſic de aliis. 8 ſq.

(7) Quod miracula Antonii Monachi, aliorumque parum convenerint cum veris a Chriſto & Apoſtolis factis, manifeſte tenderint ad ſuſtinendas doctrinas & πράξεις prima antiquitate non fundatas, facta item dicantur eo tempore, quo 10.

Evangelii miracula ceſſaverint, & in deſertis illis locis, unde parum evidentiæ exſpectari potuerit, imo & inter indoctos & ſuperſtitioſos Monachos; atque adeo maxima & de illis, & de Hiſtorico illorum Athanaſio ſuſpicionis cauſa ſit. Quod proinde nuperi admiratores, epitomatores, & editores Operum Athanaſii valde proclives videantur, ad Vitam Antonii Monachi, niſi γνησιότης ejus certa eſſet, ſpuriis Athanaſii ſcriptis ad-
p. 11. ſcribendam. (8) Quod, cum Athanaſiani pro ſe allegent Patres vel Concilia, auctoritas illorum ſtatim ſacra ſit; ſi vero Ariani pro cauſa ſua allegent plerorumque Patrum Ante-Nicænorum, Concilii item Tyrii, Hieroſolymitani, CPolitani, Seleucienſis, & Ariminenſis teſtimonia, fides illorum nulla ſit, &
13 ſqq. ipſæ ſynodi magis audiant Hæreticorum Conventicula, quam Eccleſiæ Concilia. His præmiſſis Obſervationibus, Cl. Autor ſeptendecim addit Animadverſiones, quibus Reſponſiones abſurdas reddere conatur. Quibus tamen, non opus, ut immoremur; cum fundamenta, quibus hic nititur, ex Obſervationibus modo recenſitis jam innotuerint. Potius nos convertimus ad caput rei, quo ad declarandam Athanaſii impoſturam
18. tria demonſtrare aggreditur. (1) Quod Athanaſius aliquoties diſerte affirmet, Concilium Nicænum in Anathematibus ſuis condemnare Arianos, dicentes, quod Salvator noſter creatus ſit; quodque ex Anathematibus illis loca proferat, quibus clauſula inſerta, quod Ariani propterea condemnati ſint. (2) Quod tamen certum ſit, hoc Concilium non inſeruiſſe verbum κτιστὸν
, in hæc anathemata; ſed potius omittendo illud, directe ejus condemnationem evitaverit. (3) Quod propterea Athanaſius reus ſit manifeſtæ & voluntariæ fraudis & interpolationis, in hac magni momenti materia; imo voluntariæ propagationis
19 ſqq. hujus manifeſtæ impoſturæ ad orbem Chriſtianum. *Primæ* propoſitionis membrum *prius* probat ex Athanaſii Epiſtola de Decret. Synod. Nic. §. 3 & 20 & ad Afr. §. 9, *poſterius* ex Epiſt. ejusdem ad Jovian. p. 781, 782, Theodoreti H. E. IV, 3. Athanaſ. de Decret. Synod. Nic. §. 4, Socratis H. E. l. 8, Gelaſ. ap. Labb.
21 ſq. T. II c. 35 p. 256. *Secundam* probat allegando magno numero antiquitatis monumenta Seculi IV & V, quibus Anathemata

Fidei

Fidei Nicænæ repetita ſunt; in quibus tamen nulla mentio ſit Anathematis in illos, qui Salvatorem Noſtrum *creatum* eſſe dicunt. Ita nominat Euſebium Epiſt. ad Diœceſin ſuam apud Theodoret. H. E. l. 12, Cyrillum Hieroſolymitanum Catech. V Sect. 8, Hilarium Pictavorum Epiſcopum de Synod. Sect. 84, Luciferum Caralitanum in Sardinia Ep. ad Conſt. Sect. 84, Autorem Expoſitionis Fidei in Op. Athanaſii p. 1278, 1279, Baſilium Op. T. II Ep. 60 p. 836 & Ep. 78 p. 892, Epiphanium Anchor. Op. T. II p. 123, 124, Ambroſium de Fid. Op. T. II col. 467, ignotum Autorem libri de Fide Orthod. contra Arianos apud Ambroſ. Append. col. 345 & Nazianzen. Orat. 49 p. 727, Rufinum H. E. l. 6, Exemplar Africanum hujus Fidei & ejus Anathematum apud Dionyſ. Exig. p. 117 & ap. Bevereg. Pandect. Vol. I p. 513, 514, Acta tertii Concilii Generalis Epheſini apud Labb. T. III col. 672, 1183, Sozomenum H. E. l. 21, Acta Quarti Concilii Generalis Chalcedonenſis, apud Labb. T. IV Col. 339, 342, 563, 582, 286, Gelaſium Cyzicenum in Act. Synod. Nic. c. 26, apud Labb. T. II p. 226. Inde vero corollare deducit, quod exigua dubitandi ratio ſit, quin verba κτίσμα, & ποίημα, quæ legantur in Epiſtola Synodica Concilii Nicæni apud Socratem H. E. l. 9, pariter ab Athanaſio interpolata ſint. Athanaſium ergo, quod ad *tertiam* Propoſitionem ſpectat, manifeſtæ & voluntariæ fraudis & interpolationis reum eſſe, Cl. Autor exiſtimat, & voluntariam maxime impoſturam ejus fuiſſe, probat exinde, quod Athanaſius Concilio Nicæno præſens noverit, quid condemnaverint: quod clauſulam illam Epiſtolæ Euſebii inſeruerit: quod denique Eccleſia Alexandrina in exemplari ſuo hanc interpolationem non habuerit. Inde vero rurſus quinque Corollaria deducit, eo potiſſimum ſpectantia, quod Athanaſio in relationibus ſuis, & novis, quas vocat, doctrinis, imo & maxima parte Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſeculi quarti exigua fides tribuenda, contra Arianiſmus in ſuſpicionem impoſturæ non vocandus ſit. 28.

PRIMITIVE INFANT-BAPTISM REVIV'D, &c.

i. e.

PRIMÆVUS INFANTUM BAPTISMUS RESUSCITATUS, sive Historia Doctrinæ & Praxis priorum duorum seculorum circa Baptismum infantum, ipsis Sacrorum & primævorum Scriptorum verbis; Autore GUILELMO WHISTONO, A. M.

Londini, impensis Autoris, 1712, 8.
Plag. dimidiat. 6.

QUilielmum Whistonum V. Cl. ut in aliis maximi momenti articulis, ita & in doctrina de Baptismo ab Ecclesia Anglicana dissentire, & autoritate Constitutionum Apostolicarum, infantem sibi natum, aquæ immersum baptizasse, ex Act. A. MDCCXI p. 558 constat. In hoc scripto, quod nunc exhibemus, plenius
p. 35 mentem suam de illo exposuit. Occasionem illi dedit, ipso fatente, locus Irenæi L. II c. 39, apud Galeum in Animadversionibus ad Walli Historiam Pædobaptismi; ex quo patere putat, decem annorum infantes ipsius tempore baptizatos esse. Propositio autem, quam hic præcipue probandam sibi sumit, &
3 „ab initio præmittit, sequens est: „Per infantes, Baptismi Chri„stiani subjecta, non intelligendi sunt illi, qui paucorum dierum „& mensium ætatem habent, sed illi, qui catecheticæ informa„tionis ante baptismum capaces sunt.„ Cui propositioni firmandæ non solum Scripturæ N. T. sed etiam Barnabæ, Hermæ
4 sqq. Pastoris, Clementis, Constitutionum, Ignatii, Recognitionum, Justini Martyris, Irenæi, Polycratis apud Eusebium, Tertulliani, Origenis loca, quæ ad Baptismum referri possunt, subjungit, interspersis hinc inde explicationibus suis, & observationibus;
5 quarum exempla quædam adducere juvat. Sic per παιδία apud Matthæum & Marcum, & βρέφη apud Lucam, intelligit infantes intra vel non longe supra duodecim annos ætatem habentes, non alia quidem ex ratione, quam quod vox παιδίον Marc. V,
10. 34--42 quater de *puella* reperiatur. Verba 1 Cor. XV, 29 βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν hoc innuere putat, quod nonnulli Christianorum in dormitoriis baptizati sint, vel super sepulchra mortuo-

mortuorum & martyrum, ſpe reſurrectionis illorum. Eodem modo loqui Conſtitutiones L. VI c. 30 de Chriſtianorum conventibus, lectionibus, cantationibus &c. quas factas referant ὑπὲρ τῶν κεκοιμημένων μαρτύρων, *ſuper martyres mortuos*, vel *in ſpe reſurrectionis illorum.* Ex L. VI c. 32 Conſtit. Ap. deducit, Chriſtianam initiationem per baptiſmum alludere ad quotidianas lotiones vel baptiſmos Judæorum, non vero ad circumciſionem, vel baptiſmum Proſelytorum. Adductis vero Scripturæ N. T. & Patrum laudatorum teſtimoniis, plura nos de Baptiſmo infantum non habere ante ſeculum quartum, præter Cypriani in Africa, Cl. Autor adſerit. Atque inde nos diſcere, quod, cum in Africa tempore Tertulliani de abſoluta neceſſitate baptiſmi ratiocinari, & infantes catecheticæ inſtitutionis incapaces, ad minimum in caſu neceſſitatis, baptizare cœperint, poſtea Cypriani tempore opinio illa & praxis ibidem multum prævaluerit, & a Concilio Africano ſtabilita ſit. Ibi etiam tempus circumciſionis Judæorum in argumentum verſum, & infantes ante diem octavum baptizatos; imo & in capita Clinicorum, immerſione liberatorum, aquam ſaltem effuſam eſſe. Ne vero aliquis putet, quod ſeculi quarti monumenta unanimiter noſtro infantum baptiſmo faveant, Cl. Autor ex Walli *Hiſtoria Baptiſmi Infantum* teſtimonia Concilii Eliberitani, Neocæſareenſis, Pſeudo-Dionyſii Areopagitæ, vel veri, ut putat, Didymi Alexandrini, Optati, Nazianzeni, Baſilii, Ambroſii, Chryſoſtomi adducit, & contrarium inde probare annititur. Denique ex omnibus huc usque dictis ſequentes obſervationes deducit. (1) Infantes per tres annos catechetica informatione imbutos baptizari debere. (2) Baptiſmum infantum eiusdem informationis nondum capacium primæ antiquitatis fundamento carere. (3) Suſceptores & Suſceptrices non antiquiores eſſe, quam baptiſmum ejuscemodi infantum, qui pro ſe reſpondere non potuerint. (4) Has & alias πράξεις, doctrinas & conſuetudines pro Romanis, Occidentalibus, & Anti-Chriſtianis corruptionibus habendas, & rejiciendas eſſe. (5) Conſtitutiones Apoſtolorum hac ex parte confirmari N. T. libris, & omnibus antiquiſſimis Eccleſiæ monumentis, atque adeo in omnibus ſimili-

23. 40. 41 ſqq. 44 45.

bus cauſis maximæ autoritatis eſſe. Hanc obſervationem quoque, quamvis ſenſu inferiori, ad Recognitiones extendendam
p. 46. cupit. (6) Baptiſmum, æque ac Euchariſtiam, a Sacerdotibus, non mulieribus, vel Laico, imo ne quidem ab inferioris ſortis Clericis, vel Diaconis adminiſtrandum eſſe. (7) Neque adultas fœminas, neque puellas decenter baptizari poſſe, niſi Diaconiſſæ rurſus introducantur. (8) Confirmationem a Baptiſmo ſeparari non debere. (9) Submerſionem, imo trinam immerſionem, non aſperſionem, eſſe ſacram atque legitimam. (10) Antipædobaptiſtas prius docentes, & poſtea ſubmergentes hac ex parte Chriſtianorum eſſe puriſſimos. (11) Illorum tamen baptiſmum adhuc valde imperfectum eſſe; cum neque Diaconiſſas habeant in baptizandis fœminis, neque nudos baptizent, neque unctione ante baptiſmum, neque trina immerſione in baptiſmo, neque manuum impoſitione poſt baptiſmum utantur. (12) Doctrinam de Peccato originali ab infantum baptiſmo derivatam
47. infirmo niti fundamento. (13) Admiſſionem infantum catechetica diſciplina nondum imbutorum ad baptiſmum, recentiori ætate magnam perditæ & diſſolutæ vitæ occaſionem dediſſe. (14) Conſtitutionibus Apoſtolicis neglectis & mutatis, ſtatim religionem Chriſtianam corruptam eſſe, neque Eccleſiam primævo ſtatui reſtitutam iri, donec doctrinas illarum & regulas poſtliminio recipiat.

PETRI DUIRSEMA JC. CONJECTURALIUM JURIS Civilis Libri Duo, in quibus nonnulla Juris Romani capita explicantur & emendantur.

Groningæ, ex officina Johannis a Velſen, 1714, 8. Plag. 18.

DUm otio ſuo, quod habere ſe dulce atque utile ait Clariſſimus Autor, fruitur liberius in indagandis juris noſtri capitibus, ſuſtinetque varia ac difficillima quædam illorum explicare, nonnulla modeſte a vitiis purgare, alia ab interpretum vindicare manu critica, præter exſpectationem naſcuntur ei hæc Conjecturalia. Procul autem eſt hic arrogantia, dum neminem irreverenter ſe habuiſſe profitetur: non viventis, non mortui

tui relisse famam, sed ingenuæ judicii libertate, quam omnibus æque tribuat natura, usum. Oseribus etiam Criticæ opponit verba Impp. Theodosii & Valentiniani ex *L. un. C. Theod. de Respons. Prud.* Ubi Papiniani, Pauli, Gaji, Ulpiani atque Modestini scripta universa ita firmant, & eorum præterea scientiam, quorum sententias prædicti suis operibus miscuerunt, ratam esse censent, ut Scævolæ, Sabini, Juliani atque Marcelli omniumque, quos illi celebrarunt, *si tamen eorum libri, propter antiquitatis incertum, codicum collatione firmentur.* Recitabimus igitur pro instituto ex illis duobus Libris priorem, qui perinde ut alter, novem absolvitur capitibus. Vidit enim Noster, hæsitare ac dissentire Interpretes in conciliando textu Ulpiani in c. 1.
L. 7 §. 13, 14 solut. matrim. cum textu Javoleni *in l. fin. pr. de fund. dot.* Mens igitur ipsius est, marmor in lapicidina repertum semper ad maritum pertinere, quia semper est in fructu, sive renascatur, sive non. Et Ulpianum negare tantum, quod marmor pergat in fructu esse. Si igitur fundus dotalis factus sit pretiosior a marito, per impensas illius in lapicidinam, non debere has ei restitui; quia marmor hoc casu non pergit in fructu esse, nisi renascatur. Si fundus dotalis etiam respectu mulieris sit factus fructuosior, puta si remanserit aliquid marmoris in fundo, in utilitatem uxoris post divortium, iterum nihil deberi marito; quia lucrum mulieris compensetur cum damno & detrimento. Sæpe enim per lapicidinam talem fundum aliqua ex parte fieri deteriorem. Accedere distinctionem Ulpiani in *L. 3 §. i de impens. in rem dotal.* Hactenus de §. 13. Jam & §. 14 d. l. 7 exponit: *si vero sint cretifodinæ* vel argentifodinæ &c. *utique* haberi eas in fructu, i. e. semper & continuo, absque ulla distinctione haberi pro fructibus, respectu mariti & uxoris. Hoc sensu occurrere *utique* in verbis Pauli *L. penult. de jur. dot.* similiter apud Pomponium, *L. 22 de re jud.* & *L. 38 de condict. indeb.* Concludit Noster, sensum §. 14 esse, si fodinæ adhuc durent etiam soluto matrimonio, & non desierint, postquam maritus impenderat, utique illas esse in fructu; quia renascantur, & fructus quotannis præsto sint, quoties domino fundi eos lubet extrahere. In his enim fodinis pergit materia illa in fructu esse, & semper est

in

c. II. in promptu. Similiter exponit Noſter *L. 11 §. 10, 11, 12 de Interdict. quod vi aut clam.* Recitari ab Ulpiano ſententiam primo Juliani, deinde Ariſtonis, & ſubjici hiſ opinionem ipſius Ulpiani. Ultima hæc ſubobſcura eſt. Primum ait: Si poſt in diem addictionem fundus precario traditus ſit emptori, puto illum hoc Interdictum habere. Deinde, ſi aut nondum traditio facta eſt, aut etiam facta eſt precarii rogatio, (ſupplet D. Duirſenius, *ſi facta eſt quidem ab emtore precarii rogatio, ſed nondum ſecuta a venditore illius conceſſio*) tunc venditor habet hoc Interdictum, non emtor. Et hoc eſſe illud Græcorum ἐνανταπόδοτον. Tertio ait Ulpianus: Si tamen precario ſit in poſſeſſionem, videamus, ne jam Interdicto uti poſſit? Hic Noſter agi vult de caſu plane alio, & longe diverſo, quique nondum ſit vel a Juliano, vel ab ipſo Ulpiano memoratus. An ſcilicet is quoque, qui non poſſidet animo ſibi habendi, ſed alieno nomine in poſſeſſione eſt, hoc Interdicto gaudeat? idque illuſtrare ſatagit ex *L. 6 §. 2 de precar.* Sequuntur duo textus Scævolæ, c. III. *L. 28 §. 4* (ex Libro 16 Dig.) & *L. 31 §. 2* (ex Libro 3 Reſponſorum) *de liberat. Leg.* ceu pugnantes. Recte ait Noſter, negaſſe Scævolam in priore, pecuniam tutori legatam non videri, quæ pupillæ eſt & apud tutorem poſita manet. Ne autem id ipſum affirmare cenſeatur in poſteriore, deleviſſe multos *non* particulam. *Nihil proponi, cur non pecunia, qua pupillæ eſſet, & apud tutorem remaneret, legata videretur.* Bachovium, cum aliis diſtinguere pecuniam, quæ jam pupillæ eſt, ab ea, quæ ipſi adhuc debeatur. Sed hujus diſtinctionis nec minimam apud Scævolam fieri mentionem. Utramque legem loqui de pecunia, quæ eſt pupilli, & ex tutela apud tutorem remanſit. Emendat igitur textum L. 31, retenta negativa, *nihil proponi, cur non pecunia — negata videretur.* Potuiſſe forſitan & hic accuſari Scævolam, quod amicitiæ aliquem dederit locum in Reſponſis, ut alibi monuerit Clariſſimus Noodt in Probabilibus. Sed eam litem adhuc eſſe ſub judice: hominem tamen fuiſſe, & eandem cum reliquis mortalibus ſubiiſſe ſortem. Ne igitur tanta ei inuratur macula, honeſta potius criſi explicandum fuiſſe.

c. IV. Sextus Pomponius *l. 29 de ſtatu lib.* dixerat, a ceteris ſervis nihilo

hilo pene differre ſtatu liberos. Et ideo in publicis judiciis quoque eadem pœnas pati. Ulpianus contra *L. 9 §. ult. de pœnis*, ſtatu liberum *quaſi liberum eum jam puniendum, D. Pius reſcripſit.* Laudat hic D. Duirſema Rævardum: Pomponium loqui de regula, quæ ante D. Pii (non Antonini Pii, ſed Caracallæ, ſub quo floruit,) reſcriptum obtinuerit. Probari hoc ex particula, *jam*, qua uſus de temporibus ſuis Ulpianus. Pro *liberum eum*, legi non male, *liberum eſſe.* Sed mallet Noſter, *liberum reum.* Porro miratur Noſter, hactenus non obſervaſſe Viros doctos, non loqui Ulpianum congrue verbis finalibus *L. 14 §. 3 de alim. & cibar. leg.* Quum enim antecedat de ſervitute geſtandi, in tuo uvas premendi, vel area tua ad frumenta & legumina exprimenda utendi, non potuiſſe ipſum repente dicere: *hæc enim AQUA perſonæ relinquitur.* Nimis remotum hoc eſſe a ſuperioribus, *nam & hauſtus aquæ.* Noſter ergo Duirſema ſeriem verborum proximorum intuens, legit: *hæc enim AREA perſonæ relinquitur.* Capite ſexto videbatur obſcuritas quædam eſſe in voce *ultro*, *l. 2 pr. ad L. Rhod. de jactu.* Exiſtimat igitur, eam hic idem eſſe, quod *amplius*, *inſuper.* Et hunc ſenſum ab interpretatione Cujacii non admodum diſtare. Cum eodem Cujacio etiam legit, *at ſi non totam navem conduxerint*, pro *conduxerit.* Utraque hæc difficultas eſt ſuperabilis. Magis dogmaticum eſt iterum Caput VII quam criticum. Dicit: erraſſe hactenus & errare quotidie Viros in arte noſtra ſummos & præclaros, quando ajunt, illas demum actiones ex delicto ortas non dari contra heredes, quæ ſint pœnales. Ipſe autem: ad hoc ut actiones non dentur in heredes, ſufficere, quod ſint ex delicto ortæ, nec requiri pœnam. In *L. un. C. ex delict. def.* nullam fieri mentionem pœnæ. Actionem judicii mutandi cauſa ideo non dari in heredem, quia videatur ex delicto dari; neque illam eſſe pœnalem. *L. 4 §. 6 L. 6 L. 7 de alienat. jud. mut.* Sic in *L. ult. C. Rer. amot.* actionem non competere in ſolidum, quia ſit ex delicto; ſimiliter Interdictum unde vi; quia datur ex maleficio & obfactum atrox. *L. 1 §. 3 L. 3 §. 1 & ult. L. 9 de Vi & Vi arm.* Contra in *L. 47 de act. empt.* etiam heredem condemnari in pœnam; quia illa non eſt ex vero delicto, ſed contractu. Et actionem ex

c. V.

c. VI.

c. VII.

Edicto Ædil. dari in heredem; quia venit ex contractu; etsi videatur esse pœnalis. De hac regula juris constante & firma loqui Paulum in *L. 20 de Pœnis; Receptum est commentitio jure, ne ad heredem transeat pœna.* Exceptionem ab eadem esse in *L. 5 de Cahonn. Constitutum est, turpia lucra heredibus quoque extorqueri, licet crimina extinguantur.* Hoc est singulari jure & contra regulas juris esse constitutum, ut uno hoc casu heres teneatur ex delicto defuncti. Stricti tamen juris rigorem voluisse, heredem teneri, sive esset factus locupletior, sive nihil ad eum pervenisset. Et hanc duritiem fuisse nimiam. Vidit D. Duirsema, Justinianum in §. *1 de perpet. & temp. act,* diserte actiones ex maleficiis vocare *pœnales.* Respondet, recte ita dici: sed a sensu contrario non concludendum ad regulam contrariam. Ergo etiam illa actio, quæ datur ex maleficio alieno in heredem, in id quod pervenit, hactenus est pœnalis. Vidit ac timuit, actionem ex L. Aquilia, § *9 d. t.* ideo non dari in heredem, *quia pœnalis* est. Debuisse Tribonianum dicere, *quia ex delicto est.* Respondet, hanc esse meram figuram dictionis, metonymiam scilicet effectus pro sua causa. Actionem pœnalem poni pro delicto, illam involvente, nam ideo quia causa istius sit pœnalis,
c. VIII. eam non transire ad heredes. Solam Pauli Legem *6 §. 4 de act. rer. amot.* tantas turbas moviſſe Viris doctis contendit Noster, in verbis: *Heres mulieris tenebitur ex hac causa* (rerum amotarum) SICUT *conditionis nomine ex causa furtiva.* Et lectione hactenus recepta textum non posse evolvi. Nam heres in condictione furtiva tenetur in solidum. *L. 9 de condict. furt.* Cum hoc ergo comparari non posse heredem mulieris amoventis. Hunc enim teneri in id, quod pervenit. *L. ult. C. rer. amot.* Erudite & subtiliter Ulr. Huberum, in Eunomia, Paulum accipere de condictione, quæ ut in actione furti, sic in actione rerum amotarum habeat locum *L. 24 h. t.* Comparari utramque condictionem tantum, qua in heredem datur utraque non ultra. Ut ergo juvetur Huberus, tentat Noster trajectionem iterum, *heres mulieris ex hac causa tenebitur conditionis nomine, sicut*
c. IX. *ex causa furtiva.* Parvum superesset litigium de vocula negante apud Ulpianum in L. 23. §. 1. de Ædil. Edict. *ut uterque nihil amplius*

plius consequatur, quam (non) haberet, si venditio facta non esset. Credidit Noster, in ipso Codice Mediceo particulam illam comparere, liberam ab omni circulo. Cumque is omnibus aliis potior sit, vel saltem esse debeat; non abjiciendam omnino eam negationem, sed retinendæ conciunitati mutandam in *nunc: quam* nunc *haberet* &c. Et hoc modo textum hunc non pugnare cum *L. 60 h. t.* Gaudeant de tam erudito discipulo eruditissimi præceptores, Cornelius van Eck, & Antonius Schultingius, quos eo nomine laudat ipse L. 1 c. 5 & Lib. 2 c. 5. Ceterum quæ ad nos occasione hujus libelli perscripsit Vir Consultiss. D. C. Wæchterus, proximo Mense referemus.

DISSERTATIONES JURIDICÆ DE PIGNORIBUS & Hypothecis Secundum Jus Commune, Bohemicum & Saxonicum Theorico-Practice deductæ.

Vetero-Pragæ, apud Wolffgangum Wickhard, 1714, 4. Plag. 19.

CUm is sit Jurisprudentiæ Germanicæ habitus, ut præter Civile Justinianeum, Canonicum & Longobardicum in subsidium saltem recepta, præterque sanctiones in Imperio universales, quælibet insuper Provincia peculiaribus suis Legibus & consuetudinibus sit instructa, quæ ubi de ordinandis negotiis, dirimendisque litibus agitur, primo loco consultandæ sunt, id fere evenit in foro suo exercitatissimis, ut in alieno hospites deprehendantur. Quemadmodum vero ea, quæ alterius Jurisdictionis propria sunt, haud impune ignorare permittunt mutua Territoriorum commercia, ita utilem navant operam illi, qui Provinciæ suæ, in qua degunt, jura excutientes illa cum Jure communi aut singularibus etiam aliarum Provinciarum Legibus moribusque conferunt, ac hoc ipso ad augendam institutorum domesticorum notitiam symbolam suam conferunt. Præstitit hoc ex Jure Bohemico in argumento speciali de Pignoribus & Hypothecis Consultissimus Autor. Opusculum id octo Dissertationibus in Academia Pragensi publice propositis absolvitur, quarum prima, *quid sit pignus & hypotheca, & quotuplex*, & secun-

da, *quæ res pignori seu hypothecæ subjici possint, & quæ in hypothecæ generali veniant*, inscriptæ ultra Juris communis metas non excurrunt. Tertia, *quibus modis hypotheca & pignus cujuscunque speciei contrahatur*, docet, nullam rei immobilis alienationem, oppignorationem aut translationem possessionis apud Bohemos rem afficere, quam quæ in tabulas Regni, aut libros Civitatis, vel ejus Jurisdictionis, sub qua fundus situs est, relata fit, quem actum *Intabulationem* Noster vocat. Porro illa ipsa *Intabulatio*, utemur enim isto termino artis, fit vel per confessionem, parte utraque in judicio in persona comparente, aut si contigerit, partes extra provinciam versari, per oblationem instrumenti, clausula intabulandi ac duorum testium subscriptione muniti. Eodem loco monetur, hypothecam rerum mobilium, in instrumento actis haud inserto constitutam, actionem hypothecariam minime producere, sed solis chirographariis anteferri. Dissertatio *IV de constituentibus Hypothecam, & quibus constitui possit*, agit, ex qua id saltem observamus, acquirendæ hypothecæ incapaces esse Judæos, incolas item, qui indepta majorennitate homagium nondum præstiterunt, nec non Cives intuitu prædiorum provincialium derer Land-Güter / nisi ex beneficio privilegium impetraverint, quales sunt qui Pragæ, Pilsnæ, & nonnullis aliis in locis res soli possident. Quinta *effectus* considerat, ubi Noster triplicem immissionis speciem format; prima *Uwazani*, ex hypotheca conventionali vel legali competens, eadem fere in se continet, quæ apud Saxones in actione mere personali executio, & eam subsequens immissio complectitur. Secunda *Uwedeni*, si heres, qui non est ex descendentium numero, quippe qui soli apud Bohemos adeunt hereditatem, sive ex testamento, sive ab intestato in possessionem hereditatis immittitur. Tertia *Zwod*, quæ ex re judicata impetratur; quarum singularum formam in subsequentibus tradit. Sexta *de concursu creditorum & qui potiores in pignore habeantur* tractat, cui subjuncta est utilissima Sciagraphia, differentias Juris communis, Bohemici & Saxonici secundum quinque classes in tabula referens. Prima Classis eorum est, qui res suas jure dominii vindicant, inter quos comparet Venditor intuitu pretii

non

non ſoluti, etiamſi hypothecam in re vendita ſibi non reſervaverit. Secunda eorum eſt, qui jus prælationis cum vel ſine hypotheca habent, quem in cenſum veniunt Salaria Advocatorum, & ſportulæ judiciales. In tertia collocantur hypothecarii conventionales intabulati, & legales, obſervato temporis ordine, excepto venditore in re vendita, & locatore in rebus illatis invectisque, quorum uterque reliquis antefertur. In quarta demum occurrunt dos Uxoris non intabulata, legata ad pias cauſas ex teſtamento tertii præſtanda, fiſcus in bonis officialium & quæ ipſi debentur ex contractu, pupilli in bonis tutorum, quatenus his per cautionem expreſſam proſpectum non eſt. Quinta exhibet eos, qui ad reparandum & conſervandum fundum, aut ſine uſuris pecuniam mutuam dederunt, hypothecas item non intabulatas, & alia. Diſſertatio ſeptima *de modis pignus vel hypothecam ſolvendi*, & octava *de pactis iisdem apponi ſolitis*, nihil quod magnopere a communi Jure abeat, depromunt.

APPARATUS, ET INSTRUCTUS ARCHIverum, ex uſu noſtri temporis, vulgo von *Regiſtraturen* und *Renovaturen/ Collectore* JACOBO WENCKERO, *Argentoratenſi.*

Argentorati, apud Jo. Reinhold Dulſſecker, 1713, 4. Alph. 2 pl. 15.

ARchivorum apparatum ut majores noſtri penitus negligerent, illud in cauſa eſſe videtur, quod de ſcientia ea ordine inſtruendi (nam de jure illorum, de quo plurium extant ſcripta, dicere nihil attinet) paucis conſtaret. Primus fere Jacobus a Rammingen 1571 libellis tribus *de Regiſtratura & Renovatura* illam methodo quadam digeſtam evulgavit, quem ſecutus Georgius Æbtlin novo libello obſcuriora Ramingii dilucidare conatus eſt, eumque vix adhuc nomine notum Cl. Wenckerus noſter, cum novæ artis autor ipſe appellari potuiſſet, vanæ gloriolæ haud cupidus iterum in lucem emiſit, atque in hoc opere primum eſſe juſſit, viri cujusdam hujus artis probe gnari p. 147.

& ſuis obſervationibus, exemplis & teſtimoniis, ubicunque opus
p. 15. viſum fuerat, adjectis. Huic inſuper *Repræſentationem hiſto-*
32. *ricam Regiſtraturæ laudatiſſimi Archivi Argentoratenſis; For-*
43. *mam Regiſtraturæ generalis civitatum Imperialium;* atque *ſuc-*
cinctam narrationem cauſarum, quare inſtructus & Apparatus
Archivorum ſuperioribus ſeculis rudius factus & quomodo in me-
87. *lius magis magisque cœperit ordinari;* Marci item Ottonis, Reip.
Argentoratenſ. Conſiliarii, *Schedium de Regiſtratura; Anonymi*
138. *Conſilium de Regiſtrandis, & quomodo Actorum Judicialium*
148. *Regiſtratura commode inſtituenda;* & Jac. Bernardi Mulzii *Or-*
dinationem Archivi, locis commodis inſeruit. Originem Ar-
32. chivi (ut nonnulla decerpamus) Civitatum Imperialium ad annum 1523 refert, cujus inſtruendi ratio præcipua fuit, ut ex Actis Comitiorum Imperii ſumma induſtria collatis votum deciſivum a ceteris Statibus denegatum ſibi vindicarent; & libertatem ab Epiſcopis haud una vice impugnatam tutarentur. Judicia Imperatorum & Imperii Provincialia antiquis temporibus ſua poteſtate abuti cœpiſſe, & Civitates præſertim Imperii levibus de cauſis proſcripſiſſe, ex ſchedula pervetuſta probat.
47. Inter Archiva ſuperiorum Statuum, quæ primum in meliorem ordinem redigi cœperunt, Bavaricum ſub Ludovico IV, Bohemicum ſub Carolo IV, A. 1541 maximo Bohemorum damno igne abſumtum, Palatinum ſub Ruperto, tandemque Viennenſe
53. Friderici III & imprimis Maximiliani I cura adornatum laudi-
64. bus extollit. Clericorum rapacitati, qua ſequioribus temporibus laicorum bona nimium divexabantur, modum tandem ſtatuere neceſſarium duxerant Civitates Imperii, ut privilegiis Imperatorum & facultate acquirendorum immobilium, quibus reditus
55. publici diminuebantur, Clericis, ſive emtionis ſive hæreditatis titulo quid caperent, penitus interdiceretur, quorum plura exempla Noſter in medium producit. Clerum autem Interregni tempore, cum ſecularium favorem ad externam vim propulſandam ambiret, & Germanorum ſermo nativus, rejectis
60. Latinis, magis indies in ſcriptis publicis adhiberetur, a Protocollis, Cancellariis & omnibus rebus gravioris momenti paulatim fuiſſe remotum edocet. Germanos moris & juris patrii
68. ſemper

semper fuisse tenacissimos, vel illud exemplo esse potest, quod Caroli V tempore, cum Ordinatio Criminalis promulgata fuisset, plures Imperii Civitates se ab antiquo jure minime discessuras, publico nomine profiterentur. Ut feuda Imperio aperta in fiscum publicum redigantur, per Recessus Imp. Capitulationum ævo majores fuisse cautum, ex Moguntini Oratione quadam ostendit. Ad conservanda publica monumenta Status Imperii ea in certos libros transscribi curarunt, unde tamen evenit, ut ipsa authentica, quæ vocant, minus curarent, istaque temporis injuria corrumperentur. Scriptorum deinde, qui sua ex Archivis consignarunt, mentionem facit, interque eos Lehmanni Chronicon Spirense nunquam satis laudandum enumerat, tanti olim a Colberto fumuno isto Galliæ ministro æstimatum, ut illud Gallico idiomate donaret, quæ versio in celeberrimo ipsius librorum thesauro hodienum asservatur. Secundo loco Autor noster exhibet *Rerum Germanicarum præsidia seu diplomata & alia monumenta publica, partim ad prædictarum observationum & memorabilium probationem ac confirmationem, maxime vero ad historiæ & status publici per aliquot secula illustrationem, ordine Chronologico dispositæ*, e quibus pariter notatu digniora brevibus indicabimus. Jus naufragorum bona surripiendi, quod olim vocabatur die Grundruhe/ jam Sec. XII ab Henrico VI severe prohibitum fuisse ex ipsius constitutione patet. Ludovicus IV Imperator in literis ad Argentoratenses, Imperii insigne vocat Unsern wiederschenden Adler; *Aquilam respicientem.* Carolum IV, ejusque filios, Wenceslaum & Sigismundum Imperatores, Vicarios Imperii, quoscunque vellent, absentibus ipsis constituisse in vulgus notum est; sed Electores, ceterique Imperii Principes, ejus tandem rei pertæsi, constituerunt, nullum se Vicarium isto modo designatum imposterum agnituros, *quod talem Vicarium constituendi potestas non penes ipsum Dominum Regem, sed potius apud eosdem Dominos Principes veluti Regni Electores resideret*, uti ex Actis depositionis Wenceslai probat. Morem istum antiquum, quem nonnulli tradunt, ut Cæsar haud unanimi Electorum consensu electus Francofurto obsesso & capto demum legitimus existimaretur,

p. 71. 78. 103. 160. 191. 220.

ex

ex ſchedula quadam antiqua hic confirmatur. Querelas de Ju-
p. 248, 329. dicio Vehmico, & plura huc pertinentia paſſim immiſcet; his
ſq. 383. & decreta Imperatorum & fœdera Statuum adverſus factionem
229 ſq. Tribulariam, item nonnulla circa depoſitionem Wenceslai
267,299. ſubjungit. Eundem vero non omne jus in Germaniam ſtatim dimiſiſſe, ex literis, in quibus cenſum Imperialem a Civitatibus Imperii ſibi ſolvi deſiderat, & fœdere clandeſtino cum Cardinalibus, oſtendit. Quantum ad Succeſſores Wenceslai, plurimi quidem Henr. Mutii autoritate moti Jodocum Moravicum, deinde Fridericum Brunſuicenſem, denique Rupertum
270,304. Palatinum enumerant; Noſter autem Fridericum, atque hoc mox occiſo, Rupertum, & ultimo demum loco Jodocum fuiſſe electos, monumentorum fide corroborat. Eundem Rupertum ſuſpicione laboraſſe, quaſi Statuum jura diminuere volue-
276. rit, præſertim cum fœdera Statuum & Civitatum Imperii inhi-
290. bere conaretur, ex Moguntini querelis aſſerit. Non Sigismun-
308. dum ipſum, ut plerique fabulantur, ſed legatum ipſius Johannem Burggravium Norimbergenſem electioni ipſius interfuiſſe,
314. ex literis Electorum comprobat. Concilium Conſtantienſe, quod plurimi Cardinalium Argentinæ præoptaſſent, in gratiam Suevorum, quorum magna pars Imperatoris aulam iſto tempore ſequebatur, Conſtantiam ab Imperatore convocatum,
312,340 ſq. Arge toratenſes autem id non ægre tuliſſe, refert. Conſilia de conſtitutione Circulorum ad pacem publicam firmandam, Sigismundi, Alberti II & Friderici III temporibus agitata paſſim
357 ſq. occurrunt. Ex illis, quæ de emendatione monetæ afferuntur, apparet, Electores & Civitates quasdam jam Ruperti & Friderici III tempore de certa monetæ bonitate inter ſe convenisſe. Electores anno 1461 Comitia Francofurtum indixerant, vocato ad eadem Fridrico III Imperatore, quod quidem ipſe adeo moleſte tulit, ut Civitates Imperii eo convenire vetaret, & alia
392. Norimbergam indiceret. Denique circa querelas Statuum Carolo V 1529 exhibitas notandum, ſerio tunc fuiſſe poſtulatum, ne officia hæreditaria, præſertim Vice-Cancellarii munus, alii præterquam Germano demandarentur, neve fructibus officiorum ratione percipiendis amplius derogaretur, & ut monumenta

menta publica Archi-Cancellariis Imperii impoſterum aſſervanda traderentur. His tandem Noſter *Anonymi Methodum Renovandi; Deſignationem titulorum, iis qui libris Cenſualibus conficiendis incumbunt, perutilem;* Paridis a Puteo, JCti Neapolitani, *Praxin & formam Renovationis ſeu Redintegrationis;* Friderici Wiegeri, ICti Argentoratenſis, *Diſſertationem de Renovationibus Bannorum;* & *Indicem materiarum tam in Tractatione de Archivis, quam in ſubjunctis Præſidiis contentarum juxta ſeriem Capitum, Obſervationum & Documentorum ordinatum,* ſubnectit, ſpecialem indicem, & peculiarem Tractatum de Cancellariis & Archivis eorundemque juribus impoſterum pollicitus. p. 414. 426. 433. 446.

CONSIDERATIONI INTORNO ALLA GENERAZIONE de Viventi.

i. e.

MEDITATIONES DE VIVENTIUM, ET ſpeciatim Monſtrorum, generatione a D. FRANCISCO MARIA NIGRISOLI ad P. P. Dionyſium Andream Sancaſſani conſcriptæ.

Ferariæ, apud Bernhardum Barbieri, 1712, 4.
Alph. 2 plag. 3 figur. æn. Tab. 4.

QUi Medicus Ferrarienſis *Febrim China China expugnatam* A. 1687 primum Ferrariæ ſuppreſſo nomine in lucem emiſit, in *Actis noſtris 1688 Menſe Februario* p. 87 recenſitam, is ipſe in titulo poſtmodum ſecundæ editionis, A. 1700 evulgatæ, comparuit, cujus de generatione viventium, ac in ſpecie monſtrorum, meditationes annotationibus illuſtratæ nunc nobis veniunt commemorandæ. *Cl.* namque *Autor* doctiſſimo Sancaſſani gratificaturus, poſtquam ab hoc monſtrum felinum cum ipſius de eodem diſcurſu dono acceppiſſet eſſetque rogatus, ut ſuam pariter de monſtrorum geneſi aperiret mentem, e re fore judicavit omne abſtruſum generationis viventium negotium in genere prius recludere, quam productionem monſtrorum tum univerſorum, tum nonnullorum particularium, ſpeciatim extricare. Introd. I. Part. I.

Medit. 1. tricare. Ante omnia itaque in cunctarum fœminarum, etiam viviparārum, ovariis ova contineri, a se non minus e duobus cadaveribus muliebribus A. 1687 & 1688 exemta & examinata, inque ovis illis omnium animalium viviparorum quoque generationem fieri, cum Recentioribus tanto verius demonstrat tantoque certius a variis Sbaragliæ dubiis vindicat, quanto evidentius, naturam eodem semper modo operari iisdemque semper instrumentis pro eodem fine uti, adversus postremum æque ac Bonanni propugnat, quantoque pluribus difficultatibus fœtus in utero primordium ex utriusque parentis genitura com-

Medit. 2. mixta, quod Veteres voluere, declarat involutum. Huic omnes reliquas rationes, quibus Sbaraglia viviparorum generationem ex ovo in dubium vocare allaboravit, ita refellit, ut in utriusque sexus cohabitatione foliacea tubæ alterutrius ornamenta sæpius ad ovarium applicari per experientiam Vallisneriī atque Litre confirmet, ac spirituosiores seminis masculini particulas a crassioribus moleculis, post liquoris genitalis mulierum admiscelam præcipitatis, ad ovarium pariter elevari, per hujus aut membranarum poros, aut caniculorum aëreorum a Bellino detectorum oscula patentia introrsum ferri ac unum plerumque, rarius plura ovula, fœcundari, eo probabilius autumet, quo clarius inde, cur non semper in quolibet congressu

Medit. 3. ova reddantur fœcunda, simul patescit. Tum in ovulo tali embryonem sive fœtum cum omnibus partibus, a nutrimento successive in majorem molem extendendis, comprehendi, partim analogia seminum vegetabilium, ipsas plantas ante continentium, quam terræ concredantur, partim exemplo ovorum gallinarum, ovulorum ranarum & ovulorum hominum comprobat, ceu in quorum hisce Kerekingius & Ruyschius, in illis Swammerdam, & in istis Fabricius ab Aqua pendente, Harvæus & Malpighius, integrum annotaverint embryonem, nec dubitat spontaneæ Veterum ex putredine generationi ovula anguillarum & semina lentis palustris, a Vallisnerio detecta, opponere. Cum vero inter Recentiores Bonanni cumprimis atque

Medit. 4. Triumfetti omnia ex ovo produci pernegent, idcirco *Noster* porro ad examen primum argumenta & experimenta vocat, quibus

bus Bonanni vel cochlearum ac reliquorum teſtaceorum abſque ullo ſeminio proventum evincere, vel Redi atque Marſigli objectionibus ſatisfacere, vel ſpontaneum nonnullorum vegetabilium ac inſectorum exortum ſtabilire fuit annixus, inter alia inſecta pulicum ovula Vallisnerii & Ceſtoni obſervatis, muſcarum vero in gallis ovula ſingulari Caſtelli obſervatione corroborans. Deinde Triumfetti rationes, quibus hanc propoſitionem: omnia ex ovo; ille impugnat ac plantarum in ſpecie nonnullarum aliam, quam ex ſemine, originem propugnat, plantulæ autem in ſeminio præexiſtentiam negat, non modo diluit, ſed & contrarium, i. e. integram plantam in ſemine jam latere, priusquam terræ illud committitur, oculari inſpectione cum Rajo, tum Grew, (cujus Anatomen plantarum cum ſuis obſervationibus expectare jubet,) oſtendit. Ut de principio tamen activo demum conſtet, a quo fœtus in ovulo primordium dependeat, Leeuwenhœckium non minus cum ſuis vermiculis in ſemine maſculino, ac Morlandum eum novo ſiorum uſu in plantarum productione, a nobis A. 1705 Menſe Junio p. 275 ex Actis philoſophicis Anglic. excerpto, repudiat. Neque tam Sturmio aliisque, in ſolum Deum abſque creaturarum activitate, generationem animalium æque, ac omnia, referentibus ſubſcribit, veluti quos triplicis præjudicii arguit eorumque rationes rejicit, quam iis, qui intrinſecum agens ſeminale in formando fœtu agnoſcunt. Pro tali videlicet ipſam in brutis animam materialem, in hominibus autem agens analogum, i. e. lucem modificatam, ita venditat fuſiusque declarat, ut excuſſa illorum ſententia, qui omnis animæ in generationis negotio concurſum, ceu minus neceſſarium, explodunt, ab aura omnino ſpirituoſa ſeminis maſculini cum ſimili aura fœminæ ſociata fœtum in aliquo ovulo eatenus efformari contendat, quatenus vi motus legis, a ſummo Creatore principio ejusmodi impreſſæ, omnes ſic partes, non niſi ruditer a laudato mulieris agente jamdum elaboratæ & ovuli colliquamento innatantes, rite in vicem conjungantur ac magis magisque perficiantur. Atque tot meditationibus Pars abſolvitur *prima de viventium generatione in genere*, rerum quoque indice atque contentorum ſyllabo in-

Medit. 5.

Medit. 6.

Medit. 7.

Medit. 8.

Medit. 9.

ſtructa; quamprimum vero *pars altera de monſtrorum* ortu in *genere*, atque *tertia de monſtrorum nonnullorum productione in ſpecie* ad nos commeaverint, haud deerimus in iisdem ſimiliter cum L. B. communicandis.

L. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI ET aliorum Virorum Clariſſimorum Epiſtolarum Centuria, e Muſeo L. IMMANUELIS HENRICI GARMANNI, Phyſ. Provinc. & Pract. Schneeberg.

Roſtochii & Lipſiæ, ſumtibus Chriſtiani Gotthold Garmanni, 1714, 8.

Alphab. 1. plag. 6.

VArii ſunt argumenti Epiſtolæ, quas beate defunctus Garmannus ad Viros *συγχρόνους* clariſſimos vel dedit, vel ab iisdem recepit, in hunc faſciculum collectæ. Rem Phyſico-Medicam quæ concernunt, ſpeciminis loco nunc ſumus relaturi, neglectis tamen illis, quæ vel in Miſcellaneis Naturæ Curioſorum, vel in Majoris Chirurgia Infuſoria alibive jamdum leguntur.

In *Epiſtola IV, XXXIIX, & LX*, de Chryſanthemo monſtroſo, aliisque plantis monſtroſis agitur, quarum monſtroſitatum cauſæ in *Epiſtola XX* allegantur, partim materiæ exceſſus, & anomala ſucci nutritii fermentantis ad indebitas plantarum partes latio; partim ars, quæ ſolertem hic ſeſe modo inſitione, modo aliis ab artifice excogitatis modis præſtat; partim cœli humiditas; partim caſus. In *Epiſtola XII* contra principia chymica eosque, qui ex elementis ſal, ſulphur & mercurium elicere ſatagunt, diſputatur. In *Epiſtola XXXII* macularum ſcorbuticarum poſt mortem efflorescentia in virtutem caloris præternaturalis extincto naturali transfertur. Per calorem vero præternaturalem intelligitur putredinalis, qui aliquando tantus eſt, ut ægrotantium corpora gelidiſſima aut frigidiſſima marmora excalefaciant, imo poſt mortem calidiora ſint, ac fuerint in vita; nam luxurians putredine ſanguis turgentesque humores, calore naturali, cujus dominio ſubjecti erant,

rant, extincto, ſui juris facti ebulliunt, ac impetu, quocunque libet, facto erumpunt, unde cadaverum maculæ, livores, rubores, ſtigmata & cruentationes contingunt. In ſcorbuticorum potiſſimum cadaveribus hoc phænomenon obſervatur ob ſalium ſylveſtrium & inter ſe contrariorum, in ipſorum ſanguine abundantium, ebullitionem & pugnam, qualem quoque in præparatione tartari vitriolati videmus. Nec harum macularum propulſio naturæ robori ſemper, ſed non raro materiæ copiæ imputanda eſt. Pediculos vero, in ſanguine ob nimiam ejus corruptionem genitos, ex poris cutis agminatim alias excurrentes, & cadaver denegata ſanguinis dulcedine deſerturos, ob ingratos, tetros, & malignos ex cadavere tali exhalantes vapores, inanimes quaſi ac debilitatos ulterius progredi non voluiſſe, atque ita ibidem detentos fuiſſe exiſtimatur. In *Epiſtola XXXVII* cauſa, quod injectionem medicamentorum in chirurgia infuſoria vomitus ſequatur, in ventriculi partim tonum a morbo læſum, partim in pravos humores in ejus cavitate ſtagnantes rejicitur; præcaveri igitur poterit præmiſſo leni purgante ſymptoma iſtud moleſtiſſimum. Medicamenti qualitas purgans huc etiam facit; ab alterantibus enim in venam immiſſis nec nauſea nec vomitus obſervatur, ſi a cruditatibus liber exiſtit ventriculus. Concludendum exinde, cauſam vomitus non ſemper in ipſo ventriculo laterè, ſed etiam in vaſis, quod in febribus ad oculum patet, ut male idcirco ſemper nauſeam & vomitum vomitu curandum exiſtiment. In *Epiſtola LX* thermarum probationes per præcipitationis modum inſtitui poſſe, ita ut genuina earum principia mineralia aqueo tegmine velata exinde poſſint in apertum produci, negatur. Cum enim per modum effervescentiæ ſalium mineralium cum venis minerarum, in ſpecie metallicarum, generari videantur thermæ, ſane in iſta effervescentia ex reciproca actione & mutuo concurſu & agens & patiens inſigniter alterari, & utrumque non leviter immutari, novumque ita productum in aquis thermarum ex utrisque compoſitum generari videtur; ita ut, licet inſtituatur præcipitatio quædam artificioſa, præcipitata tamen non in forma nativa, aut natura propria, ſed potius ex concurſu nova induta larva apparitura ſint. Adhæc

omnes præcipitationes cum fiant additione cujusdam tertii, quod vel præcipitandæ rei se jungendo eam ad fundum trahit, vel liquori continenti se uniendo præcipitatum ejus poris extrudit, sane utroque in casu per tertium præcipitans & liquor continens, & præcipitatum ipsum nova facta unione cum præcipitante, novo producto a nativa facie multum diverso, sensibus denuo illudet. In *Epistola LXXXIIX* viri mentio fit doctissimi, qui quoties in schola vel alibi puerum quendam castigare, braccas privari, ac ferulis cædere videt, illumque plorantem audit, toties sine membri virilis tensione atque tentigine semen copiosius emittere cogitur, tanta animi commotione, ac si in lipothymiam incidere deberet, quod etiam ei dormienti sæpius accidit, quando hac de re somniat. In *Epistola XCI & CXIII*, an ovorum humanorum progenies Veteribus cognita fuerit, disquiritur. In *Epistola CXIV* hydropici mentio sit, per særoti apertionem curati. Mittimus, quæ in *Epistola XXXIII* de serico, in *XXXIV* de pulvere licopodii & pini differuntur, & Liquorem refectivum Sachsii una cum spiritu terræ solaris, qui in *Epistola L*, describuntur.

JOHANNIS RAJI SYNOPSIS METHODICA Avium & Piscium; opus posthumum.

Londini, impensis Guilielmi Innys, 1713, 8.
Alphab. 1. plag. 1 cum fig. æn. Tab. 4.

QUatuor jam præterlapsa sunt lustra, cum liber iste ab Autore clariss. elaboratus, propriaque manu diu ante obitum ipsius limatus & perfectus fuit, nuper admodum in cujusdam bibliopolæ scrinio forte fortuna repertus, pulvere ibi obrutus & cum tineis certans; prout hoc in præfatione, libro præfixa, testatur, qui editionis hujus curam habuit, W. Derham. Eandem methodum sequitur Clariss. Rajus in hac Avium & Piscium Synopsi, quam in Historia Insectorum servasse eum, in Actis hisce Anno 1711 p. 212 monuimus; post divisionem scilicet generalem avium pisciumque, singulas describendo species. De divisione hac quædam nunc commemorabimus.

Aves sunt vel terrestres, vel aquaticæ; terrestres vocantur, quæ

quæ aquas minime frequentant, sed in siccioribus plerumque locis degunt, & in terra victum quærunt; suntque vel rostro & unguibus aduncis, γαμψώνυχες Græcis dictæ, vel rostro & unguibus rectioribus, minusque hamatis. ταμφώνυχες vel sunt frugivoræ, ut psittaci, vel carnivoræ, & rapaces, ut reliquæ. Rapaces sunt vel nocturnæ, quæ internoctu evolant, & prædantur, capitibus magnis, & velut felinis. bubones & noctuæ dictæ; vel diurnæ, hæque vel majores vel minores. Illæ observantur vel generosiores, ut aquilæ, vel ignaviores, ut vultures; hæ itidem vel generosiores sunt, ad aucupium inflitui solitæ, accipitres dictæ, quas accipitrarii distinguunt in macropteras, i. e. alis longis, & ad caudam fere extremam extensis donatas, & brachypteras, i. e. alis brevibus & ab extrema cauda multum deficientibus praditas; vel ignaviores & sylvestres, ut buteo, milvus, lanius, seu collurio. Aves rostro & unguibus rectioribus minusque hamatis instructæ, sunt 1) maximæ, singulares & sui generis, ob corporum molem & alarum parvitatem volatui inidoneæ, ut struthiocamelus, cassoaris & dodo; 2) mediæ magnitudinis, seu majores, quæ vel sunt rostris magnis, crassis, validis & oblongis, ut genus corvinum & picorum, vel rostris minoribus & brevioribus, nonnihil incurvis, ut gallinaceum & columbinum genus; 3) minores, ut turdinum genus; 4) minimæ, quæ aviculæ dicuntur, & in tenuirostras, & crassirostras dividuntur. Aves aquaticæ modo circa aquas versantur, & in aquosis plerumque victum quærunt, aquis tamen non innatant, omnes fissipedes, & observantur vel maximæ, ut grus, vel minores; hæque vel piscivoræ, vel insectivoræ, aut limosugæ; minores istæ vel rostris longissimis aut rectis, ut scolopaces, aut curvis, ut arquatæ, vel rostris mediæ longitudinis, ut himantopus, vel rostris brevissimis donatæ sunt, ut vanellus, pluvialis, &c. Aves aquis innatantes sunt vel fissipedes, digitis in nonnullis ad latera membranis acutis, vel palmipedes, eæque vel longicruræ, & anomalæ, ut phœnicopterus, avosetta, trochilus, vel cruribus brevioribus præditæ. Istæque vel tridactylæ sunt, digito postico carentes, vel tetradactylæ; quibus vel digiti omnes membranis intercedentibus connexi sunt, ut onocrotalus, anser

anſer basſianus, corvus aquaticus; vel tres tantum, poſtico ſoluto; atque hæ iterum vel latiroſtræ, quæ dividi poſſunt in genus anſerinum, & anatinum; cujus generis aves ſunt aut marinæ, & urinatrices, aut fluviatiles & lacuſtres; vel anguſtiroſtræ, ſive roſtro in extremo acuto, recto, aut modice tantum inflexo; quæ duorum ſunt generum 1) brachypteræ, & urinatrices, quarum nonnullæ digitos habent diviſos membranis tantum lateralibus auctos; 2) macropteræ & volaticæ, ſive roſtro in extremo adunco, quæ duorum pariter generum ſunt, 1) roſtro ſerrato, ſeu ad latera utrinque dentato, ut mergi; 2) roſtro lævi, ſeu dentium experte, ut avis diomedea.

In Synopſi piſcium alia utitur Clariſſ. Rajus methodo ac naturæ magis convenienti, quam in Willugbeji Ichthyologia a ſe edita. Quanquam igitur piſcis nomen, ſi proprie & philoſophice loqui liceat, ad illa ſolum animalia reſtringendum eſſe fateatur, quæ branchiis reſpirant, & unicum tantum ventriculum obtinent; ne tamen a recepta ſententia deviet, & opiniones paradoxas ſectari videatur, exanguia aquatica & cetaceum genus impræſentiarum itidem pro piſcibus habet, piſcemque in genere deſcribit, animal aquatile, pedibus carens, pinnis natans, ſquamis, vel cute nuda, glabra & depili contectum, in aquis perpetuo degens, nec unquam ſponte in ſiccum exiens. Diviſionem piſcium, qua natura ipſa in iis diſponendis utitur, a reſpirandi & generandi modo, partibus & accidentibus unicuique propriis deſumit. Sic piſces in genere primaria diviſione diſtinguendi ſunt in pulmone reſpirantes, & branchiis reſpirantes. Illi belluæ marinæ ſunt, ſeu cetaceum genus; hi dividuntur in ova magna concipientes, qui & cartilaginei ſunt & vivipari, vel longos, ut lamia, canis, catulus ſeu galeus; vel latos, ut raja, paſſinaca, torpedo; & in ova parva concipientes; qui vel ſunt plani, in latus projecti natantes, ſive longiores, ut ſolea, ſive latiores, ut rhombus, paſſer, vel dorſo erecto natantes, qui pinnarum reſpectu dividuntur in eos, qui vel nullas habent neque ad branchias neque in ventre pinnas, vel unum duntaxat earum par, v. g. ad branchias; & in eos, qui duo habent in prona corporis parte pinnarum paria. Primi generis

piſces

piſces ſunt vel longi, lubrici, & anguilliformes, ut murænæ, lampetræ, anguillæ, muſtelæ &c. vel corpore contractiore & aſperiore, ſeu minus lubrico, ut orbis; poſterioris generis piſces a pinnarum, quæ dorſo innaſcuntur, numero & conſtitutione diſtinguuntur in eos, qui dorſo ſunt 1) tripinni, ut aſelli, 2) bipinni, vel utraque pinna molli & flexili, ſeu cartilagineis radiis inſtructa, ut merlucius, gobius & truttaceum genus; vel anteriore ſpinis oſſeis radiata, poſteriore cartilaginibus flexilibus, ut lupus, mugil, mullus, draco, trachurus, perca &c. 3) unipinni pinna vel radiis omnibus cartilagineis & flexilibus, vel anterioribus rigidis & ſpinoſis, poſterioribus cartilagineis donata. Prioris generis alii pinna longa ſunt, & per totum fere dorſum continua, ut Hippurus Rondeletii, ſive dorada; alii pinna breviore, eaque vel circa centrum gravitatis ſita, atque hi vel marini, maxillis aſperis, ut harengi & congeneres; vel fluviatiles ſeu aquarum dulcium, malacoſtomi dicti, ut cyprinus, barbus, cephalus, tinea, rutilus, gobio, vel in infimo dorſo hærente, ut lucius, acus. Poſterioris generis multæ ſunt ſpecies, tum marinæ, tum fluviatiles, ſed præcipue marinæ, ut aurata, ſparus, ſargus, moenas, boops, ſcorpius. Datur etiam una vel altera ſpecies dorſo unipinni, radiis omnibus aculeatis.

Vollkommene Beſchreibung eines Berg-Bohrers,

h. e.

DESCRIPTIO EXACTA TEREBRÆ METALLOſcopicæ &c. Autore D. JOHANNE CHRISTIANO LEHMANNO, Phyſ. P. P. & Med. Extr. Acad. Leopold. & Societ. Pruſſ. Membro.

Lipſiæ, apud Hæredes Lanckiſianos, 1714, 4.
Plag. 5 Tab. æn. 1.

TErebra metalloſcopica, quam Cl. Autor vocat, eſt terebræ quoddam genus, quo in metallifodinis ad explorandam ſo-

li naturam utuntur. Noſter c. 1 omnes ejus partes accurate deſcribit, mediantibus cochleis inter ſe jungendas, tum ut terebræ longitudo produci & contrahi poſſit, prout uſus tulerit, tum ut pars infima variari queat, prout ſolum terebrandum vel magis vel minus durum exiſtit, vel pulvis a terebratione reſiduus expurgari debet. Figuræ partium variandarum parum differunt a figuris terebrarum ordinariarum, quæ in ſimiles uſus adhibentur, a nobis adeo prætermittendæ, quoniam præſertim ſine multo figurarum apparatu explicari nequeunt. Progreditur Cl. Auter c. 2 ad deſcribendas operationes, quæ opo hujus terebræ in metallifodinis fiunt, ut uſus ſingularum partium manifeſtior evadat. Mox c. 3 utilitates commemorat, quæ in fodinis metallicis ab hac terebratione pendent: his addit alias in œconomiam redundantes, e. gr. ſi fontes quærantur, ſi fundamentorum excitandorum gratia ſolum exploretur, ſi aggeres piſcinarum perfodendi ad aquas aliorſum derivandas. Denique c. 4 ſumtus computat in iſtiusmodi terebram faciendos, qui 47 thaleros excedunt. Notandum vero, quod, cum hactenus terebræ iſtiusmodi minores fieri ſueverint, Noſter varias partes mediantibus cochleis jungens tantæ longitudinis eas fieri jubeat, ut ad aliquot mille pedum profunditatem terebratio commode inſtitui poſſit.

ECLIPSIS TOTALIS SOLIS ET TERRÆ A. S. M DCC XV d. 3 Maji in boreali terræ hemiſphærio obſervanda, pro illuſtrando calculo eclipſium ſolarium & terreſtrium ex fundamentis trigonometricis & tabulis Riccioli, Longomontani, Keppleri, Streeteni ſupputata & deſcripta a M. JO. BERNH. WIDEBURGIO.

Helmſtadii, typis Georgii Wolfgangi Hammii, 1714, 4. Plag. 1 2. fig. æn. 4.

Difficillimus eſt in tota Aſtronomia calculatoria eclipſium Solarium calculus, propter ſenſibiles Lunæ parallaxes cum in longitudinem, tum in latitudinem, quæ novilunium verum a viſo & longitudinem ac latitudinem verum a viſa differre faciunt. Operæ itaque pretium fecit Cl. Autor, quod præcepta

hujus

hujus calculi per varia problemata explicata & demonstrata dederit in usum tyronum, atque exemplo aliquo vero illustraverit. Quibus enim nondum cognitus est eclipsium Solarium calculus, iis non immerito Cl. Autoris laborem commendamus. Sunt autem duæ ejus partes, Prima eclipseos Solaris, quatenus, ut occultatio Solis a Luna facta consideratur, calculum methodo *Ptolemæi* per parallaxes enodat: altera vero eandem eclipsin more *Kepleriano* instar privationis luminis Solaris in terra factæ considerat & problemata ea de re apud Astronomos recentiores passim obvia declarat. Parallaxes longitudinis & latitudinis methodo antiqua *Ptolemaica* investigat; methodum vero *Keplerianam*, qua calculus multum abbreviatur, non attingit. Nobis sufficerit specialius commemorasse solutionem problematis, quo corporis in data trajectoria elliptica juxta legem *Keplerianam* lati anomalia eccentri inveniri jubetur. Inferatur, inquit, ut sinus totus ad æquationem maximam, ita sinus anomaliæ datæ ad æquationem primam. Hæc æquatio in primo semicirculo (ab apogæo ad perigæum) ab anomalis data subtrahatur, in secundo (a perigæo ad apogæum) eidem addatur, ut summa vel differentia indicet anomaliam primo æquatam. Fiat rursus ut sinus totus ad æquationem maximam, ita sinus rectus anomaliæ primo æquatæ ad æquationem secundam. Æquatio secunda anomaliæ datæ rursus addatur vel subtrahatur juxta monitum præcedens, ut fiat anomalia secundo æquata. Continuentur hæ operationes, & quærantur anomaliæ etiam tertio, quarto &c. æquatæ, quæ tum sibi ipsis invicem, tum quæsitæ magis magisque appropinquent, donec tandem omnis sensibilis differentia evanescat, tum inventa pro vera quæsita habebitur. Exemplum hoc affert. Sit anomalia media 10 S. 2° 58′ 28″. Quoniam æquatio maxima 1° 1′ 52″ seu 3712″, reperietur æquatio prima 300″ sive 5′ 54″, adeoque anomalia primo æquata 30° 3′ 50″ 22‴. Quodsi porro inferatur, ut sinus totus ad 3712 ita sinus 30° 3′ 50″ 22‴ ad æquationem secundam; reperietur hæc 309‴ seu 5′ 13‴: quæ cum a priori saltem aliquot secundis differat, ideo eam pro vera retinet & anomaliæ mediæ 10 S. 2° 58′ 28″ adjicit, ut prodeat anomalia eccentri 30° 3′ 4′ 51″.

Unterricht von der Kunſt der Menſchen Gemüther zu erforſchen etc.

i. e.

INSTITUTIONES ARTIS COGNOſcendi hominum mentes, in quibus examinatur, quid veri falſive, certi vel incerti, huic arti inſit, editæ a JULIO BERNHARDO de ROHR.

Lipſiæ, apud Jo. Chriſtianum Martini, 1714, 8.
Plag. 20.

POſtquam Autor generoſiſſimus pauca de hac arte ſolide conſcripta eſſe deprehendit, ipſe de utilitate illius convictus, operæ pretium duxit, eandem pro ingenii, quo valet, viribus inveſtigare. Capite I agit de arte noſcendi hominum mentes in genere, deſcribens illam per habilitatem, ex quibusdam notis φυσιογνώμοσι paſſiones hominum vel certe definiendi, vel ſaltem conjectandi. Hac explicata, objectiones, quæ contra hanc artem moveri poſſent, diluit. De Scipionis Claramontii libro, quem de conjectandis cujusque moribus & latitantibus animi affectibus inſcripſit, judicat, multum requiri operæ ad eruendas paucas veritates, in hoc libro contentas, plurimisque falſitatibus involutas. De ſcriptis pariter Thomaſii & Trierii, quæ de hoc argumento ediderunt, libere fert judicium. In fine hujus capitis uſum, quem hæc doctrina in contrahendis matrimoniis, negotiis pragmaticis, contractibus, & in prædicendo probabili actionum ſuarum eventu præbere poſſit, indicat. Capite II cauſas ſimulationis & diſſimulationis allegat, edocetque, qua ratione & quam firmiter veræ paſſiones a fucatis & ſimulatis dignoſci poſſint. Applicat hæc poſtea tribus vitiis, nimirum avaritiæ, ambitioni ac voluptati. Cap. III de inconſtantia & mutabilitate paſſionum humanarum diſſerens, oſtendit, ſecundam adverſamque fortunam, morbos, matrimonium, diverſas ætatis vices, verbum Dei, lectionem certorum librorum, clima, certos

certos cibos, ereptam vel oblatam occasionem, laborem, otium, sodales & similia affectus mortalium vel penitus vel ex parte mutare posse. In fine hujus capitis fatetur, sæpius quidem seria meditatione adhibita causas mutationis a nobis reperiri, impossibile tamen esse, illas omni tempore explorare, ac literis consignare, cum singula objecta sensus externos ferientia certas passiones in nobis producere, illasque diversimode variare valeant. Quis vero res omnes, quæ cogitationes in nobis excitant, in classes distribueret, cum, quamdiu harmonia corporis & animi cum notionum nexu nos latet, tamdiu etiam causæ, quæ passiones tam mire variant, impervestigabiles futuræ sint? Cap. IV regulas suppeditat, ex sermone interiora animi expiscandi, & expendit, quæ inprimis hac de re notanda, ac quomodo diversis quæstionibus mentes hominum explorari possint. C. V docet, ut ex actionibus, exempli gratia, conversatione cum fœminis, ebrietate, ludis, vestitu, libris, sodalitiis, modo erogandi pecuniam, educandi liberos, gubernandi domesticos &c. animi mortalium cognoscantur. Cumque interdum tempus & occasio non ferant, ut per crebram & diuturam conversationem, sermones & actiones hominum observemus, idque ob simulationem plurimis quoque obnoxium sit difficultatibus, Cap. VI totus est Noster in investiganda probabilitate fidei, quæ aliis, dum actiones alterius referunt, & de illorum moribus judicant, adhiberi possit. In his inprimis considerandum esse inquit, num amici vel inimici ejus, de quo judicant, prudentes an imprudentes, divites vel pauperes, veritatis studiosi sint, nec ne, multa vel pauca loqui ament, aliasque circumstantias perpendendas, priusquam eorum relationibus vel judiciis tuto quis innixi possit. Capite VII de tribus vitiis cardinalibus, avaritia, ambitione & voluptate, disputat contra Ill. Thomasium. Definit hic avaritiam per cupiditatem opes inhoneste acquirendi, acquisitas vero injuste conservandi; ambitionem per desiderium apud alios honorem, laudem & gloriam per id, quod affectibus maxime conveniens est, consequendi; distinguit ambitionem in honestam, aulicam, doctam, voluptuariam & stoli-

dam. Voluptas ipsi est desiderium cupiditates per ea, quæ externis sensibus inprimis adulantur, explendi. Largitur equidem, plerosque homines uni ex his tribus affectibus, vel avaritiæ, vel ambitioni, vel voluptati esse deditos; non vero se eo adduci posse, inquit, ut credat, quod cognita una passione sic dicta primaria, reliqui affectus secundarii quoque perspecti statim sint. Ridet igitur illorum laborem, qui genealogicas affectuum tabulas construere, & ex una reliquas passiones deducere volunt. Capite VIII doctrinam temperamentorum examinat, ac postquam in principio capitis historiam hujus doctrinæ recensuit, omni eam destitui fundamento, & nec a priori nec a posteriori solide demonstrari posse, imo in noxiendis hominum mentibus magis officere, quam prodesse, asserit. In Capite IX viam ostendit se ipsum exacte cognoscendi, immixtis quibusdam theologicis. Capite X regulas in prioribus Capitibus prolatas Sempronio applicat, ac ostendit, quomodo illarum beneficio ipsius indoles explorari possit. Plerasque theses exemplis illustrat, tectis tamen nominibus. Ceterum in præfatione librum hunc delineationem & prodromum majoris operis appellat. Cumque hæc materia necessario Metaphysicam, una cum Physica, doctrina morum, & doctrina Logica de probabilitate & conjecturis præsupponat, thesibus Philosophicis, quas jam meditatur, absolutis, pleniorem & solidiorem disquisitionem hac de re pollicetur.

NOVA LITERARIA.

Decessit nuper in Italia Vir toto orbe celeberrimus Antonius Magliabechius, de quo, dum justum vitæ ejus compendium ab Italis exspectamus, nunc saltim pauca cum benevolo Lectore communicamus. Nimirum natus is die 29 Oct. 1633, cum literis a parentibus destinatus non esset, insigni tamen earum amore ductus & memoria inprimis adjutus incredibili, tantam librorum cognitionem paulatim acquisivit, ut parem ea in re haberet neminem, eoque dignus haberetur, qui Magni Etruriæ Ducis Bibliothecæ præficeretur. Et quamvis libros ipse proprio nomine haud ediderit, multis tamen eruditis eximium aliquid

quid in re literaria condentibus ex instructissima penu observata sua liberaliter subministravit. Ita de Academicis Florentinis a se collecta intulit libro, sub titulo *Notizie Letterarie ed Istoriche intorno agli Uomini illustri dell' Academia Fiorentina*, Flor. 1700 edito, ac plurima suppeditavit Leonhardo Nicodemo Additiones suas ad Nic. Toppi Bibliothecam Neapolitanam edituro, ut alios taceamus, quos per litteras consultus egregie instruxit. Ceterum vires ad extremam fere senectutem habuit integras, tandemque mense Januario hujus anni in conventum Dominicanum B. Mariæ novellæ se recepit, quo se adversus frigoris atrocitatem tueretur, atque illic exspiravit die IV Julii, publico beneficio relinquens bibliothecam suam, reliquas autem facultates Jesu Christi pauperibus in alma urbe patria. Hujus Viri summi loculo Antonius Franciscus Marmius, ejus per viginti tres annos in munere Bibliothecarii vicarius, inscriptionem sequentem plumbo insculptam consecravit:

D. O. M.

HIC REQUIESCUNT OSSA DOCTISSIMI ERUDITISSIMIQUE ANTONII MAGLIABECHII QUI NATALEM SORTITUS EST XXIX OCTOBRIS ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ MDCXXXIII EX MARCO MAGLIABECHIO OPTIMO MORIGERATOQUE CIVE FLORENTINO ET GINEVERA BALDORIOTTA HONESTISSIMA PIISSIMAQUE FOEMINA CONJUGIBUS ULTIMUM VERO ÆTATIS SUÆ CLAUSIT SENIO CONFECTUS IV JULII ANNO REPARATÆ SALUTIS MDCCXIII APUD COENOBITAS HUJUS INCLITI MONASTERII POST EXPLETUM PROSPERA VALETUDINE VITÆ SUÆ CURRICULUM IN HONORIFICA PALATINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTURA REGLÆ CELSITUDINIS COSMI III MAGNI DUCIS ETRURIÆ CUI PERCARUS SEMPER FUIT NEC NON ALIIS QUAM PLURIMIS PRINCIPIBUS OMNIBUSQUE SCIENTIARUM ET HUMANARUM LITERARUM CULTORIBUS TOTO ORBE DIFFUSIS.

Pari-

Parisiis nuper accepimus, P. Anſelmum Banduri revocatum a Magno Hetruriæ Duce, ut Bibliothecæ Mediceæ curam ſuſcipiat: numiſmatum autem collectionem, quam ab illo exſpectamus perfectiſſimam, nihilominus Pariſiis imprimi. R. P. Montfaucónium diligenter incumbere Chryſoſtomo ſuo, cujus prima duo volumina brevi videbimus. P. la Rue, ejusdem congregationis monachus, Origenem nobis dabit, cujus paraphraſin ineditam in pſalmos Bibliotheca Vindebonenſis ſuppeditavit.

In Helvetia Vir Celeb. Jo. Jacobus Scheuchzerus, Tigurinus, Med. D. & Mathem. Pr. novam Helvetiæ tabulam Geographicam A. 1712 vulgavit accuratiſſimam, quatuor foliis, quæ conglutinari debent ut unam tabulam officiant. Itinera Alpina commodum illi vulgares tabulas ſupplendi atque corrigendi, quod conferentibus facile patebit, occaſionem dederant, multa tamen aliorum adhuc induſtriæ ſupereſſe ipſe agnoſcit: opportune addidit indicem veteris Helvetiæ, quo antiqua Helvetorum oppida, quibus nunc appellantur, nominibus interpretatur.

Prodiit Petroburgi oratio Hellinico & Latino idiomate expreſſa, hoc titulo: ΠΕΤΡΥ ΠΕΡΒΟΜΥ &c. *Petro primo Hyper-Sereniſſimo & Potentiſſimo, Pio, Victori & Clementiſſimo Imperatori, Domino & Protectori ſuo, Panegyricum holocauſtum humillime litat & offert, inclita & Theophrurita phalangis ſanctæ metamorthoſeos miles, nec non Sacri Roſſ. Imperii Princeps & Moldaviæ Hoſpadarowicz, ſervus deditus, Serbanus Cantemyr, in burgo S. Petri a. 1714, in Martio, ineunte VII ætatis ſuæ anno Hellinika dialecto peroratum.* Hæc magnam partem dictis & phraſibus Biblicis in laudes Ruſſorum Imperatoris applicatis abſolvitur, quem prope finem ita inter alia alloquitur Orator: *Quemadmodum enim ſub Claudio Cæſare orbis terrarum ab originali peccato ſalvatus eſt, Jeſu naſcente; ita ſub Te Petro Imperatore magnam Dei Eccleſiam priſtinam ſuam libertatem nacturam, inhæſitanter ſperamus, eodem Jeſu reſurgente.* Ceterum literis inde ad nos datis mire laudatur oris actionisque ſuavitas, qua Princeps Cantemyrius dixit, quamque ipſa ætatis illius gratia commendabiliorem effecit.

* * *

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipſiæ
Calendis Decembris Anno MDCC XIV.

NOUVELLE BIBLIOTHEQUE CHOISIE.
h. e.
NOVA BIBLIOTHECA SELECTA.
Tomi II.

Amſtelod. apud David Mortier, 1714, 12.
Alph. 1 pl. 5.

COmmentatio hæc deberi videtur Cl. *Rich. Simoni*, Deppæ anno 1712 d. 11 April. anno ætatis 67 defuncto. Quamvis enim in præfatione maximam partem accepta feratur Dn. *Barat*, ante paucos annos in Collegio Mazariniano defuncto, Amicus tamen ille, cuius opera ex ſcriniis nunc in lucem ita profertur, ut acceſſionibus ejus auctior reddita ſit, *Simon*, quem diximus, eſſe videtur, qui hoc ipſo opere Bibliothecam ſuam Criticam, quatuor voluminibus editam, continuare voluit: quemadmodum ſane quorundam librorum recenſiones manum ejus haud obſcure referunt. Bibliotheca itaque hæc ſiſtit ſciagraphiam librorum variorum nunc nudam, nunc, quod plerumque fit, obſervationibus eruditis auctam. Tomus prior, LI capitibus conſtans cap. I, Porphyrii librum περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων proponit, & primo quidem *Jo. Bernardi Feliciani* Latinam verſionem, ad paraphraſin propius accedentem, tanquam præſtantiſſimam commendat, deinde vero vitam Porphyrii ex diſſert. Holſteniana huic Porphyrii libro præmiſſa enarrat, ac quid in ejus editione præſtitum ſit, commonſtrat, Nos hac occaſione monemus, Cl. *Thomam*, Suidnicenſem, nunc maxime in eo eſſe, ut novam hujus libri editionem ad MS. Lipſienſis fidem recognitam & nova ver-

ſione Lat. inſtructam adornet. Cap. II deſtinatum eſt Origenis libris octo contra Celſum, *Guil. Spenceri* opera *Cantabrigiæ.* 1677, 4 editis, quorum diverſæ editiones, in quibus Dupinius hallucinatus eſt, enumerantur & diſtinguuntur, deinde vero ex libro ipſo afferuntur quædam cum recte tum perperam dicta, ſpeciatimque Arianiſmi veſtigia in eo obſervari monetur. In editione Origenis Huetiana Græcum textum fideliter, prout in MSS. Codd. inventus eſt, exhiberi agnoſcit p. 28, etiam iis in locis, in quibus ſententia, doctrinæ Eccleſiæ repugnans, proponitur, qua in re fidem non probat verſio Ferrarii, quam Huetius tamen non correxit. Cap. III *Jacobi Fabri Stapulenſis* Pſalterium quintuplex, Gallicum, Romanum, Hebraicum, Vetus & Conciliatum *Pariſ.* 1509 & 1513 fol. editum laudat, & inter cetera obſervat, Dupinium minus recte editionem *Cadomenſem* 1515 & *Pariſ.* 1523 memorare. Cap. IV & V Euſebii Præparat. & Demonſtrat. Evangel. ex edit. Pariſ. 1628 a *Vigerio* diligenter curatam commendat, præterea vero ex poſteriore inprimis libro varia doctrinæ & diligentiæ Euſebianæ ſpecimina affert, ac denique novam ejus verſ. Lat. fieri optat, cum Donati Veronenſis non exacta ſit. Cap. VI *Euthymii Zygabeni* opera recenſet, ubi miratur Autor, neminem de iis Græce & Latine edendis ſolicitum fuiſſe, cum tamen omnia in Biblioth. Regia Græce inveniantur. De *Panoplia* ejus ſpeciatim. p. 49 monet, MS. quendam ejus Codicem, in eadem Biblioth. obvium, a verſione Lat. quæ exſtat, paſſim abire, qua de re alias fuſius dicemus, cum edit. Græcam *Tergoviſti* in Walachia 1710 fol. curatam, quæ Noſtrum latuit, recenſebimus. Cap. VII Lexicon Ciceronianum ab Henr. Stephano Pariſ. 1557, 8 excuſum, Cap. VIII Virgilii opera a Joh. Ludov. de la Cerda Col. Agripp. 1647 fol. edita, Cap. IX Sibyllina Oracula *Joh. Opſopæi* opera *Pariſ.* 1599, 8 vulgata, Cap. X *Dav. Blondelli* de Sibyllis tractatum Pariſ. 1649, 4 editum, ſtrictim recenſet. Cap. XI *Themiſtii* Orationes a Petavio *Pariſ.* 1624 fol. ed. Cap. XII Promtuarium Sacrarum Antiquitatum Tricaſſinæ Diœceſis a *Nic. Camuzat Tricaſſino* Auguſtæ Trecarum 1610, 8 vulgatum, Cap. XIII Commentarium brevem ac dilucidum *P. Galeſinii* de Bibliis Græcis LXX Int. a Sixto V editis, Rom.

Rom. 1587 vulgatum, profert, monetque, eo non exhiberi notas in LXX Int. quod Dupinius ſcripſit, ſed conditionem tantum ac præſtantiam Codicis Vaticani, ad cujus fidem hæc editio curata ſit, delineari, quo in negotio alium rectius quam Galeſinium verſaturum fuiſſe, Noſter aliquot animadverſionibus oſtendit. Cap. XIV *Groſippi* (i. e. *Caſp. Scioppii*) Pædagogum Pædagogorum in Germania 1612 ed. oculis ſubjicit, quo libro parænefis ad aſſiduam, veram ac fructuoſam S. Bibliorum lectionem, quam titulus ſperare jubet, vel potius invectiva in Grammaticos comprehenditur. Cap. XV *Mart. Dorpii* oratio habita in Auditorio Theologico Lovanienſi, ed. Baſil. 1520, in qua ut tractationem ſpinoſarum & inutilium in Theologia quæſtionum abominatur, ita linguarum originalium, Græcæque ſpeciatim, ſtudium commendat. Cap. XVI *Sexti Empirici* Opera Genev. 1621 fol. edita in memoriam revocat. Cap. XVII *Jac. Uſſerii* Annales V. & N. T. Pariſ. 1673 fol. nominat, de cetero vero criminationes in Uſſerium temere conjectas ex vita ejus tanquam falſas rejicit, diligentius autem Cap. XVIII in recenſenda ejus Hiſtoria Dogmatica Lond. 1690, 4 edita occupatur, non ſine ſtricturis hinc inde ex Pontificiorum ſententia adjectis. Cap. XIX Etymologium Magnum a Commelino 1594 fol. ed. Cap. XX *Georgii Amiræ* Grammat. Syram Rom. 1596, 4, in qua inter cetera Syriacæ linguæ antiquitatem & utilitatem autor adſtruere conatus eſt, repræſentat. Cap. XXI libro *Cosri* impenditur, cujus verſio Hiſpanica, notis inſtructa, *Jac. Abendanæ* debetur, Latinæ Buxtorfianæ, ſi Noſtrum audimus, præferenda. Editiones Hebr. ait p. 144 exſtare binas, utramque Venetam, alteram ſine commentario, alteram Muſcati commentario inſtructam. Addit his tertiam, quam MS. vidit, eamque commentario, a Muſcati diverſo, munitam. Poterat addere *CPolitanam* 288 C. 1528. Cap. XXII *Eliæ Levitæ* ספר תבחור *librum electum*, i. e. Grammat. Hebr. a *Seb. Munſtero* Lat. converſam profert, ſed non tam de libro, quam de Elia ejus autore commentatur, notato obiter, ſed præter rem, Cl. *Jacobo le Long*, eo quod Eliam nomine בחור dictum eſſe ſcripſerit in Bibl. Sacra. Noſter enim *Bachar* non Eliæ ſed Grammaticæ hujus nomen eſſe contendit, quod poſterius

ut verum eſt, ita prius (ſive aliunde, ſive ab ipſo hoc libro nomen hoc acceperit) præter rationem & contra perpetuum Judæorum adhuc viventium, quibus plerumque ita appellatur, morem negatur. De cetero Noſter p. 147 recte monet, Eliam non Romanum, aut Italum, ſed Germanum fuiſſe, id quod Genebrardi teſtimonio ex lib. IV Chronographiæ confirmat, fortius autem ex *Sch. Munſteri*, Eliæ familiaris, præfat. ad *Opus Grammaticum conſummatum* probare licet. Cap. XXIII *Henr. Stephani* Proodopœjam ad lectionem Senecæ 1586, 8 ed. Cap. XXIV *Ariſtotelis* librum de Poetica ex ed. *Dan. Heinſii* Lugd. B. 1611, 12, Cap. XXV *Franc. Patricii* Diſcuſſionum Peripateticar. Tomos IV Baſil. 1581, Cap. XXXVI *Jac. Mazzonii* de triplici hominum vita, activa, contemplativa & religioſa libros tres Cæſenæ 1577, 4 vulgatos, contuetur. Hæc commentatio 5197 quæſtionibus abſoluta omnes Platonis & Ariſtotelis, multas vero aliorum Græcorum, Arabum & Latinorum de univerſo Scientiarum orbe diſcordias componit. Cap. XXVII *Didaci a Stunica* comment. in Jobum Toleti 1584 ed. Cap. XXVIII *Ricautii* Hiſtoriam Status præſentis Imperii Ottomannici laudat, eademque opera in nonnullas ejus hallucinationes animadvertit. Cap. XXIX *Simeonis* Archiep. Theſſalonic. *Giaſii* in Moldavia 1683 7 fol. ed. Cap. XXX *Nili* libb. 2 de Primatu Papæ Lugd. Bat. 1595, 8 ed. Cap. XXXI Acta & ſcripta Theologorum Wirtenbergenſ. 1584, fol. Cap. XXXII *Conr. Kircheri* Concordantias V. T. Græcas Francof. 1607, 4, Cap. XXXIII *Marii de Calaſio* Concordant. Bibl. Hebr. Rom. 1621, fol. Cap. XXXIV *Henr. Ainſworthi* comm. in Pentateuchum Lond. 1627, fol. recenſet, eumque ceteris omnibus præferendum eſſe ſtatuit. Cap. XXXV *Steph. Szegerini* Pannonii Tabulas Analyticas præcipuorum librorum S. Scripturæ, Cap. XXXVI *Leonis Mutinenſis* Novum Dictionarium Hebræo-Italicum, in quo difficiliores Codicis Hebr. voces Italice exponuntur, *Patav.* 1640, 4 ſecunda vice auctius in uſum Judæorum Italorum editum, laudat. Cap. XXXVII *Joh. Caſp. Suiceri* Theſaurum Eccleſiaſt. Amſtelod. 1682, fol. ed. Cap. XXXIIX *S. Clementis* ad Corinthios epiſtolam priorem *Oxon.* 1633, 4, Cap. XXXIX *Hiſtoriam Orientalem* de incrementis Eccleſiæ Cathol.

in convertendis Chriſtianis a S. Thoma appellatis perſequitur, quæ quidem lingua Luſitan. ab *Anton. Govea* ſcripta, a *Franc Munoſato* Hiſpanice & a *Jo. Bapt. de Gier* Gallice converſa eſt & ed. *Bruxellis* 1609. Cap. XL *Jus Belgarum* circa Bullarum Pontific. rereceptionem *Leodii* 1645, 24 ſecundum ed. Cap. XLI *Thomæ a Jeſu* de provocanda ſalute omnium gentium Schiſmaticorum, Hæreticorum, Judæorum, Saracenorum, ceterorumque Infidelium, lib. 12 *Antverp.* 1613, 4, Cap. XLII Artis Cabbaliſt. Scriptores a Io. Piſtorio *Baſil.* 1587, fol. ed. Cap. XLIII *Adr. Turnebi* lib. 30 Adverſariorum Argentor. 1599, fol. recuſos, Cap. XLIV *Jani Gruteri* Theſaurum Criticum Francof. 8, Cap. XLV *Jo. Fabrini da Fighine* verſionem *Horatii* Italicam *Venet.* 1584, 4, Cap. XLVI *Eraſmi* Chiliadas, Cap. XLVII *Briſſonii* lib. de Formulis Pariſ. 1583, fol. Cap. XLVIII *Budæi* de Græca L. commentarios, Cap. XLIX *Jo. Scheffери* lib. 4 de Militia Navali *Upſal.* 1654, 4, Cap. L *Cl. Salmaſii* de Annis Climactericis & antiqua Aſtrologia diatriben 1643, 8, Cap. LI denique *Platonis* Opera ex Jo. Serrani interpretatione 1578 ab *Henr. Stephano* edita, brevibus lineis ductis, deſcribit.

Hæc de priori Tomo ſufficiant: poſterior octodecim capitibus abſolvitur, ubi Cap. I exhibet *Iſaaci Haberti* Ἀρχιερατικὸν ſeu librum Pontificalem Eccleſiæ Græcæ ex MSS. Euchologiis &c. collectum & Pariſ. 1643, fol. ed. Hujus exempla bene multa formis exſcripta effeciſſe obſervat Noſter, ut ſtatim ſub initium nimis obvium redderetur, cum viciſſim Goari Euchologium, cujus pauca exſtabant exemplaria, rarius eſſet. Deinde ſingula fere totius operis capita recenſentur, ex quibus hic tantum repetemus, quod Habertus ex Euchologio Græco, quod tunc temporis Latine nondum exſtabat, tum alia bene multa tum ritus quoque in Ordinatione apud Græcos receptos Latine poſuerit, ſicut & integrum caput ex Pſeudo-Dionyſii Hierarchia Eccleſiaſtica notis ſuis munitum inſeruit. Cap. II Ὁδηγὸν *Anaſtaſii Sinaitæ* ex rara, quæ ſola datur, *Gretſeri* editione *Ingolſtad.* 1606, 4 curata perſequitur, monetque, longe accuratius & melius eundem ope MSS. Bibl. Regiæ & Colbertinæ edi poſſe, quemadmodum & *Albertinus* in commentario ſuo de Sacra-

mento Euchariſtiæ tribus Bibl. Regiæ Codd. adjutus multa ex eo attulerit, quæ examen mereantur: qua quidem occaſione illius de hoc libro ſententia contra ſiniſtra quorundam judicia vindicatur. Cum eo enim Noſter affirmat, *ὁδηγὸν* illum non eſſe juſtum opus ab Anaſtaſio elaboratum, ſed potius collectionem, ex variis ſcriptis, male conjunctis, natam. Sic præcipuus Bibl. Regiæ Codex collectio eſſe dicitur, quæ varia Scriptorum Eccleſiaſticorum teſtimonia & loca comprehendat, contra hæreticos illius ætatis & nominatim Acephalos adhibenda, inter quæ etiam excerpta ex ſcriptis Anaſtaſii, qui proinde male habeatur pro auctore, legantur. Idem confirmat Noſter p. 26 ex Codice Colbertino, qui duo tantum priora hujus *ὁδηγοῦ* capita, & ſecundum quidem imperfectum habet, & in cujus limine hæc verba leguntur: *Τῶ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀναστασίῳ τῶ ἡγουμένῳ τῶ ἁγίᾳ ὄρους Σινᾶ ὄρει ἐκ τῆς βίβλου αὐτῶ τῆς λεγομένης ὁδηγός.* Quibus verbis collector diſerte monet, excerpta tantum dicti libri hic legi, de quibus id præterea obſervandum eſt, quod ſcholiis fuerint inſtructa, quæ in editione Gretſeriana non ſatis diligenter, ceu ex MSS. Codd. appareat, ab excerptis ipſis ſint diſtincta, id quod exemplis nonnullis Noſter manifeſtum facit p. 28 ſq. & in alia quædam ed. Gretſer. errata animadvertit. Denique monet p. 34 ſq. exemplo ſuo omnes illas, quæ multæ ſint, lectionum varietates ex MSS. petitas alleviſſe, & Latinam quoque Gretſeri verſionem, minus exactam ob Interpretis in his rebus imperitiam, paſſim emendaſſe. Hæc ſpeciminis loco ſufficiant, ut intelligat Lector, qua ratione Noſter in hoc Tomo verſetur. Reliqua ſtrictius perſequemur. Cap. III *Jo. Goropii* Opera *Antverp.* 1580 excuſa repræſentat, & non illius ſolum, ſed & aliorum quorundam ſimiles in re Etymologica conatus ex merito ridet, & quamlibet linguam pro primitiva venditari poſſe cenſet, ſi cui Goropianis argumentis uti libuerit. Cap. IV *Athanaſii Kircheri* Oedipum, ac ſpeciatim Tomum II excutit, in quo, ſicut & in ceteris hujus Viri ſcriptis, ut obſervationes exquiſitas & eruditas agnoſcit, ita ſoliditatem deſiderat, cum autor inſolentium rerum nimis fuerit ſtudioſus. Cap. V. *Eduardi Pocockii* Appendici notarum Miſcellanearum ad

Portam

Portam Mosis Maimonidæ *Oxon.* primum 1664 editæ & *Lipsiæ* 1705, 4 recusæ destinatur. Hujus Viri observationes & scripta cetera omnia communi applausu ex merito excepta esse statuit, cum insignem eruditionis apparatum cum pari acumine judicii conjungant. Cap. VI *Henrici Whartoni* Angliam Sacram *Lond.* 1691, fol. delineat fusius, non sine interspersis hinc inde industriæ & doctrinæ laudibus. Cap. VII occurrit *Claudii Hemerei* Doctoris e Societate Sorbonæ Theologi liber de Academia Parisiensi, qualis primo fuerit in insula & Episcoporum scholis, *Paris.* in 4 ed. qua occasione faciem illius Academiæ antiquam Noster depingit, & inter alia p. 128 observat, in ea olim Scripturam S. tantum, omissis tricis & quæstionibus Scholasticis, tractatam esse. Cap. VIII occupatur in evolvendis *Claudii Bouteroue* Observationibus curiosis de numis & monetis Gallorum, *Paris.* in fol. ed. quo opere non solum Gallorum sed aliorum quoque populorum rem numariam considerat, ac nominatim Hebræos etiam numos tangit, quanquam rerum & linguæ Hebr. parum fuerit peritus. Cap. IX *Jo. Ludov. Vivis* libri VII de causis corruptarum artium *Brugis* 1531, 8. ed. commemorantur, quorum lectio maximopere commendatur, eo quod egregiis observationibus literariis præclara monita ad mores & religionem spectantia jungantur. Cap. X sistit *Jo. Morini* commentarium historicum de disciplina in administratione Sacramenti Pœnitentiæ *Paris.* 1651, fol. cujus libri lectionem, qua præ ceteris dignus sit, per longum satis intervallum a Theologis adeo esse neglectam Noster testatur, ut intra decem annos vix unum exemplar a Bibliopola venditum fuerit. Monet etiam p. 156, Bibliopolam non potuisse novum privilegium, quo opus illud recudendum præmuniretur, nancisci, sed in Belgium typis iterum exscribendum misisse, quamvis repetita editio *Antverpiæ* nomen referat. Cap. XI conspiciendam præbet *Fidem Ecclesiæ Orientalis*, seu *Gabrielis Philadelphensis* opuscula e Græcis conversa, cum notis uberioribus cura *Richardi Simonis*, *Paris.* 1671, 4. Illa quidem opuscula eo consilio edita fuisse dicuntur, ut Claudio responderi posset rectius, qui scripta Græcorum circa sententias eorum dijudicandas ipsi opposita suspectæ fidei esse

se semper caussatus sit, quem prætextum his opusculis in medium allatis Noster putat penitus exspiraſſe. Inter cetera quoque p. 172 monetur, Rich. Simoni conſtitutum fuiſſe, Liturgias Orientales cum verſione Latina in lucem edere, & Amicum quendam ejus eas in ſcriniis ejusdem paratas vidiſſe, qui tamen inſtitutum hoc inutile crediderit, cum omnes illæ Orientalium Liturgiæ a Græcis ſint deſumtæ. Cap. XII *Alcoranum* Arabicum cum Latina verſione *Ludov. Maraccii* Patavii 1698, fol. editum conſiderat, ac ſub initium monet, *Guil. Poſtellum* nec edidiſſe unquam Alcoranum, quod nonnulli ſibi perſuadeant, nec edendo illi idoneum fuiſſe, B. *Hinckelmannum* vero Arab. *Hamb.* 1694, 4, ſed ſine verſione edidiſſe, ad quam concinnandam *Byzantii*, Presbyteri Oratorii Pariſ. & ex Judæo primum Muhamedani, deinde vero Chriſtiani, operam fruſtra imploravit. Nos quidem in medio hoc relinquentes, monendum tamen putamus, B. *Hinckelmannum* in erudita ſua ad Alcoranum præfatione teſtari, cum *Andr. Mullero Greiffenhagio* de Latina Alcorani verſione communicanda actum fuiſſe. Cap. XIII *M. Jo. Gothofr. Schuparti* diſſertationes de Secta Karæorum *Jenæ* 1701, 4 cum laude commemorat, & interſperſis quibusdam de Karæis obſervationibus nonnunquam quasdam de illis Simonii ſententias in ſupplemento ad Leonem Mutinenſem de ritibus Judæorum recentiorum prolatas, confirmat. Cap. XIV Defenſio Fidei Nicenæ a *Georgio Bullo* ſcripta & *Oxon.* 1685, 4 edita occupat, & Cap. XV *Eraſmi* declarationes ad cenſuras Lutetiæ vulgatas, *Antverp.* 1532, 16. Cap. XVI complectitur obſervationes quasdam in Cl. *Iſac. Basnagii* Hiſtoriam Judæorum, in qua fatetur Auctorem recentiores quosdam Scriptores cum judicio adhibuiſſe, in rebus vero Judæorum, quæ ex ipſorum Scriptoribus exponi debebant, recenſendis ideo minus feliciter verſatum eſſe, quod eos in lingua Hebr. legere non potuerit, ſed in verſionibus, v. c. Vorſtiana τῆ Zemach David minime probanda acquieverit. Deinde loca quædam, in quibus humani aliquid paſſus eſt Basnagius, affert, v. c. de Aaron Karæo, quem *Germanum* facit, de *Bomphatio*, qui *Comtino* vocari debebat &c. Cap. XVII *Dominico Lopez* S. I. librum de autoritate S. Scriptu-

pturæ Hiſpali 1588, 12 in ſcenam producit, quem a *Fauſto Socino* primum Italice ſcriptum, deinde vero Latine converſum fuiſſe tradit. Cap. XVIII *Hebed Jeſu* catalogum librorum Chaldæorum tam Eccleſiaſticorum, quam profanorum Rom. 1653, 8 ex verſione Latina *Abrah. Ecchellenſis* editum laudat, & ſimul Hebed Jeſu vitam breviter perſtringit. Atque ſic toti Collectioni finis imponitur, de qua id ultimo loco notamus, quod & chartæ & typorum conditio prodat, librum non Amſtelod. ſed Pariſiis impreſſum eſſe; nominaque propria negligentius hic tractentur, quando v. c. pro *Catumſyrtus* Catumſirilus, pro *Schabtai* Scebtai, pro *Schrieckius* Scieckius, pro *Hakkaraim* Hakkeraim &c. ſcribitur.

ARTICULUS DE CHRISTO SPONSORE ET Satisfactore thetice & polemice expoſitus a JO. WOLFFG. JÆGERO.

Tubingæ, apud Jo. Georg. Cottam, 1714, 4. Alph. 1 pl. 16.

DOctrinam de Chriſto, qua tota noſtra ſalus continetur, expoſiturus S. Rev. Autor, initium facit ab incarnatione, docetque Servatorem θεάνθρωπον neceſſario eſſe debuiſſe. Negat eandem eſſe originem humanæ Chriſti naturæ & noſtræ. Nam naturam Servatoris humanam differre omnino ratione originis a noſtra natura, cum illa ſit ex benedictione ſecunda: *S. men mulieris conteret caput ſerpentis*, & non ex prima: *Creſcite & multiplicamini*. Has enim benedictiones prorſus diverſas eſſe, ad oculum patere putat ex earum executione, ex Servatoris item conceptione & nativitate. Nam Chriſti nativitatem non eſſe ex cohabitatione maris & feminæ, ſed ex virgine, qualis partus non habeatur ex benedictione prima. Porro ſi Chriſtus in Adamo fuiſſet σπερματικῶς & naturaliter, ſequi, legi eum fuiſſe ſubjectum, & labem contraxiſſe de prima culpa Adami peccantis. Quod utrumque tamen falſum ſit. Nam ſi maſſa, ex qua Chriſtus humanam naturam traxit, etiam de culpa prima aliquid traxiſſet, tum ſane prius ei ſatisfaciendum fuiſſe pro p. 10. 11.

se ipso, quod saniori Theologiæ repugnet, Ebr. VII, 26. Per absurde certe sequi, quod humana Christi natura, quoad materiam remotam, labe fuerit infecta, & sic a Diabolo victa, atque in servitutem redacta. A quo enim quis victus sit, ejus servum factum esse. His aliisque argumentis motus, negat Chri-
p. 14. stum esse corruptæ massæ Adamiticæ particulam. Christum enim ex Adamo descendisse non seminali & naturali propaga-
17. tione, sed Evangelica promissione, Genes. III, 15. Stolidam Poireti & Burignoniæ opinionem, quod Filius Dei jam in Paradiso ante lapsum Adami fuerit incarnatus, refellit. Docet, in-
27. carnationem λόγῳ factam esse non in persona tantum, qua tali, sed etiam in natura divina, ad personam Filii Dei determinata.
39. Defendit Francofurtensis Concilii decretum, quod Christus secundum naturam humanam non adoptivus, sed naturalis Dei
51. Filius sit. Vi unionis personalis communicationem idioma-
67,69. tum dari, evincit. Inde ad finem incarnationis progressus de
75. officio Christi mediatorio ejusque œconomia docte disquirit, do-
76. cetque, Christum nostrum mediatorem esse per modum inter-
81. nuncii, arbitri, intercessoris, sponsoris & expromissoris. Ubi Filium a Patre missum dicit, triplicem missionis modum notat. Posse enim aliquem mitti vel per modum *imperii & autoritatis*, quo servi a Domino mitti soleant: vel per modum *consilii & directionis*, quo æger a Medico mittatur ad balnea, ut convalescat a morbo: atque hos duos modos imperfectionem quandam denotare in persona, quæ mittatur & in Filium Dei non cadere. Priorem enim importare subjectionem, alteram præ se ferre ἀβυλίαν & ignorantiam. Superesse igitur tertium modum *originis & processionis*, quo sensu Filius Dei missus sit, quia scilicet originem habeat a Patre, id quod nullam imperfectionem in-
95 volvat. Legem Sinaiticam ratione *intentionis* & *finis* spectatam, σκιὰν habere Evangelicam, ejusque repetitionem actum fuisse Filii Dei, ut mediatoris. Si vero consideretur secundum se, & substantiam, præscindendo a fine & circumstantiis, actum
99. illum fuisse repetitionem fœderis operum. Institutam autem esse illam fœderis legalis repetitionem, ut esset convictio peccatorum & miseriæ apud Israelitas. Deinde ut esset instructio

de

de neceſſitate ſatisfactionis. Tertio ut eſſet pædagogus ad Chriſtum, a quo unico ſatisfactio pro peccatis & adimpletio fœderis operum potuerit ſperari. Tandem disquirit, an Chriſtus ratione naturæ humanæ in ſtatu exinanitionis fuerit omnipræſens? Notum eſt hanc quæſtionem ſub initium ſuperioris ſeculi magnas lites excitaſſe inter Theologos Gieſſenſes & Tubingenſes. Huic liti poſtea Saxonicos Theologos, & noviter B. *Scherzerum* ſeſe immiſcuiſſe & tertiam ſententiam adornaſſe, *Jægerus* dicit. Quamvis autem hanc controverſiam reſuſcitare nolit, nihilominus tamen cum *Quenſtedtius* in Syſtemate ſuo Theologico, quod multorum manibus, in ipſa etiam Wurtembergia, teratur, multa de hoc argumento ſcripſerit, & ſententiam Theologis Tubingenſibus impoſuerit, quæ ipſis in mentem nunquam venit, feceſſeritque a Theologis Saxonicis, ideo vindicias tum pro Theologis Tubingenſibus, tum pro Saxonicis voluit adornare. p. 283.

Ante omnia tria ſuorum Theologorum producit argumenta, quorum *primum* a perſonalitatis communicatæ infinitudine; *alterum* ab unione duarum in Chriſto naturarum, earumque *περιχωρήσει* reali ac mutua; & *tertium* a deſcriptione incarnationis, quæ 1 Tim. III, 16, Col. II, 9, aliisque in locis *habitatione* definiatur, deſumptum eſt. 284. 286.

Poſtea enarrat ſententiam Theologorum Saxonicorum, & oſtendere conatur, eos cum Tubingenſibus ſenſiſſe, & *Quenſtedtium* a majorum ſuorum doctrina receſſiſſe. Tandem addit, recentiorem Doctorem *B. Scherzerum* in eadem opinione fuiſſe, & multis argumentis, e quibus ſex hoc loco ſeliguntur, omnipræſentiam carnis Chriſti in ſtatu etiam exinanitionis propugnaſſe. 288. 290, 291.

Ultimo loco ad difficultates, a *Quenſtedtio* contra hanc ſententiam motas, reſpondet.

DEMONSTRATIONS SOLIDES DE LA VERITE &c.

i. e.

DEMONSTRATIO SOLIDA VERITATIS RELIGIONIS Evangelicæ, contra religionem Catholicam.

Anno MDCCXIII, 8. Plag. 21.

AUtor hujus libelli, veritatem repurgatæ religionis ſolide demonſtraturus, initium facit ab illis præjudiciis, quæ nobis a

Romana Ecclesia objiciuntur, offenditque, nec Pontificum & Conciliorum decreta, nec traditiones & sententias Patrum pro credendi norma & regula admitti posse. Probat etiam, sacrorum repurgatores vocationem atque jus reformandi habuisse, nec tam se ipsos separasse ab Ecclesiæ Romanæ communione, quam exclusos esse Pontificum diris. Defectum miraculorum, novitatem doctrinæ, ejusque varietatem, & alia vitia, nostræ Ecclesiæ objecta, docte apteque diluit, ac docet, non minores esse dissensiones inter ipsos Pontificios, quam inter Protestantes. Neque ob multitudinem sectarum, post Reformationem ortarum, improbari posse ipsam sacrorum emendationem, tanquam vitiosam. Negat, nostram religionem flagitiis & vitæ impietati patrocinari, docetque, id rectius dici de doctrina Jesuitarum morali, paganorum Philosophorum placitis multum deteriore. Capite II præcipuam cultus Romani partem aggreditur, Missam videlicet, contenditque, Papatum nil aliud esse, *qu'un Christianisme paganisé*, quam Christianissimum paganum. Missam ipsam nomen non aliunde accepisse, quam a veteri sacrificiorum Ægyptiorum formula λαοῖς ἄφεσις, *populis missio aut missa*, qua finiverint sacra in Isidis honorem instituta. Cap. III, IV & V sub examen vocat septem Ecclesiæ Rom. Sacramenta, invocationem divorum, cultum imaginum & reliquiarum, aliaque Romanensium placita atque ritus, quos divinis literis adversos, superstitiosos, ab ingenio excogitatos, impiosque esse probat. His Cap. VII subjungit præjudicia, quæ Papatui jure meritoque opponi possunt, qualia sunt idololatria, odium adversus Scripturam, animus salutis incertus, perpetuoque fluctuans, servile obsequium erga Rom. Pontifices, quorum plurimi fuerint idololatræ, hæretici, flagitiosi, & literarum prorsus ignari. Quibus addi vult ceremonias a Judæis & gentilibus vetustisque hæreticis mutuo acceptas, imperium crudele erga dissentientes, quibus nulla fides servetur. Cum igitur Rom. Ecclesia in doctrina sit hæretica, in cultu idololatrica, & in conscientias tyrannica atque ferox, colligit Autor ac infert, salutem in ea acquiri non posse.

E LI

E LITERIS CHRISTFRIDI WÆCHTLERI JC. ad J. B. M.

VErba L. un. C. Theod. de Reſponſ. Prud. ita illuſtravit Jac. Gothofredus, inemendatos paſſim codices jam iſta etiam ætate circumferri ſueviſſe, ſtupore librariorum, cauſisque aliis. *Quid mirum*, inquit, *ſi emendationes Juris hodie quoque poſt tot ſecula, ad antiquiſſimos potiſſimum codices vel etiam ex ingenio, ſed bona fide, viri docti polliceantur?* Inter illos nomen ſuum refert ſuo jure V. Cl. Petrus Duirſema, cujus Conjecturalium Libros duos, ab ipſis, quod laudes inprimis, annis juvenilibus accepimus non ita pridem. Tum vero gratiam qualemcunque abeodem merebimur, ſi capita quædam ab illo tacta diſcuſſerimus. Recte opinor, dixit Labeo *L. fin. de fund. dot.* marmor viri eſſe, qui in fundo dotali lapicidinas marmoreas aperuerat, ibique marmor cæſum habebat, neque impenſam viro præſtandam, facto divortio; quia nec neceſſaria eſſet ea impenſa, & fundus deterior eſſet factus, ſi agri partem occupavit & agriculturæ nocuit. *L. 4 de impenſ. in rem. dot. L. 13 §. 5 de uſufr.* Sed demus, maritum quærendorum fructuum cauſa impenſas has feciſſe, atque etiam ad colendam ipſam rem ſpeciemque ejus, ex ſuo fecit, nec deducet ex dote. *L. ult. de impenſ. in rem dot.* In hunc locum Labeonis cum incideret Javolenus, recte itidem annotavit, præſtandas a muliere non tantum neceſſarias, ſed & utiles, per regulam *t. t. & L. 7 §. 16 ſolut. matrim.* Compenſari tamen cum fructibus illius anni *d. L. 7 pr. & §. 16 L. 42 §. 1 d. t.* Quodſi ad perpetuam utilitatem pertineant, & lapides ibi creſcere poſſint, certe tunc fundum non eſſe deteriorem. *L. 3. §. 1 d. t.* Hactenus autem nec Labeonem nec Javolenum oppugnavit Ulpianus in *L. 7 §. 13 ſol. matrim.* Sed addit tantum, niſi lapis ibi creſcere poſſit, ne quidem in fructu eſſe, nec marito cedere; non magis ſcilicet, quam ſi theſaurus in agro dotali fuerit ab eo per impenſam ſuam inventus. Nam neque hic in fructum computabitur, quaſi in alieno repertus: neque arbores, quæ vi tempeſtatis ceciderunt. Sic ſi arbores cæduæ non fuerunt, tenebitur maritus, quaſi cædendo fundum deteriorem fecerit,

εἰς βλάψας τὸν ἀγρόν. L. 7 §. 12. Et hanc additionem neque Labeo neque Javolenus ægre ferre potuit. Extendit autem hæc Ulpianus §. 14 etiam ad cretifodinas &c. de quibus iterum non cogitarant isti. Scholiastes Græcus, δυνατὸν γάρ, καὶ ἰδιώτας μεταλλεῖς κριταρίῃ καὶ ἀργύρῳ καὶ χρυσῷ ἔχειν. Verba ipsa Javoleni & Labeonis non habent Græci. Marcianus autem in *L. fin.* §. *11 de public. & vectig.* videtur loqui de illicita fabrica armorum. Ulpianus non meminit hic marmorum Italiæ: fecit id tamen Plinius L. 36 c. 15; *inter alia Italiæ miracula, marmora in lapicidinis crescere autor est Papyrius Fabianus: exemptores quoque affirmant, compleri sponte illa montium ulcera.* Jam ecce judicium Plinii: *quæ si vera sunt, spes est nunquam defuturam luxuriam.* Sed purius Græci iterum, ὥστε τίκτεσθαι καὶ αὔξειν τὴν πέτρωσιν. Et, εἰ μὴ τῶν αὐξανόντων ἦν τὸ μάρμαρον. Ad *L.*
c. II. *11 de Interdict. quod vi aut clam*; nihil occurrit circa primum membrum. De altero dubites, an mens Ulpiani & stylus Veterum ferat Nostri supplementum. Nam si facta est precarii rogatio, videbitur haberi pro impetrata. Ita Ulpianus *L. 2 §. 1 de precar. cum quid precario rogatum est, hoc Interdicto uti possumus.* Hic preces adhibuit, & *impetravit* uno actu. §. 3. Addo L. 4 §. 4, L. 5, L. 6 §. 1, 2, 3, L. 8 §. 3, 5, 8, L. 10, L. 11 d. t. In *L. 12* §. 1 precarii rogatio & concessio junctim. In *L. 15* §. *4* occurrit, qui precario rogavit, & qui rogatus est. Venusta dictio Venulei: *Si quis precario dominum rogaverit, ut sibi retinere liceret rem, alio jam titulo possessam, apparet, hunc eo ipso, quod rogavit, precario possidere. Vis enim definere ex prima causa possidere, & incipere ex precario habere, quoniam aliquid ad te per hanc precarii rogationem pervenit, i. e. possessio, quæ aliena fit.* L. 21 d. t. Sic igitur capio §. 12: *Si aut nondum traditio facta est, aut etiam* (nondum) *facta est precarii rogatio;* ἀπὸ κοινοῦ. Tertium membrum ideo de quocunque alio quam emtore intelligi voluit Noster, ne Ulpianus bis dicat idem. Sed de eodem hunc loqui, nexus verborum arguit: *Si tamen precario fit in possessionem, videamus, ne jam*, post factam sc. rogationem, idem ille *Interdicto uti possit*, qui antea non poterat. Confutaverat Julianum, non sufficere, quod interfit emtoris, vi aut clam opus non fieri; ostendit autem præ-

præterea, magis facere quod jam etiam qualiter qualiter possidet. Origo enim a solo proficiscitur. *L. 8 quod vi aut clam.* Atque hæc est nova illa qualitas, quæ *per hanc precarii rogationem* ad eum pervenit. Non ergo idem bis dixit. Repetit autem similiter in §. 14, quod de Juliano antea §. 10 dixerat. Et L. 2 §. 1 recurrit in L. 19 §. 2 *de precar.* Idem emtor nunc possidere precario dicitur, L. 4 §. 1 d. t. nunc morari tantum in fundo precario & non possidere, sed possessio remanere apud eum, qui concesserit. L. 6 §. 2. nunc penes utrumque est, diverso habendi modo. L. 15 §. 4. Bachovius attulit sane distinctionem istam, quam Noster commemorat, sed statim addit, *quam tamen eadem formula responsionis utrobique vix patitur.* Maluitque adeo expungi negativam. Et sine ea hunc textum a Bartolo ipso lectum fuisse, ex illius summario apparere, eamque lectionis varietatem ibidem notasse Accursium. Liberatus est ergo Bachovius. Wissenbachius autem transscripsit hic totidem verba Bachovii, ac, ne plagii fieret reus, nomen illius non dissimulavit. Omittere tamen non debuit verba prægnantia, *quam formula responsionis utrobique eadem vix patitur.* Annotavit etiam Accursius, negativam non esse apud omnes Editores. Et Covarruvias legit textum absque illa. Summarium Bartoli fortius expressit adhuc sive Hottomannus sive Contius; *non, si tutori liberatio a reddendis rationibus legatur, idcirco ei pecunia, quæ apud eum ex tutela superest, legata intelligitur.* Perperam itaque retinuerunt hanc maculam Editores recentiores forte omnes: frustra expunctionem urgentibus Cypr. Regnero, Hahnio, Brunnemanno, Eckolto, Struvio, Titio: qui omnes Wissenbachium secuti fere sunt. Homo fuit utique Scævola. At nec reliqui mortales responsa sua dant sordibus & gratiæ. D. Noodt arbitrabatur vestigia istius moris apud Gellium L. 1 c. 3 in Theophrasti, Ciceronis atque aliorum præceptis reperisse. Theophrastus autem videbat omnino, turpitudinem hic & infaniam quandam, *cum lacuna famæ*, subesse. Gellius etiam caute eum & sollicite & religiose dixit disputasse, non tamen decrevisse etiam cum fiducia. Ciceronem autem aperte carpit, quod hunc locum strictim tantum & cursim transgressus sit, & anxietatem illam, c. III.

iam Chilonis prætermiserit, Is enim, sapiens inter gentiles, animo angebatur postremo vitæ suæ die, quod collegis suis, ut amicum capitis reum absolverent, persuasisset. Jam ex Scævolæ igitur Digestis & Responsis eadem apparet constantia, quæ ex Responsis Modestini in L. 20 & ex Papiniani, in L. 23, L. 24 h.t. Nec mirum, unum textum bis recitari. Id enim & Juliano accidere, largitur Noster c. 2 p. 41. Hæsitabat Schilterus exerc. 39 §. 109, quod in L. 31 §. 3 de contutore tantum negetur liberatio, ideoque Mævium tutorem liberatum videri etiam a reliquis. Sed ad duo respondit Scævola: Mævius a rationibus tutelæ liber esto, non item a reliquis: Titius autem contutor ne a rationibus quidem; istius enim hic nulla mentio. Schilterus porro in L. 28 §. 4 urget, *pecuniam* mansisse pecuniam pupillæ apud tutorem, non æque in L. 31 §. 2. At vero L. 8 §. 7 h. t. parum refert hoc. Et Scævola L. 31 §. 1 a liberto, qui a rationibus liberatus erat, non modo reliqua reddenda, sed & chartas, in quibus rationes conscriptæ, recte judicabat. Mens utique legantis non erat, quasi Titius lucrifaceret, quod esset apud eum, id enim amplius est, quam liberari a præstatione rationum. Negandi & denegandi significatio semper est eadem. Neque opus hic testibus.

§. IV. In Senecæ verbis scribe etiam, *'imitata grævitatem & tristitiam.* Si verum est, quod ait Gul. Grotius L. 2 c. 10 p. 179, libros Ulpiani de officio Proconsulis scriptos vivente adhuc ipso Caracalla, qui Divum potuit appellare? Javolenus autem ante utrumque Antoninum, sed & ante Sextum Pomponium, idem dixit quod Ulpianus, *L. 28 pr. de statu lib.* jure quidem stricto hunc liberum non esse, quoniam conditione deficitur; sed favore libertatis expletam conditionem censeri, si per eam non stetit expleri. Pomponius ipse *L. 5 pr. h. t.* recte liberum fore, ne multi ad libertatem pervenire non possint. Modestinus post Ulpianum & sub Alexandro Severo, *L. 14 de quæst.* puniri ut liberum, sperandæ libertatis prærogativa, & ob ambiguam conditionem. Et in *L. 1 §. 3 si is, qui testam. lib.* sermo est de aliqua coercitione ob dolum. Possis etiam dicere, levi trajectione rem confici in nostra *L. 9 §. ult. de pœnis.* statu liberum *quasi jam liberum* puniendum, i. e. quasi vere liberum. Sic idem Ulpianus

nus d. L. 1 §. 3 *ecce nondum liber erit*, citra temporum D. Pii reſpectum. Abundant autem, *eum*, & *eſſe*, & *reum*. Nobis enim ſat eſt, puniendum. Certe in L. 29 Pomponius non meminit reorum. Fateor, ordinem verborum disjectum in *L. 14* c. V.
§. 3 de alim. & cibar. leg. videri poſſe. Forte melius fluent, ſi legantur ultima loco paulo altiore: *nec videri inutile eſſe fidei commiſſum, quaſi ſervitute prædii non poſſeſſori vicinæ poſſeſſionis relicta.* Hic ſcribam: *Hæc enim aqua perſonæ relinquitur. Nam & hauſtus aquæ* &c. Mens Ulpiani: Non ſemper ſervitus prædii relinquenda poſſeſſori vicino; poteſt etiam perſonæ relinqui. Sequuntur varia exempla, quibus id comprobetur. Potero tamen, miſſa trajectione, etiam aliter reſpondere ex mente Ulpiani ad dubium ab ipſo motum. Non videtur fideicommiſſum inutile. Primo κατ' ἔνεργειαν. *Nam & hauſtus aquæ eſt ſervitus, perſonæ tamen ejus, qui vicinus NON eſt, NON inutiliter* (geminatur hic negativa) *relinquitur*, &c. Deinde directe, & a priori. *Hæc enim aqua*, de qua loquitur fideicommiſſum, ſimiliter *perſonæ relinquitur*; quia teſtator perſonam magis, quam prædium demonſtravit, *L. 4 d. S. P. R.* & ideo talis aqua ad heredes non transmittitur, L. 37 d. t. Quam vellem vero tacta a Noſtro etiam verba iſta §. 2 d. L. 14: *Si quis alimenta, quæ vivus præſtabat, reliquerit.* Accipiunt lucem e textu Modeſtini Græco *L. 4 pr. h. t.* qui perperam ſcriptus vulgo, nec recte translatus eſt. Bis enim ἠλευθέρωσα pro ἐλευθερώσω. Tum vero illa, ἐπὶ τῷ καὶ ὅσα, verte, *ea tamen conditione, ut quoque* ea omnia, quæ vivente me acceperint, nomine cibarii & veſtiarii eis conſtituantur ac ſuperaddantur. Vulgo, ἐτοι χεῖσθαι. Alibi ἑτοιμεῖσθαι. Iterum alibi, *putet quis, in Florentino MSC. legi* ϛοιχεῖσθαι, *nam prima litera non omnino certa illic eſt.* Prohibuitne etiam hic Juſtinianus, ne quis audeat comparare cum codicibus melioribus ea, quæ nunc adeo depravata ſunt, neque transpoſita in melius, ſed miſere lacerata? Non omnino prohibuit barbara vocabula tollere & genuina reponere. Noluit autem involare quenquam in poteſtatem ipſius legislatoriam, quæ nobis ſuprema lex: & παρατιθέναι τὰ νῦν τοῖς ἔμπροσθεν, *collidere invicem leges* vetuit. Taurello debemus, legen-

dum potius, ἔτι κεῖσθαι. Possis etiam, ἐπικεῖσθαι αὐτοῖς, vel ἑτοιμάζεσθαι, uno omnia sensu. Hic nobis igitur opus erat oculo Gronoviano. Atque utinam Dionysius Gothofredus pro centonibus suis servasset nobis emendationes Taurelli perpetuas, quod nemo certe prohibuerat. Sensum *L. 2 pr. ad L. Rhod.*

c. VI. *de jactu*, hunc esse opinor: Domini mercium amissarum, e consilio Servii, possunt agere cum magistro navis, ut ceterorum, qui nihil amiserunt, merces tantisper retineat. Neque respuit hoc Ulpianus. Plane enim commodum esse retinere, si illi sarcinas habeant. Magistrum tamen navis *ultro*, i. e. statim agere posse ex locato cum iisdem reliquis, ut præstent portionem damni neque adeo exspectandum esse eventum retentionis. Quid si enim aliqui illorum nullas habeant sarcinas? Hic nulla erit retentio. Quid si alii, qui habent, non conduxerint totam navim? Adhuc magister navis contra eos aget ex conducto: perinde sicut vectores agerent contra magistrum. Lego igitur: *atque, etsi non totam navem conduxerint, ex conducto aget.* Iterum sperabam, manum a Nostro admoveri L. 9 h. t. Ubi Vir Amplissimus, D. Ger. Noodt, l. 1 observ. c. 13 pro *Italia*, in textu Græco legit, *Acthalia: facientes naufragium ad littus insulæ istius.* Exulat omnino hic omnis Italia: sermo est enim naufragis de Mari, tum vero de Ægeo. Respondet etiam Imperator, de Mari, ὁ δὲ νόμος, τῆς θαλάσσης κύριος, *Lex, domina maris.* Quis est autem, qui tubo iterum armato inspexit MSC. Florentinum? Forte ibi scriptum erat, aut debuit scribi, ναυφραγιαν ποιησαντες ἐν τῇ Αργειᾳ vel Αργαθᾳ, θαλάσσῃ nimirum. Nam & duo illa loca Livii & Plinii, quibus nisus est D. Noodt, non constant sibi per omnia. In Capite VII merebatur exponi,

c. VII. quid sit apud Paulum, *l. 20 de Pœnis*, *Jus commentitium.* Budæus putabat esse jus novum & recens excogitatum, non aliunde sumptum vel translatum. Exscripsit hunc Beroaldus, *ad Sueton. August. fol. 208.* Fretus loco Svetonii in Claudio, *spectacula non usitata modo, sed etiam commentitia.* Displicuit id Dionysio Gothofredo. Esse enim hic *antiquum* potius; & ex antiquitate repetitum. Sed exulat mens Pauli ab illo significatu Suetonii. Canon perpetuus & æternus hic innuitur: pœnam non egredi perso-

perſonam. Hæc eſt illa *certiſſima juris regula*, §. *ult. I. de perp. & temp. act.* Σαφέστατος κανὼν Theophilo. De eodem dicitur ὁμολόγηται, notum eſt omnibus & conſtat, §. 9. *I. de L. Aquil. Civilis Conſtitutio* hic non eſt commentum Juris civilis, *L. 1 pr. de priv. delict.* ſed abſolutiſſimi juris regula, neque ditari alieno ſcelere, neque ideo puniri, *L. un. C. ex delict. def.* quam ignorare nemo debuerat. *L. 15 C. de furt.* Marcus Lydama L. 1 eclog. 9 putabat, pœnam ſingi mori cum eo, cui irrogatur; ideoque non poſſe tranſire ad heredes. Paulus autem diſerte, ipſam emendationem pœnæ definere cum eodem. Nam & beneficium perſonæ cum perſona extinguitur. *L. 12, L. 13 ſolut. matrim.* Idem Paulus *L. 42 de furt.* vulgarem formulam vocat, ut ſervus noxæ dedatur, quia ſemper ſequitur caput; quod ſumptum ex LL. XII. Græci, τὰ ἁμαρτήματα τῶν ἰδίων κατεχέτω ἀνθέντας. Talis notio communis vocatur Priſcis ἔννοια, ἐπίνοια, νόημα, & priſca Latinorum lingua *cogitatio mentis*, *conceptus animi*, *ſententia*, cujus perpetuo reminiſcimur, ac ſemper in mente verſamus. Id vero veteribus erat *comminiſci*. Gloſſæ Cyrilli & Philoxeni, *commentum*, ἐπίνοια, & contra: ἔννοια, *cogitatio, notio.* Veſtigium cogitationis hujus apud eundem Paulum in *L. 10 §. 1 de L. Rhod.* ubi gaudeo de aſſenſu Illuſtris D. Bynckershoeck L. 3 c. 12 indignantis, priſcas iſtas ſignificationes vulgo ignorari. Ergo & in noſtro textu exaudiendus eſt Paulus de priſca literatura. Fuiſſe enim ipſum Græce doctum, vel ſola ſuſſecerit *L. 37 de S. P. R.* Sed & alibi comprobatum, ea quæ caventur ex L. XII Tabb. recte aliquando dici ipſo jure gentium, id eſt, jure naturali effici. Neque exceptio a noſtra regula eſt in *L. 5 de calumn.* Ut enim teneatur heres in id, quod pervenit, cum ipſa regula conveniens eſt. Ceſſat pœna, quia ceſſat repræſentatio. Ut autem ex dolo defuncti heres non lucretur, neque ditetur alieno ſcelere, pars regulæ eſt. Nam neque damnum heredis illa intendit, ſed ſufficit ei, heredem hic non in lucro verſari. *L. 3 pr. & §. 18, L. 9 pr. de Vi & Vi arm.* Circa actionem ex Edicto ædilit. obſtare ſibi locum Ciceronis de Offic. 3, 17 rebatur Noſter, *Heredum alia cauſa eſt.* Neque pertinet huc *L. 42 de R. J.* quæ loquitur de excuſatione

a mora ſolvendi. Noverat Cicero mentem Edicti hujus Ædilitii, ceu diu ante ipſius ætatem conditi, quod noto ad p. 144, ac nominatim id laudat. Non potuit igitur eum latere, heredum eatenus eſſe aliam cauſam, quod teneantur in id, quod pervenit. Quam juris rationem fuſius alibi forte perſequitur. Nec memini ullibi occurrere duritiem illam juris ſtricti. Metonymiam Noſtri non plane averſabor. Delictum tamen & pœna quia ſunt ſimul, & ſtatim debetur pœna illi ſtatuta, *L. 244 de V. S.* conſequitur hinc verum effectum poni hic pro vera cauſa atque ita nihil fere lucrabimur per illam figuram. Nam de veritate ſuæ cauſæ teſtatur veritas effectus. Non requiritur equidem effectus ad influxum cauſæ, ſed influxus cauſæ exerit ſe per effectum. Actio ex L. Aquila eſt pœnalis, utpote ex maleficio, & ideo non tranſit ad heredem. Quærenti ergo, quare id non fiat, reſpondebo a priori, quia eſt ex delicto; a poſteriori autem, quia quod ex delicto eſt, pœnale eſt. Non ergo pœnale hoc opponitur malefico, ſed ei tantum ſubordinatur. Neque adeo timeamus porro. Hoc certe obtineat Noſter, actiones illas, quæ & qua dantur in heredem in id quod pervenit, non recte vocari hactenus ortas ex vero delicto, neque adeo pœnales, ſed neque mixtas eſſe appellandas. Utrum tollatur omnis difficultas e textu Pauli in *L. 6 §. 4 de act. rer. amot.* per trajectionem, non liquet. Si enim tenetur heres effectu eodem ſicut ex cauſa furtiva, tenebitur adhuc in ſolidum. Retine ergo ordinem verborum. Comparat Paulus actionem noſtram cum condictione furtiva, etiam in *L. 21 §. 5 h. t.* non ſane abſolute & per omnia, ſed eo, quod non ſit annalis. Docetque ſimul, hanc actionem, licet ex delicto uxoris naſci negari nequeat ſecundum rigorem juris, tamen ob reverentiam perſonarum continere rei perſecutionem, adeoque ſimplum: quamvis alii conveniantur in quadruplum. *L. 16 h. t.* Quum itaque lenius coerceatur mulier amovens, *L. 29. h. t.* lenius etiam coerceri heredem, qui extra delictum plane eſt, oppido erat conſentaneum. Imo ipſa actio rerum amotarum condictio eſt. *L. 26 h. t.* Tam vere tenetur heres mulieris hic, ſicut in condictione furtiva, ſed non tam rigide. Sic pater non tenetur, niſi quatenus ex ea re eſt

c. VIII.

locus

locupletior. *L. 3 §. ult. h. t.* Et hæc lex Paulina eſt clavis textus Paulini noſtri, prorſusque conſentit cum *L. ult. C. eod.* A tertio autem poſſeſſore bonæ fidei res ita amotæ non uſucapiuntur, ſed creſcit æſtimatio, ut in condictione rei furtivæ, *L. 29 h. t.* Ubi ſcholiaſtes, *κἂν μηδὲν εἰς αὐτὸν περιῆλθεν.* Neque potuit is pervidere, quomodo exhauriendum ipſi eſſet judicium rerum amotarum; ratus id plane interdictum eſſe *παρὰ κανόνα, καὶ παρὰ τὴν ἀκρίβειαν.* Vidit haud dubie Noſter etiam palpabilem lapſum librarii in *L. 21 §. 1 h. t. quamvis ſervus in facinoribus domino dicto audiendus audiens eſſe non debeat.* Lego cum emendatis editionibus, *domini dicto audiens.* Unde autem irrepſerit *audiendus*, D. Duirſema e codicibus aperiet. Similiter Græci, *εἰ καὶ τὰ μάλιστα δῆλος ἐν τοῖς ἁμαρτήμασιν ὢν ὀφείλει τῷ δεσπότῃ πειθαρχεῖν.* L. 2 §. 1 de Nox. act. Non pugnabit *L. 23 §. 1 de Ædil. Edict.* cum *L. 60* etiamſi toleremus negationem. Ludere enim in negativis particulis ſubinde Noſtros, & eo fortius voluiſſe negare, aliunde conſtat. Potuit tamen Ulpianus etiam ſcripſiſſe, *ut uterque nihil amplius conſequatur, quod*, pro *quam, non haberet, ſi venditio facta non eſſet.* Religioſam veſtem Virginis Florentinæ ſumma veneratione retexit Laur. Theod. Gronovius, ut difficile ſit ſatyram non ſcribere. Si enim toties ſupra ſcripta ſunt ab aliena manu verba ſpuria, ſi ſepia nunc rubra apparet, nunc ab alia manu nigrum atramentum ſuperinductum eſt, ſi ipſe etiam Taurellus alicubi in textum admiſit, quod ignava manus in marginem notaverat, *p. 9, 10, 13, 15, 35, 39, 41, 43, 44, 70, 72, 74, 78,* quanta quæſo eſt hæc religio? Omnes tamen maculæ iſtæ obſervatione & fida cuſtodia plurimorum antiquitatis infucatæ veſtigiorum largiter compenſantur. *Celari quidquam horum omnino non oportuit*, neque hodienum celari oportet, *etſi vel vitioſiſſimum videretur. Debuit id*, & debet adhuc, *publicari, ſi non propter ſe, utique ob* omnes illos, qui MSCto Florentino ab eo tempore vim intulerunt. *p. 63.* Et *p. 81: Si libuiſſet Taurello ſequi lectionem antiquiſſimi hujus Manuſcripti puram putam, certe & ſibi & Manuſcripto priſtinam auctoritatem ſervaſſet.* Ut igitur recuperetur pene amiſſa, denuo lectio iſta edenda eſt. Q. E. D.

c. IX.

JOANNIS WOODWARDI, MEDICINÆ IN COLLEGIO Gresshamensi Professoris &c. Naturalis Historia Telluris illustrata & aucta. Una cum ejusdem defensione, præsertim contra nuperas objectiones D. El. Camerarii, Med. Prof. Tubingens. Accedit Methodica & ad ipsam Naturæ normam instituta Fossilium in classes distributio.

Londini, impensis R. Wilkin. & Is. Vaillant, bibliopol. Roterod. 1714, in 8.

Constat Plag. 9½.

IN his Actis, nempe Tom. III Supplementorum p. 7 & seq. prolixe recensuimus Tentamen celeberrimi *Woodwardi* circa historiam naturalem, quod postea a Cl. *Scheuchzero* in linguam Latinam transferri meruit, ut nostratibus etiam aliisque exteris linguæ Anglicæ imperitis innotesceret liber, qui ad omnium Naturæ curiosorum notitiam pervenire debebat. Magnoiis applausu ubique exceptus & nostratium, *Scheuchzeri* præsertim, *Bayeri*, *Mylii*, atque *Büttneri* excitavit studia, ut desertum hactenus in his oris argumentum de fossilibus figuratis multa cum cura excolerent diluviique vestigia a Viro perspicacissimo monstrata agnoscerent. Sed ea non satis manifesta visa sunt Viro præclaro D. *Eliæ Camerario*, qui ideo in Dissertationibus Taurinensibus Tubingæ A. 1712 in 8 editis, quarum justam recensionem proxime dabimus in Supplem. Tom. VI, ea impugnare aggressus est, sed, quemadmodum Noster ostendit, parum feliciter. Etenim nunc candorem desiderat Vir celeberrimus, nunc errores ejus perstringit, nunc contradictiones & insciti am redarguit, nunc temeritatem in judicando accusat. Ipse Syllabum rerum opusculo erudito præmittit, ex quo totius pertractationis ratio clare innotescit. Dividit Dissertationem suam in tres partes: quarum prima conqueritur, quod sua perversa ratione plerumque exposuerit, nec satis validas objectiones in medium attulerit *Camerarius*; secunda monstrat, in quibus is hallucinatus fuerit; tertia ipsius dogmata ad examen revocat. Passim notatu maxime digna inspergit, ut non modo Antagonistam refellat, verum etiam lectorem erudiat. De singulis specimina quædam pro-

proferre lubet. Quod non satis candide egerit *Camerarius*, Noster inde probat, quod ipsi tribuerit a mente sua prorsus aliena. E. gr. quærit *Camerarius*, ad quodnam animalium genus belemniten referat *Woodvvardus*? Sed hic in ipsa historia naturali professus est, belemnitas ex omnium consensu fossilia vere mineralia esse. Sine ratione perpetuam fundi marini tranquillitatem a *Camerario* in dubium vocari, ex *Boylii* Relationibus de fundo Maris & urinatorum experientia probat. Ab eodem falso contendi, quod plura conchylia in Anglia, quam in regionibus aliis ex terra effodiantur, non modo observationibus exterorum evincit, verum etiam proprio *Camerarii* testimonio probat, quippe qui ipse affirmat, totos in Germania montes esse, qui nil nisi conchas monstrant. Enimvero non hanc vnam contradictionem incusat; quin plures cumulat. Insciticæ exemplum est, quòd contra originem & formationem conchitarum, cochlitarum, echinitarum ceterorumque istiusmodi corporum a Nostro traditam objicit *Camerarius*, ea admissa, lapides figuratos non tam externam, quam internam concharum figuram referre debere, neque enim unum reperiri, qui externam conchæ figuram referat. Non commemoramus ea, quæ de situ conchyliorum, metallorum & mineralium, stratorum lapideorum, & terrestrium juxta leges gravitatis specificæ contra *Camerarium* urget; sufficit nobis annotasse, quod Noster eidem concedere nolit, lapides hodienum crescere, etsi concedat, saxum sub terra humidum & molle durius evadere, ubi aeri exponatur. Omittimus quoque multa, in quibus *Camerarii* candorem desiderat *Woodvvardus*, hallucinationum quædam specimina ex parte altera dissertationis in medium allaturi. Noster itaque contendit, *Camerarium* res natura longe diversas promiscue exhibuisse, cum testas, corpora in testis formata, lapides & nativa fossilia in unam classem retulerit & nomina rerum inepta finxerit, qualia esse censet *ombria*, *brontia*, *gryphites*, *hysterolithos*, *bucardites*, *balanoides* &c. Ipsum de conchyliorum inter fluctuum lapidumque vim integritate servanda a se ipso dissentire; perperam glossopetras animalium marinorum dentes non agnoscere, quod eorum destillatio salem volatilem,

tilem, ſpiritum & oleum non ea, quæ exſpectabatur, copia prodiderit, nec in carbonem (quod *Fabius Columnæ* tradiderat) ſed in calcem fatiſcant; contra experientiam dubitare, quod corpora terreſtria & mineralia in diluvio fuerint diſſoluta, animalibus ac vegetabilibus illæſis; fruſtra eum deſiderare argumenta, quibus abyſſus ſeu ingens aquarum ſubterranearum theſaurus probetur, cum ſufficientia jam proſtent in Geographia phyſica; contra annalium fidem affirmare, quod totenati ſublatique in altum fuerint montes terræ motibus, neque enim vnum afferri poſſe hujus rei exemplum. In tertia tandem diſſertatione refellit *Camerarium* aſſerentem, conchas forſan aliquas ante diluvium ac in prima aquarum a ſicco ſeparatione eo repoſita fuiſſe, pleraque vero marina a diluvio eo ſub iſtis terræ hiantis fiſſuris præcipitata, immo a particularibus inundationibus eo delata & e mari in terræ gremium per meatus ſubterraneos advecta fuiſſe, nec repugnare quicquam, ut ea a Deo in tellure ad ſimilitudinem marinorum ab initio mundi creata eſſe dicamus. Argumenta, quibus utitur, apud ipſum Autorem, evolvi poſſunt.

Methodicam foſſilium in claſſes diſtributionem celeberrimi *Newtoni* nomini inſcripſit, eumque potiſſimum in finem ejus hortatu conſcripſit, ut uſui eſſet illis, qui in colligendis foſſilibus operam ſuam collocant. Diſtribuit ea in ſex claſſes: prima terras, ſecunda lapides, tertia ſalia, quarta bituminа, quinta mineralia, ſexta metalla continet. Terras ſubdividit in eas, quæ ad tactum læves & quaſi ſebaceæ, atque illas, quæ ad tactum ſiccæ & ſcabræ. Priores diſtinguit in eas, quæ linguæ adhærent, & in illas, quæ linguæ non adhærent. Lapides ipſi ſunt vel mole majores, vel minores: illi vel compoſitionis laxioris ad tactum ſcabri, vel ſpiſſioris ad tactum læves, vel adeo duræ & compactæ, ut ad nitorem poliri queant; hi vel figuræ & conſtitutionis incertæ atque indeterminatæ, vel figuræ extus variæ, texturæ vero internæ determinatæ ac regularis; vel compoſiti e fibris parallelis, flexilibus & elaſticis; vel compoſiti e laminis planis & parallelis, flexilibus pariter & elaſticis; vel in partes angulares diviſibiles; vel fiſtuloſi; vel compoſiti e cruſtis

cruſtis ſibi mutuo ſuperinductis, vel figuræ & conſtitutionis certæ, regularis ac determinatæ, vel opaci, plerumque unicolores, interdum variorum colorum; vel ſemipellucidi, cum verſicolores, tum coloribus permanentibus tincti; vel pellucidi, tam colorati, quam coloris expertes. Ad ſalia refert ſal marinum foſſile, tam rupeum, quam gemmeum, ſal Ammoniacum, nitrum veterum, nitrum recentiorum, nitrum officinale, ſal acidum foſſile, unde ſulphur, alumen, vitriolum oriantur. Bitumina in liquida & ſolida; mineralia in fluida, ſolida ac igne fuſilia, ſed non ductilia, metalla in aurum, argentum, cuprum, ferrum, ſtannum & plumbum dividit.

Sub finem additur ſyllabus rerum corrigendarum in verſione Latina *Scheuchzeriana* Geographiæ Phyſicæ *Woodwardianæ*, cum varia ſphalmata in eam irrepſiſſe confiteatur ipſe interpres *Scheuchzerus*, quod linguæ Anglicæ non ſatis fuerit gnarus.

Europäiſches Hoff-Ceremoniel/ꝛc.

h. e.

CEREMONIALE EUROPÆUM AULICUM; AUTORE GODOFREDO STIEVE, in Academia equeſtri Lignicenſi Profeſſ. Polit. Hiſt. & Eloqu.

Lipſiæ, ap. Jo. Frider. Gleditſch & Filium, 1715, 8.

Alph. 2 pl. 3.

CL. Autor monumentis fide dignis & multorum annorum experientia edoctus, id agit in hoc opere laudatiſſimo, ut ceremonias, quibus Proceres inter ſe uti ſeque ipſos diſtinguere ſolent, explicet ac viam paret ad ſcientiam, quam *Ceremonialem* dicunt. Quinque Sectionibus integrum opus abſolvit; quibus ea, quæ huc inprimis pertinent, attingi atque illuſtrari poſſe exiſtimavit. Tradit Cap. I, quid plerique per *Ceremonialia* intelligant; & Cap. II fundamenta generalia, quibus Proceres Europæ præcedentiæ prætenſiones ſuperſtruant, recenſet. Solent inprimis Monarchiæ atque Chriſtianiſmi urgere antiquitatem, cui potentatum ſive potentiæ magnitudinem, regnorum multitudinem, titulos honoris, quibus fulgent, ſummam ac mi-

nus circumſcriptam poteſtatem, beneficia in Pontificem Catholicamque eccleſiam, ac dignitatem ſubjectorum ſibi ſeu Vaſſallorum addunt. Univerſa verboſius perſequitur Cl. Autor, ac inprimis ex hiſtoriarum monumentis declarat, quo tempore quodvis Europæ regnum ortum, & quando ſummi illius Principes chriſtianam fuerint profeſſi religionem : poſteriora vero prærogativæ momenta exemplis quoque reddit clariora. Imperator Rom. Germ. jure ac poſſeſſione primus eſt Chriſtianorum Principum, quoniam quartæ monarchiæ reliquiis a Caroli Magni temporibus imperat, ac propterea l. 9 π. ad l. Rhodiam *Mundi Dominus* dicitur, quod etiam Italiæ JCti Lotharii Imperatoris ætate graviter defenderunt, & Carolus IV comprobavit; prærogativam alii etiam Europæ Reges ſæpius agnoverunt; præter hæc dicitur Romanæ ſedis advocatus; primus eſt, qui fidei Chriſtianæ ſe addixit; illi qui ipſi ſunt ſubjecti, maximis pollent viribus; ut cetera, quæ Autor pluribus Cap. III exponit, taceamus. In ſequentibus Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ, Sueciæ & reliquorum Regum argumenta, quibus prærogativæ prætenſiones nituntur, commemorat; poſtremo vero capite potiſſimum Electorum Imperii controverſiam cum Cardinalibus, liberarumque Rerumpublicarum legatis tractat, argumenta utriusque partis profert, & Electorum cauſam optimam eſſe, ſatis dilucide declarat. In Sectione ſecunda duodecim capitibus exponit, quænam ceremoniæ obſerventur, quum proceres ipſi alter alterum conveniunt; quibusve ceremoniis Imperator tam in Comitiis quam Viennæ, tum & Electores, Imperii Principes &c. ſoleant uti. In tertia Sectione, I deſcribit Legatos a Latere & Nuntios Apoſtolicos Regumque legatos primi ordinis, (*Ambaſſadeurs*) & ſecundi (*Envoyés*) quorum diſcrimen egregie explicat. Perſequitur porro, quibus ceremoniis ſoleant Legati ſuſcipi, quæ ad Legatorum pompam pertineant, quæque ſit Legatorum cum plena poteſtate, Reſidentium item, Conſulum, Agentium, Secretariorum, Commiſſariorum & Deputatorum ratio. In quarta Sectione verſatur in controverſiis, quæ de ceremoniis temporibus pacificationum ortæ ſunt, ſimulque notat, quæ ad Pacis, quos vocant, Tractatus Præliminares, Mediatores, Salvos Conductus

&

& Linguam, qua pacis leges ſolent conſignare, maxime ſpectant, additque plura, quæ quoad ceremonias, tempore Pacis Weſtphalicæ, Pyreneæ, Aquisgranenſis, Neomagienſis, Ryſvicenſis & Ultrajectinæ obſervata ſunt. Ultima demum Sectione legatorum immunitates, jura ac privilegia aliaque quæ huc faciant optime exponit, ac cuncta exemplis parum obviis illuſtrat. Quamobrem librum hunc, quem Viris ſummis harum rerum gnaris perplacuiſſe novimus, politiorum literarum cupidis apprime commendamus.

LATINA LINGUA NON EST EX GRAMMATICORUM libris comparanda. Oratio JACOBI FACCIOLATI, habita in ſeminario Patavino, pro ſtudiorum inſtauratione. Accedit ſyntagma breviſſimum de linguæ Latinæ ortu, interitu, ac reparatione, deque ejus ſcriptoribus ad ſeculum usque XVII.

ORATIO M. T. CICERONIS PRO P. QUINTIO, ejusdem FACCIOLATI notis & animadverſionibus illuſtrata.

Patavii, ex typographia Seminarii, 1713, 8.

Conſtant plag. 9.

SUadet Latinæ linguæ ſtudioſis Orator noſter, ut alte infixis animo rudimentis ſyntaxeos, paucisque præterea ex etymologia & orthographia delibatis, proſodia vero aliquanto diligentius tractata, totos ſe lectioni atque imitationi veterum tradant. Minutiis Grammaticorum parum ineſſe ad comparandas illas elegantias ſubſidii, contendit. Grammaticam ex ipſis illis ſcriptoribus efficiam eſſe, neque utcunque multas illius regulas infinitæ variationi ſermonis ſufficere, unde nonnulli ridicula præſumtione ipſi Ciceroni ſolœciſmos objecerint. Principes in illa arte viros immane inter ſe diſſentire, ac ſuas tantum quemque conjecturas magni facere. Interim alacrioris ingenii pueros fatigari tot regulis, & ex illo faſtidio literarum odium naſci. Qui vero & omnes edidicerint, anxios ſemper ne qua offendant & titubantes, aridum plerumque dicendi genus

nus habere, nec priſcam illam verborum numerique vim, quæ non tam verbis deſcribi poteſt, quam judicatur auribus, facile aſſequi. Optimos ſcribendi artifices obliviſci fere illorum, quæ pueri memoriæ mandarunt, atque continuo veterum uſui ſua debere. Accedit his rationibus ab autoris exemplo commendatio, qui idem Seminario ſuo conſilium dat, eique patris Romanæ eloquentiæ Ciceronis orationes legendas verſandasque diligenter proponit. Quis non miretur, tot inſignes Viros tam multa in illo opere reliquiſſe, in quibus ingenii periculum poſteri faciant, nonnulla etiam, quæ manifeſte laborent? In unica pro P. Quintio oratione plurima ejusmodi Faccioletus deprehendit, quæ brevibus ſtatim notis indicata, peculiaribus in fine adnimadverſionibus explicavit, e quibus duas ſpeciminis loco attingemus. Locus Ciceronis c. 15 *mors honeſta ſæpe vitam quoque turpem exornat: vita turpis ne morti quidem honeſtæ locum relinquit*, ſibi prorſus non conſtat: Noſter ſupplet ex conjectura *vita ita turpis* &c. videnturque ei favere quæ ſequuntur, & quod facile librarius alterutram vocem, cum totidem fere & eædem utrobique literæ eſſent, negligere potuerit. Cap. XXVI e verbis, *prætor juſſiſſet; opinor, ſi vellet, ſi valeret, ſi jus diceret, ſi nemo recuſaret, qui ex ipſius decreto & ſatisdaret, & judicium accipere vellet*, intempeſtivam Lambini, quem Paſſeratius & Grævius ſequuntur, correctionem *ſi nemo recuſaret, quin &c.* recte ejicit. Si enim quis ſatisdare ac judicium accipere vellet, Prætor non poterat Nævium in poſſeſſionem bonorum Quintii immittere. Sed inprimis Merouvillii, qui in Delphini quondam uſum orationes illas edidit, oſcitantia paſſim accuſatur. Denique & Ludovici Dolce interpretationem Italicam Venet. 1562 editam, ac multis in deliciis habitam, quam male ſæpius Ciceronis mentem reddat, exemplis aliquot convincit. In indicem conjecit illuſtrationem vocum phraſiumque ſingularium, quod cum ſæpius illæ occurrant, uno loco incommode explicatæ fuiſſent.

Erulan-

Exulanten-Register ꝛc.

i. e.

DIPTYCHA EXULUM LUTHERANORUM, QVI OB doctrinam Evangelii in exilium missi, divinum auxilium experti sunt; Autore D. JOH. HENRICO GOEZIO, Super. Lubec.

Altenburgi, 1714, 8. Plag. 18.

CUm inter Scriptores Pontificios quidam catalogos ediderint eorum, qui divortio a Religione per Lutherum restituta facto Papisticam amplexi sunt, eo fine, ut, plures ad mutationem hanc allicerent, occasione hac motus Autor maxime Reverendus, hunc Exulum Catalogum in lucem publicam emisit, ut Pontificiorum votis ac exspectationi resisteret, demonstrans quippe, quod ii, qui constantes in retinenda vera religione fuerint, licet in reformationibus & persecutionibus Papicolarum variis sedibus expulsi, tamen a Deo protecti, ac aliis in locis in Ecclesiæ Reique publicæ usus constituti fuerint. Diptycha Exulum vocat, ut ad Ecclesiam veterem respiciat, cui in more positum fuit, vel Episcoporum, officiis rite functorum, vel Magistratuum præcipuorum, vel mortuorum Christianorum nomina libris inserere, quos ista compellatione inscribebant, de quibus Diptychis veterum varii ex instituto egerunt. Tres instituti sui classes constituit. P. I Theologos, Pastores & Scholarchas, II Nobiles, Magistratus personas & alios civilibus officiis variis functos, III Mercatores, Artifices, Opifices, aliosque Oeconomos recenset. Cumque partibus his 50 tantum Exules attingat, in continuatione prætermissos se suppleturum spondet. Jam hoc tantum notamus, Parentes celeberrimorum Academiæ Lipsiensis Theologorum, Valentini Alberti, ac Joh. Ad. Schertzeri, exulum fata expertos esse: & alterius quidem Patrem, Valentinum Alberti, Pastorem Lehenensem Silesium, bis in exilium ejectum; alterius vero Jeremiam Schertzerum, Practicum Egeranum, 1629 a Pontificiis exterminatum, filiolum, ante annum demum natum, miseriæ comitem habuisse. Nihilominus utrosque, in exilio oberrantes, postea domesticas in Ecclesia sua columnas constituit Deus.

INDEX AUTORUM,

quorum Libri aut Inventa hoc volumine recenſentur.

I. *Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

Anonymi Diſcurſus de cogitandi libertate. 228
Demonſtratio ſolida veritatis religionis Evangelicæ contra religionem Catholicam. 547
Arndii (*Caroli*) *Bibliotheca B. Meyeri Biblica continuata.* 436
Bayle (*Petri*) *Comm. Philoſ. in verba Chriſti : compelle intrare.* 55
Bentleji (*Rich.*) *Animadverſiones in nuperum diſcurſum de cogitandi libertate.* 312
Biblia Sacra quadrilinguia ex ed. Chr. Reineccii. 50
Buddei (*Jo. Franc.*) *Diſſertationum Theolog. Syntagma.* 385
Meditationes Sacræ, ſeu Proluſionum Feſtarum Decas. 389
Bos (*Lamberti*) *Exercitationes Philol. in quibus nonnulla loca Novi Fœderis ex Autoribus Græcis illuſtrantur.* 163
Diſſertatio de Etymologia Græca. 163
Brokesby (*Franc.*) *Hiſtoria Hierarchiæ Eccleſiæ primitivæ per tria ſecula.* 462
Carpzovii (*Joh. Gottlob*) *Introductio ad libros hiſtoricos Vet. Teſt.* 401
Frick (*Eliæ*) *Hiſtoria Lutheraniſmi Seckendorfiana Germanice verſa & acceſſionibus aucta.* 499
Fœrtſchii (*Michaelis*) *Controverſiarum ſacrarum recentiorum nucleus.* 144
Manuductio ad Theologiam comparativam. 188
Gaulmini (*Gilberti*) *Obſervationes de vita & morte Moſis.* 397
Gœzii (*Joh. Henr.*) *Diptycha Exulum Lutheranorum.* 565
Germon (*Barthol.*) *de veteribus Hæreticis, Eccleſiaſticorum odium corruptoribus.* 67

Gſellii (*Davidis*) *Veteris Teſtamenti ſacrificia expoſita.* 357
Heumanni (*Chr. Auguſti*) *Meditatio de modo, quo viſuri ſimus Deum in vita æterna.* 108
Hughes (*Joh.*) *Tentamen uberioris evidentiæ de divinitate Servatoris.* 459
Hulſii (*Henr.*) *Commentarius in Iſraelis priſci Prærogativas ac bona ſub Vet. Teſt.* 353
Houylenbroucq (*Alphonſi*) *Societatis Jeſu Vindicationes alteræ.* 64
Jægeri (*Joh. Wolfg.*) *Theologia Moralis.* 404
Articulus de Chriſto ſponſore & ſatisfactore thetice & polemice expoſitus. 545
Ittigii (*Thomæ*) *Opuſcula varia.* 334
Lenfant (*Jacobi*) *Hiſtoria Concilii Conſtantienſis.* 279
Marckii (*Joh.*) *in præcipuas quasdam Pentateuchi partes Commentarius.* 159
Martini *Tractatus de religione naturali.* 406
Mayeri (*Jo. Frid.*) *Bibliotheca Biblica.* 436
Montfauconii (*Bernh.*) *Notæ in Origenis Hexapla.* 1
Van der Muylen (*Guil.*) *Diſſertationes philol. de die mundi & rerum omnium natali, complectentes hiſtoriam creationis a Moſe deſcriptam Gen. I & II.* 115
Origenis *Hexepla ex edit. B. Montfauconii.* 1
Oweni (*Caroli*) *Scena illuſionum in deſcriptione hiſtorica pſeudoprophetarum impoſturarum detecta.* 88
Phileleutherus *Lipſ v d. R.* Bentlejus.
Philograpi (*Timothei*) *Reſponſio ad aliquot Quæſtiones de Scriptura.* 223
Pycroft (*Sam.*) *brevis Diſquiſitio de libertate philoſophandi in rebus ad religionem ſpectantibus.* 289
Regii (*Urbani*) *formulæ caute loquendi de præcipuis Chriſtianæ doctrinæ locis.* 92
Reineccii (*Chriſtiani*) *Editio Bibliorum S. quadrilinguium.* 50
Renaudotii (*Euſebii*) *Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum Jacobitarum.* 489

Schmidii

Schmidii (*Jo. Andr.*) *Decas Diſſertationum Hiſtorico-Theologicarum.* 336
A Seckendorf (*Viti Lud.*) *Hiſtoria Lutheraniſmi Germanice converſa & acceſſionibus aucta.* 499
Simonis (*Richardi*) *Bibliotheca nova Selecta. Tomi II.* 537
Starckii (*Henr. Bened.*) *Notæ ſelectæ in loca difficiliora Pentateuchi, Joſuæ, Jud. &c.* 119
Tommaſi (*Joſ. Mariæ*) *Inſtitutiones Theologiæ Antiquorum Patrum. Tomus III.* 123
Triglandi (*Jac.*) *Diſſ. de Karaïs.* 398
Warlizii (*Chriſt.*) *Diatribe Medico-Sacra de Morbis Biblicis.* 424
Wedelii (*Georgii Wolffgangi*) *Exercitatio de uſu rationis humanæ in Sacris.* 40
Whiston (*Guil.*) *primævus Chriſtianiſmus reſuſcitatus. Volumina V.* 26
Animadverſiones in Grabii tentamen circa duo MSta Arabica. 359
Athanaſius de impoſtura convictus. 504
Primævus infantum Baptismus reſuſcitatus. 508
Wolffii (*Jo. Chriſtoph.*) *Notitia Karæorum ex Mardochai tractatu haurienda.* 398

II. Libri Juridici.

ANonymi brevis delineatio Proceſſus, ſive judicii inſtituendi, juxta Jus Rom. Cæſareum & Saxonicum, ad mandatum S. Cæſareæ Maj. adornata. 99
Barbeyrac (*Joh.*) *Notæ in quasdam Noodtii & J. F. Gronovii Orat.* 470
Berneggeri (*Alb. Frid.*) *Inſtitutionum Imperial. Examen Theoretico-Practicum.* 415
Bonifr (*Godofredi*) *Digeſta Juris Civ. Rom. in ordinem naturalem reducta ad uſum fori accommodata.* 324
Chiavettæ (*Bened.*) *Inſtitutionum Juris Can. Liber I de perſonis Eccleſiaſticis.* 124

Duirſema

Duirſema (*Petri*) *Conjecturalium Juris Civilis Libri duo.* 510
Gribneri (*Mich. Henr.*) *Principia proceſſus judiciarii &c.* 293
Gronovii (*Joh. Frid.*) *Oratio de Lege Regia.* 470
Diſſertatio de Natura Sortis. ib.
Neumann *de Pucholtz* (*Wenceslai Xaverii*) *Diſſertationes Jurid. de pignoribus & hypothecis ſecundum jus commune Bohemicum & Saxonicum.* 515
Van Noodt (*Gerhardi*) *Orat. de poteſtate ſummorum Imperantium & libertate conſcientiæ.* 470
Ottonis (*Everardi*) *de Ædilibus Coloniarium & Municipiorum liber.* 416
De Pucholtz *vide* Neumann.
Thomaſii (*Chriſtiani*) *Notæ ad ſingulos Inſtitutionum & Pandectarum titulos.* 157
Notæ ad Inſtitutiones Juſtinianeas. 226
Trier (*Jo. Wolfg.*) *Introductio ad doctrinam de Inſignibus.* 480
E Wæchtleri (*Chriſtfridi*) *Literis Excerpta de J. van de Water Obſervat. Juris.* 366
Excerpta de P. Duirſema Conjecturalium Libris 2. 549
Van de Water (*Joannis*) *obſervationum Juris Rom. libri tres.* 320
Wegelini (*Henrici*) *Spicilegium Obſervationum ad Capitulationem Caroli VI.* 466
Wenckeri (*Jacobi*) *Apparatus & Inſtructus Archivorum.* 517

III. *Libri Medici & Phyſici.*

Academiæ Regiæ Scientiarum Hiſtoriæ Annus 1710. 193
Anonymi Relatio de novo Barometrorum & Thermometrorum concordantium genere. 380
Boulton (*Richardi*) *Syſtema rationale & practicum Chirurgicum.* 422
Büttner (*Dav. Sigism.*) *Coralliographia ſubterranea.* 326
Cheſelden (*W.*) *Anatomia Corporis humani.* 433
Creilingii (*Joh. Conr.*) *Compendium Phyſicarum definitionum.* 332
Garmanni (*Chriſtiani Frid.*) *& aliorum Epiſtolarum Centuria.* 524

Gaugeri *Mechanica ignis, seu ars augmentandi ejus effectus cum sumtuum compendio.* 185
Geilfusii (*Joh. Gothofredi*) *Tract. de terra sigillata.* 330
Gœlicke (*Andr. Ottomari*) *Historia Chirurgiæ recentior.* 143
Heubneri (*Jo. Leonh.*) *Descriptio speculorum nitidissimorum, quæ parantur Svarzenbergæ.* 203
Hierne (*Urbani*) *Acta & tentamina Chymica in Regio Laboratorio Holmiensi elaborata.* 128
Hofmanni (*Frid.*) *Dissertationum Physico-Medicarum selectiorum Decas.* 205
Lehmanni (*Jo. Christiani*) *Descriptio exacta terebræ Metalloscopicæ.* 319
Liebknecht (*Joh. Georgii*) *Discursus de diluvio maximo, occasione ligni in mineram ferri mutati.* 330
Newton (*Isaaci*) *Philosophiæ Naturalis Principia Mathematica.* 131
Nigrisoli (*Franc. Mariæ*) *Meditationes de viventium & speciatim monstrorum generatione.* 52
Pitcarnii (*Archibaldi*) *Opuscula Medica.* 477
Raji (*Joh.*) *Synopsis methodica Avium & Piscium.* 526
Ruyschii (*Friderici*) *Thesaurus Anatomicus nonus.* 420
Santvoortii (*Theodori*) *Curiositates Philosophicæ de principiis rerum naturalium.* 142
Schmiederi (*Salomonis*) *Observatio de duplici Phænomeno Lunari nuper d. 24. Maji observato.* 427
Senguerdii (*Wolferdi*) *Annotationes circumstantiarum singularium circa coherentiam hemisphæriorum concavorum & cylindrorum solidorum.* 82
Timonii (*Emanuelis*) *Historia variolarum, qua per insitionem excitantur.* 382
Valentini (*Mich. Bernh.*) *Musei Musæorum Tomus II & III.* 376
Vieussenii *Tract. de digestione & morbis ventriculi.* 172
Volkameri (*Io. Christoph.*) *Hesperides Noribergenses, item de floribus varioribus, Norib.* 425
Warlitii (*Christiani*) *Diatribe Medico-Sacra de morbis Biblicis &c.* 424

Wer-

Werloſchnig (*Jo. Bapt.*) *Curationis Verno-Autumnalis, purgationi, venæſectioni, vomitioni &c. innitentis, abuſus.* 333

IV. Libri Mathematici.

Academiæ Regiæ Scientiarum Hiſtoriæ Annus 1710. 193
Bernoulli (*Iacobi*) *Ars conjectandi.* 17
Tract. de ſeriebus infinitis. 17
Epiſtola de ludo pilæ. 17
(*Johannis*) *Meditationes de Natura centri oſcillationis &c.* 257
Tentamen novæ Theoriæ manuariæ Nauticæ. 272
Gærtneri (*Andr.*) *Obſervationes architectonicæ de ædibus contra incendia muniendis.* 344
Grandi (*Guidonis*) *Solutio duorum problematum Mechanicorum.* 85
Hanſchii (*Mich. Gottlieb*) *Deſignatio Operum Joh. Kepleri.* 242
Hoppenſtedt (*Chriſt. Caſp.*) *Tentamen Mathematicum de Machina Planetaria.* 277
Newton (*Iſaaci*) *Philoſophiæ Naturalis Principia Mathematica.* 131
De Roſſi (*Dominici*) *Architecturæ civilis ſtudium in ornamentis portarum & feneſtrarum Romæ.* 16
Voigtel (*Nicolai*) *Geometria ſubterranea auctior.* 87
Witty (*Joh.*) *Tractatus de Sphæra.* 430
Wolfii (*Chriſtiani*) *Elementa Matheſeos univerſæ. Tomus I.* 249
Wideburgii (*Jo. Bernh.*) *Eclipſis totalis Solis & Terræ An. 1715 3 Maj. in boreali terræ hemiſphærio obſervanda, pro illuſtrando calculo eclipſium &c.* 530

V. Libri Hiſtorici, Geographici &c.

Anonymi *Hiſtoria ſuccincta civitatis Erfurtenſis.* 166
Elogium Gottlieb Gerhardi Titii. 390

Elogium Nicolai Gurtleri. 190
Numismata Hiſtorica anni 1704. 455
Labores Martis Ruſſici, ſive S. Czareæ Maj. expeditiones bellicæ. 485
Geographia ſive brevis Terrarum Orbis deſcriptio. 486
Hiſtoria depopulationis S. Urbis Hieroſolymitanæ per Imp. Rom. Titum. 487
de expugnatione Conſtantinopoleos 487
Index Hiſtoriæ Belli Trojani. 488
Basnagii (*Jac.*) *Antiquitates Judaicæ.* 345
Cæſaris (*C. Julii*) *Commentarii cum notis Samuelis Clarke.* 49
Ad Cominæi (*Philippi*) *Commentarios Hiſtoricos ſupplementa.* 221
Danielis (*Gabr.*) *Hiſtoria rerum Gallicarum a condita a Francis in Galliis Monarchia.* 212
Fabricii (*Jo. Alb.*) *Bibliothecæ Græcæ Libri V Pars altera, ſive Vol. VI.* 393
Du Fresnoy (*Langleti*) *Methodus tractandi ſtudium hiſtoricum.* 408
Catalogus præcipuorum Hiſtoricorum cum obſervationibus criticis. 448
Gotteri (*Frid. Gotthelf*) *Elogia Clarorum Altenburgenſium.* 44
Hederichii (*Benj.*) *Notitia autorum antiqua & media.* 241
De Larray *Hiſtoria Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ Tomus IV.* 297
Ludovici XII *R. Gall. & Gc. Amboſii Litera* 154
Ludovici (*Jo. Petri*) *Scriptores rerum Herbipolitanarum.* 494
Menckenii (*Jo. Burchardi*) *Notæ ad Methodum tractandi ſtudium hiſtoricum.* 408
Acceſſiones ad Catalogum præcipuorum hiſtoricorum. 448
Mulleri (*Job. Joachimi*) *Theatrum Comitiale Imperii Rom. Germ. ſub Imp. Friderico V detectum.* 79
Ottonis (*Everardi*) *de Ædilibus Coloniarum & Municipiorum liber.* 416
Pitiſci (*Samuelis*) *Lexicon Antiquitatum Romanarum.* 14

Schoo-

Schoonebeck (*Adriani*) *Hiſtoria Ordinum militarium in linguam Ruſſicam verſa.* 487
Simon (*Richardi*) *Bibliotheca nova ſelecta. Tomi II.* 537
Stieve (*Godofredi*) *Ceremoniale Europæum aulicum.* 561
A Turre (*Philippi*) *de annis Imperii M. Aurelii Antonini Elagabali &c.* 307
Vignolii (*J.*) *Diſſertatio de anno primo Imperii Severi Alexandri Aug.* 302
Epiſtola de numo quodam Antonini Pii. 303

VI. Libri Miſcellanei.

Anonymi Tabula Ægyptiaca hieroglyphicis exornata. 127
Diſcurſus de cogitandi libertate. 229
Apophthegmata, ſive breves ſale condita & morales ſententiæ. 488
Bayle (*Petri*) *Comm. Philoſophicus in verba Chriſti: compelle intrare.* 55
Epiſtola ſelecta. Tomi III. 441
Bernoulli (*Jacobi*) *Ars conjectandi.* 17
Cellarii (*Chriſtophori*) *Orationes Academicæ.* 94
Fabricii (*Jo. Alb.*) *Bibliothecæ Græcæ Libri V pars altera, ſeu volumen VI.* 393
Facciolati (*Jacobi*) *Oratio de Latina lingua non ex Grammaticorum libris comparanda.* 563
Syntagma de linguæ Latinæ ortu &c. ib.
Notæ in Orationem M. T. Ciceronis pro P. Quintio. ib.
Fontanini (*Juſti*) *Catalogus Bibliothecæ Card. J. R. Imperialis.* 218
Garmanni (*Chriſt. Frid.*) *& aliorum Epiſtolarum Centuria.* 524
Giberti *Continuatio judiciorum de viris eruditis a Baillero collectorum. Tomus I.* 78
Gravinæ (*Jani Vinc.*) *Orationes & opuſcula.* 423
L. B. Gros *de Trockau* (*Chriſt. Adam*) *Recreationes Academiæ Groſianæ.* 80
Hodanni (*Jo. Frid.*) *Adminicula ſapientiæ atque eloquentiæ.* 342

Lochneri (*Mich. Frid.*) *Papaver ex omni antiquitate erutum.* 170
Ludovici XII & *Georgii Amboſii Litteræ.* 154
Luiſini *(Aloyſii) Tract. de compeſcendis animi affectibus.* 42
De S. Maria (*Honorii*) *Meditationes de regulis & uſu Critices.* 145
Maſſey (*Edmundi*) *Notæ ad Platonem de Republica.* 453
Ouſeel (*Philippi*) *Introductio ad accentuationem Hebræorum metricam.* 340
Peregrini (*Lælii*) *de noſcendis & emendandis animi affectionibus liber ſingularis.* 42
Placcii (*Vinc.*) *Moralis doctrinæ ſuccincta hiſtoria.* 42
Platonis *de Republica libri X cum notis Edm. Maſſey.* 453
De Rohr (*Julii Bernhardi*) *Inſtitutiones artis cognoſcendi hominum mentes.* 532
Schurzfleiſchii (*Henr. Leonh.*) *Acta Literaria.* 74
Simon (*Rich.*) *Bibliotheca nova ſelecta. Tomi II.* 537
Stieve (*Godofredi*) *Ceremoniale Europæum Aulicum.* 561
Trier (*Jo. Wolffg.*) *Introductio ad doctrinam de Inſignibus.* 480
Volcameri (*Jo. Chriſtoph.*) *Heſperides Norimbergenſes.* 425
Wenckeri (*Jacobi*) *Apparatus & inſtructus Archivorum, ex uſu noſtri temporis.* 517

INDEX RERUM NOTABILIORUM in hoc Volumine obviarum.

ABbates *Epiſcoporum nomen adſciſcunt.* 498
Abdominis *muſculorum vis.* 178
Academia *Scientiarum Bononienſis quando inaugurata?* 439
Accentu *duplici cur voces quædam notatæ?* 341
Accentuum *apud Ebræos in metricis ratio.* 340 *ſq.*
Acidi *ſigna.* 130
Acidorum *vis in curandis morbis.* 182, 478
Actio *rei bonorum raptorum contra raptorem, qui in ipſo facto*

factio non deprehenditur, introducta. 323.374
Actiones *ex delicto an competant adversus haeredes, etsi poenales non sint?* 513
Acus *magneticae declinatio.* 193
195
usus in Geometria practica. 85
Acusticorum *tuborum & concharum descriptio.* 379
Ædiles *Romanorum quotuplices?* 418 *sq.*
dignitate illustres. 419
apud Athenienses duplicis generis. 417
Ab Ædilitate *quinam immunes?* 418
Ædilium *jurisdictio.* 419
privilegia. 420
necessitas. 417
Æditui *qui?* 417
Ægyptiorum *ratio annos Imperii Elagabali numerandi.* 309
cultus animalium. 314
Æolipilæ. 378
Æquationum *constructionum methodus Slusiana vindicata.* 200
proprietates explicatæ. 252
Aer *in pulmonibus sanguini non miscetur.* 477.479
quid commodi praestet arboribus? 426
Aeris *ad argentum vivum ratio.* 136
Aeris *resistentia per oscillationes pendulorum investigata.* 134
elater defensus. 193
noxa. 424
Ætatum *gradus varii.* 206
Æthiopiæ *Rex num fluvium Nili alio divertere possit?* 493
De Æthiopiæ *Ecclesia Dissertatio promissa.* 494
Alcali *signa.* 130
Alcalicorum *vis in curandis morbis.* 478
Alexander (*Nat.*) *notatus.* 148
Alvi *retentionis causa.* 183
Amarorum *medicamentorum operatio.* 181
Ambitio *quotuplex?* 533
Americani *paucis morbis laborant.* 208
Analyseos *infinitorum indoles.* 252
Analysis *ad quæstiones politicas, morales & civiles applicata.* 18 *sq.*
De Anastasii *Sinaitæ libro,* Ὁδηγὸς *inscripto, varia.* 541 *sq.*
Anastasio *cui tribuendus liber* Ὁδηγὸς? 71
Anatomia *corporis humani.* 483
Anevrisma *arteriæ intercostalis.* 420
Anglorum *encomium.* 432
morbi. 207
Animalia *monstrosa.* 377

Animalium *cultus inter Ægyptios ratio.* 314
Annonæ *curatores ab Ædilibus diversi.* 419
Annorum *climactericorum ratio.* 206
Annuli *Saturni causa.* 279
Anodynorum *operatio.* 182
Anomalia *eccentri ut inveniatur?* 531 *sq.*
Anonymus *detectus.* 465
Anorexiæ *causa.* 183
Antichristus *quinam?* 224
Ἀντίμιμον *quid?* 337
Antliæ *pneumaticæ inventor.* 378
descriptio. 378
Anus *os concharum.* 196
Anxietas *præcordiorum unde?* 420
Aorta *a corde abrupta.* 197
Ἀπαρτὶ *quid?* 165
Apheliorum *motus.* 138
Apostoli *an uxores duxerint & qui?* 339
Apostolorum *concilia quot & quænam?* 30
Aqua *unicum conchæ nutrimentum.* 196
Aquæ *motus per foramen in fundo factum.* 135
Aquæductuum *doctrina ubi fundatur?* 88
Aquila *duas interpretationes Scripturæ S. edidit.* 8
an loca Scripturæ S. ad Mosſiam ſpectantia corruperit? 8
an idem cum Onkeloſio? 8
Aranæ *nent ſericum.* 195
Aranearum *nutrimentum.* 195
Archicancellariatus *Trevirenſis termini.* 467
Archi-Ducis *titulus cur Regio in Capitulationibus præpoſitus?* 467
Archivorum *inſtruendorum apud exteros neglectus.* 517
modum qui deſcripſerint? 517
Civitatum Imperii, Bavarici, Bohemici, Palatini, Viennenſis origo. 518
Arbores *cur frigore enecentur?* 199
Heſperidum hominum quorundam præſentiam non ferunt. 426
Arboris *vetitæ fructus quis?* 427
Arboribus *quid commodi præſtet aer?* 426
Arborum *figuræ carioſæ.* 377
Ardoris *ventriculi cauſa.* 182
Arenam *cur denotet Μῆκων?* 171
Argentum *nativum & factitium.* 377
Argumentorum, *quibus conjectura generatur, diſcrimen.* 23
Species. 22
De Ariſteæ *Hiſtoria LXX Interpretum quid ſentiendum?* 6

Arithmetica *infinitorum Bullialdi notata.* 21
promota. 254
Ars *conjectandi Bernoulliana commendata.* 18
naturæ auxiliatrix. 211
Artis *conjectandi fundamenta.* 18
axiomata. 23
definitio. 22
Arſenicum *dolores ventris ſanat.* 482
Arteriis *earent conchæ.* 196
Arthritidis *remedia.* 482
Asbeſti *definitio.* 332
Aſinorum *muſica.* 379
Aſinus *Ægyptiacus.* 377
Aſterismorum & *Obelorum Origenis quæ ratio, qui uſus?* 7
Ad Aſthma *humorale Pareira brava* 198
Aſtronomiæ *uſus in Medicina.* 478
Athanaſii *ſuſpecta fides.* 504
Alhanaſius *vocem* κλιτὸν *an Concilio Nicæno inſeruerit?* 506
Atheroma *placentæ uterinæ.* 421
Avaritia *quid?* 533
Auguſtus *ſummæ poteſtatis jura ſeorſim acquirit.* 474
Auguſtus II. *Rex Pol. cur in vaticinio* diverſicolor *dictus?* 503
Avium *Synopſis Methodica.* 526
Aurantiorum *cultura & uſus.* 425
Aurum *an luem veneream tollat?* 482
nativum & factitium. 377
Αὐθέντης *vox unde?* 165
Axiomata *Mathematicorum a Wolfio demonſtrata.* 250

BAcchi *triumphus.* 172
& Cereris ciſtæ myſticæ. 172
Bælius *an* ἀνθόχειρ*?* 447
Balduinus (*Franc.*) *notatus.* 471
Sr. de Baleicourt *quis?* 450
Balthaſar Hezeneil de la Neuville *quis?* 450
Baluzii (*Steph.*) *Hiſtoria Alverniæ cur ſuppreſſa?* 450
Banana *arbor.* 377
Bandurus (*Anſelmus*) *Magliabechii ſucceſſor.* 536
Banni *eccleſiaſtici apud Ruſſos uſus & forma.* 104
Baptismus *arena an factus?* 338
an infantibus impertiendus? 508
pro mortuis quid? 508
infantum quando cœperit? 509
באר עשה *quandoque idem quod* 119
Barat *autor Bibliothecæ Sel.* 537
Barometra *concordantia.* 380
Barometri *phænomena.* 295
In Barometro *latitudo maxima Mercurii.* 195

Barometrorum *ſpecies.* 378
Bartholomæi *de Piſis liber conformitatum Franciſci & Chriſti blaſphemus.* 448
Baſnagius (*Jac.*) *notatus.* 544
Batata *fructus.* 377
Batavorum *morbi.* 208
Beckeri (*Balth.*) *fata.* 444
Bellorius *Angeloni editor notatus.* 306
Bellum *omne an Lutherus illicitum duxerit?* 501
Bernoullianorum *inventorum character.* 277
Bibliotheca *Card. Imperialis commendata.* 219
Bibliotheca *Orientalium magna.* 493
Bileam *vel Bilham quis?* 162
Bilioſi *humores unde?* 179
Bilis *res ficta eſt.* 333
Biszeſtia *apud Ruſſos quid?* 104
Bodinus (*Joh.*) *notatus.* 227
Bohemiæ *Regi num liceat aliquid monere in cauſa capitulationis?* 468
Berolinenſis *arx regia in numo expreſſa.* 457
Bos *Indicus.* 377
Du Bos *Hiſtoriæ fœderis Camaracenſis autor.* 450
De Bouteroue (*Claudii*) *Obſerv. de numis Gallicis judicium* 543
Brenckmanni (*Henr.*) *ſtudium in Pandectis Flor. evolvendis laudatum.* 367
Brugnolus (*Bened.*) *quis fuerit?* 76
Brunechildis *utrum innocens?* 216
Bruta *cur ſtata coeundi tempora habeant, non homo?* 425
Buſurmanni *Ruſſis qui?* 104
Byncker shœk *notatus.* 324

CAbreræ (*Lud.*) *vita Philippi II Latine verſa.* 452
Cacochymia *eſt ens chymæricum.* 333
Cadaver *hominis halitu prunarum enecati quale fuerit?* 194, 195
Cæſar (*Jul.*) *emendatus.* 49
Calculi *remedium optimum.* 198
differentialis inventio Leibnitio a Newtono aſſerta. 133
& integralis elementa. 253
Calculi *in corpore fœminæ ætuagenariæ.* 197
Calculus Minervæ *quid?* 472
Calor *ut augmentandus?* 186
gravitatem ſpecificam fluidorum imminuit. 480
Caloris *ratio.* 131
Camelopardalius. 377
Camera *obſcura.* 379
Cameracenſis *fœderis Hiſtoriæ autor de Bos.* 450
Camerarius (*Elias*) *refutatus.* 558

Camini

Camini *singularis constructio.* 17, 186, 187
Caminorum *figura optima.* 187
Campana *urinatoria.* 378
Camphur *animal.* 377
De Cancellariis *& Archivis Tractatus promissus.* 521
Cancri *rariores.* 377
Canes *coeuntes cur cohæreant?* 425
Caniculus *per vomitum reiectus.* 421
Canonis *Scripturæ S. seriorconstitutionum canonem ipsum reddat suspectum?* 316
Cantoris *prærogativa in Cathedrali Panormitana.* 126
Capitulum *Jonicum foliis ornatum.* 17
Cardinales *solo* Eminentiæ Reverendissimæ *titulo contenti esse jubentur.* 127
solum pileum rubrum in armis & sigillis exhibent. 127
Cardinalium *congregationis declarationes quatenus vim legis habeant?* 125
Carolus M. *quomodo Imperatoris nomen adeptus?* 497
Caroli M. *Imp. genus & res gestæ.* 76
Caroli I *R. Angl. infortunii causa.* 298
Caroli II. *R. Angl. res gestæ.* 300
Cassave, *panis.* 377
Ex Castaneorum *usu hydrocele & sarcocele.* 207
Casuum *numerus ut determinetur?* 25
Causarum *physicarum investigatio Medico inutilis.* 478
Celeritas *navis ut determinanda?* 274
Centri *gravitatis proprietates.* 254
inventio. 254
oscillationis theoria generalis. 257
Cercopitheci *rariores.* 377
Ceremoniale *aulicum novum.* 561
Ceres *spiceam coronam papaveribus intertextam in capite gestans cur pingatur?* 171
Cereris *& Bacchi cistæ mysticæ.* 172
Certitudinis *definitio.* 22
Chamus *num ab Ægyptiis sub nomine Jovis Hammonis cultus?* 309
De Chazelles (*Matthæi*) *elogium.* 202
Chilperici *R. Gall. ridicula superstitio.* 215
China Chinæ *febris remedium.* 483
Chirothecæ *ex scrico aranearum confectæ.* 195
Chirurgiæ *historia recentior.* 143

Chirurgumne *an Medicum bonum esse præstet?* 334
In Chirurgia *infusoria cur injectionem medicamentorum sequatur vomitus?* 525
Chirurgorum *imperitiæ causæ.* 143
Chorepiscopi *qui?* 465
Christi *divinitas probata.* 460
cognitio secundum carnem & spiritum quid sit? 224
& Prophetarum miraculorum discrimen. 460 *sq.*
natura ut a nostra differat? 545 *sq.*
nativitas qualis? 545, 546
Christiani *ab infidelibus capti num bodie fiant servi?* 227
Christus *an oculis corporis Patrem in terris viderit?* 115
num in statu exinanitionis fuerit omnipræsens. 547
Chronologia *librorum N. T. e Constitutionibus Apostol. constituta.* 29
Chrysoloras (*Manuel*) *ubi & quando mortuus?* 288
ejus epitaphium. 288
Chrysopœia *num possibilis?* 334
Chrystalli *Islandici refractio.* 202
Chylificatio *motu ventriculi absolvitur.* 477, 479
Chymica *principia impugnata.* 524
acta & tentamina. 118
Chymicæ *operationes perperam in Medicinam introductæ.* 175
Chymicum *Laboratorium Holmiæ cur institutum?* 128
Ciborum *digestio motui ventriculi debetur.* 477
Cicero *emendatus.* 375, 564
Circulatio *sanguinis in animalibus genitis & non genitis.* 477
Circulationis *sanguinis affectiones.* 477
Circulus *sanguinis artem Medicam parum mutavit.* 479
Citrea *inter mala & limonia differentia.* 427
Citreorum *cultura & usus.* 425, 427
De Claramontii (*Scip.*) *libro de conjectandis moribus judicium.* 532
De Clarkii (*Sam.*) *libro de Trinitate sententia Whistoni.* 39
Clavii (*Christoph.*) *opus de Astrolabio notatum.* 430
Clerici *a conscribendis Actis publicis remoti.* 518
Clericis *acquirendorum immobilium facultate interdictum.* 518
Cochlea *præclari operis.* 17

Cochlearum *motus progressivus.* 194
Coeundi *tempora stata cur bruta habeant, non homo?* 425
Cogitandi *libertas & generatim & in rebus religionis defensa.* 130 *sq.*
Cognitio *abstractiva quid sit?* 108
intuitiva quid sit? 109
Cognitione *spirituali an corporali num simus visuri Deum?* 110
Le Cointe (*Car.*) *cur Annales suos fusius exaraverit?* 449
In Coitu *cur canes cohæreant?* 425
cur feles clamitent? 425
Colibri *aves.* 377
Colicæ *stomachicæ causa.* 183
Colli *tumor scirrhosus.* 484
Coloniæ *quid?* 417
Colorum *in præcipitatione observatio.* 131
Ad Colossenses *Epistola contra quos scripta?* 357
Columnæ *nullius ordinis.* 17
Columnarum *capitula variata.* 17
Combinationum *doctrina ubi tradatur?* 20, 252
in arte conjectandi usus. 21
Cometarum *motus.* 140
cauda controversa. 140, 141
Comitum *Imperii Legati secundi ordinis admissi.* 469
Concha *acustica.* 379
Conchæ *alimentum per anum accipiunt.* 196
variores. 377
Concharum *sub tellure origo.* 560
in Germania multitudo. 559
fluviatilium descriptio. 196
Conchitæ. 376
Concilia *Apostolorum quot & quænam?* 30
Concordia *barometrorum & termometrorum detecta.* 380
Concubinæ *Reginæ quondam dictæ.* 76
Concubinatus *a veteribus improbatus.* 369
an licitus fuerit apud Græcos? 370
a Constantino M. successoribus prohibitus. 372
Concursus *creditorum sciagraphia secundum Jus Bohemicum.* 516
Confirmatio *a baptismo an separanda?* 510
Conjecturis *quando non sit locus?* 23
Conjicere *quid significet?* 22
Contingentis *definitio.* 22

Conſcientiarum *Libertas defenſa.* 475, 476
De Conſtitutiouibus *Apoſtolicis ſententia Whiſtoni.* 28 *ſq.*
Corallia *lacte & cera alba privantur rubedine.* 197
foſſilia unde? 327, 329
rara.
Coralliorum *foſſilium examen.* 328
marinorum definitio. 327
tincturæ ut parandæ? 198
Coralliographia *ſubterranea.* 126
Cordis *venæ quædam ex auriola dextra emergunt.* 421
vis vibratoria quanta? 176
Cornua *rariora.* 377
Cosri *libri verſio quæ optima?* 539
Cœnam *S. mortuis impertiendi ritus unde?* 336 *ſqq.*
Cricetus. 377
Critica *quid?* 145
Criticæ *neceſſitas & uſus.* 146
hiſtoria. 147
Cruditatum *ventriculi cauſa.* 183
Cromwellii *res geſtæ.* 299
mortis cauſa. 299
Crux *circa Lunam obſervata* 429.
Crux *Conſtantino M. viſa quænam fuerit?* 393
Patriarchalis in inſignibus Polonicis unde? 503
Cupri *minera curioſe.* 377
Curæ *affectus & effectus.* 424
Curatio *verno-autumnalis reiecta.* 333
Curatores *civitatum qui?* 418
Curſus *Mathematicus Wolfii commendatus.* 256
Cylindrorum *ſolidorum cohærentia.* 84, 85.
Cynocephali. 377

DAniel (*Gabriel*) *notatus.* 218
Deaſtri *cum papavere picti.* 171
Decipula *pulicum.* 379
Dei *ideam num habeamus?* 142
deſcriptio. 142
influxus in hominum actiones quis? 354
vox quid connotet? 142
Deismi *principia confutata.* 432
Demonſtrandi *rigor commendatus.* 251
Demonſtrationis *principia evoluta.* 250
Denſitas *quando eadem?* 137
Denſitates *Planetarum deſcriptæ.* 138
Deviatio *navis ut determinanda?* 274, 275
Deus *ex ſtructura mundi cognoſcendus.* 339

Deus

Deus *cur colatur?* 142
ut agnoſcatur? 142
Diæta *congrua ut inſtituenda?* 424
E Diæta *prava reſultantes morbi Biblici.* 424
Diætæ *pravæ noxæ.* 424
Diana *cum papaveribus picta.* 172
Digeſtio *fit per triturationem.* 177
Digeſtionis *ventriculi ratio.* 172
Digeſtor *Papini.* 379
Dignitas *apud Canoniſtas quid diſtet a Perſonatu?* 125
Circa Dignitates *quæ obſervandæ regulæ?* 126
Diluvii *univerſalitas probata.* 330 *ſq.*
Diluvium *maximum illuſtratum.* 330
Diverſicolor *cur in vaticinio dictus Auguſtus II Rex. Pol.* 503
Divinitas *Servatoris probata.* 460
Doctores *Juris e Senatu & Scabinatu Lipſienſi ejecti & reſtituti.* 159
ignorantiæ notati. 478
Doctrina Apoſtolica *liber an genuinus?* 359
Doctrinarum *fata in ſeptem ætates diſtributa.* 434
Dolce (*Lud.*) *notatus.* 564
Dolores *ventris ut fugandi?* 482
Duodenum *plurimorum morborum ſedes.* 207
Dupinius (*Lud. El.*) *notatus.* 71, 148, 538, 539
principibus perſonis in pretio. 81
Dyckii *liber* de ſe ipſo *&c. commendatus.* 405

Ebrietas *an ſanitati proficua?* 334
pernicioſa. 424
Eccentri *anomalia ut inveniendа?* 531. *ſq.*
Eccleſiarum *fundationes & leges particulares derogant juri communi.* 125
Echini *marini.* 377
Eclipſium *Solarium conſtructiones a Flamſtedio inventæ.* 430
calculus explicatus. 430
Elagabalus *quando occiſus?* 307
Elagabali *numi explicati.* 306
anni imperii quot? 312
Elater *aeris defenſus.* 193
Elementa *non continent ſal ſulphur & mercurium.* 524
Elementorum *numerus quaternarius.* 129
Elias *Levita quis?* 540
De Eloquentiæ *corruptæ cauſis Dialogus emendatus.* 78
Emancipatio *tacita rejecta.* 228
Lœwenſteiniana examinata. 228

Eman-

Emancipationis *Germanorum* *ſpecies.* 228
Epiphanii *cenſura.* 76
Epiphanius *hereticorum nomina finxit.* 124
Epiſcopali *regimini an ſilentium Scripturæ S. obſtet?* 463
Epiſcopalis *regiminis primum fundamentum.* 464
uſus in prima eccleſia. 464, *ſq.*
Epiſcoporum *reſidentia num juris divini?* 126
Epiſcopus *Wurzburgenſis vicarius S. Petri dictus.* 498
cur Ducis titulo gaudeat? 499
Erfordiæ *urbis origo.* 166. *ſq.*
fata. 167
Ergot *quale frumentum?* 199
D'Eſtrades *Commentarii imperfecte & mendoſe impreſſi.* 449
Evacuationes *conſuetæ an poſſint intermitti?* 334
Eventus *rerum fortuiti ut conjectandi?* 20
Eugenii *Pont. Rom. agendi ratio cum Principibus Germanis.* 98
Euſebius *vindicatus.* 297
Euſebii *Præparat. Evang. edi. icones.* 538
Euſebii *varii.* 394
Excerpendi *ars methodica qua in re conſiſtat?* 342
Excrementorum *retentorum moleſtiæ.* 424
Exulum *Lutheranorum exempla.* 565

Famis *caninæ cauſa.* 184
Faſtidii *ciborum cauſa.* 183
Febres *ubi prorſus exulent?* 208
Febris *ſudando fugatur.* 48
Febrium *intermittentium curæ.* 207
cura per evacuationem. 477
cauſa num vitium partium ſanguinis fermentescentium. 477
Feles *in coitu cur clamitent?* 425
Felium *muſica.* 379
Felix *Ep. Orgelitanus num corruperit Hilarium?* 72 *ſq.*
Fellerus (*Jo. Frid.*) *autor variorum ſcriptorum ineditorum.* 439
Feneſtrarum *ornamenta.* 16
Fermentatio *in corpore humano locum non invenit.* 174, 177
præternaturalis morbos non producit. 179
Fermenti *ſtomachalis natura & proprietates.* 173
Fermentorum *doctrinæ unde in ſcholam Medicam fuerit introducta?* 174
Fermentum *acidum ventriculi nullum datur.* 177
Ferreæ *mineræ Laubacenſes.* 331

Ferri *productio in dubium vocata.* 331
minerae curiosae. 377
Feuda *Imperio aperta olim in fiscum publicum redacta.* 519
Ficus *Indica.* 377
Figurarum *curviliuearum in fluido motus.* 275
Flatuum *causa.* 183
Flores *multiplicati.* 377
Fluida *calida cur in vacuo insigniter ebulliant?* 480
Fluxu *menstruo cur foeminae laborent, non viri?* 481
Fluxus & *refluxus maris observationes accuratae.* 193
num cum motu Lunae medio coincidat? 194
regulae. 194
mensium definitio. 481
causa. 481
Foeminae & *puellae quando baptizandae?* 510
Foetus *cur in utero non respiret?* 477
Folia *in capitulo Jonico adhibita.* 17
Fontes *salientes.* 379
Fornaces *calorem multiplicantes.* 183
Fornacum *constructendarum principia.* 186
Fortunae *definitio.* 22
Fortunam *num requirat Medicus?* 334
Fossilium *figuratorum origo.* 331
ordo & distributio. 560 *sq.*
Franciae *Orientalis Ducum origo.* 496
Francorum *Regnum modo hereditarium, modo electivum.* 213
res narrantibus scriptoribus Romanis num fides habenda? 495
Sub Friderico V *Imp. Comitiorum historia.* 99
Frisius (*Laur.*) *Chron. Herbip. autor, quis?* 496
quae scripserit? 497
Fructus *multiplicati.* 377
Frumenti *nigri & cornuti examen.* 199
Fulguris *definitio.* 332
Fumariorum *constructio.* 187
Fumus *camini ut a conclavi arcendus?* 186
Fungi *figurati.* 377
Furnologia *Beckleri commendata.* 185

GAllorum *morbi.* 207
S. Gallensis *Abbas num exemtus imperio?* 468
Gangraena *singularis.* 199
Gaudii *enormis detrimentum.* 424
Gemmae *figuratae.* 376, 377
Generatio *viventium.* 521 *sq.*

Generatio *æquivoca non datur.* 522 *ſq.*
monſtrorum. 521
Geometriæ *elementa a C. Wolfio omnium rigidiſſime demonſtrata.* 250
ſubterraneæ Scriptores. 87
Germaniæ *facies tempore Friderici V.* 99
Germanorum *morbi.* 208
Gonorrhœa *ex imaginatione depravata.* 526
Gothofredus (*Dion.*) *notatus* 554
Grabii (*Mart. Sylv.*) *ſcripta.* 93
Græci *paucis laborant morbis.* 208
Graduum *inæqualitas in Meridianis Telluris inſenſibilis.* 139
Granadilla. 377
Gravitas *non oritur a cauſa mechanica.* 142
Gravium *motus.* 254, 255
Grœnlandiæ *incolæ.* 377
Gronovii (*Jo. Frid.*) *Oratio de L. Regia laudata.* 470
Gronovius (*Laur. Theod.*) *laudatus.* 557
In Groſippi *Pædagogo Pædagogorum quid contineatur?* 539
Gruteriana *Inſcriptio explicata.* 304 *ſq.*
Gruteriani *Theſauri inſcriptionum errores ut emendandi?* 77
Grundruhe *quid?* 519
De la Guarde (*Hieronymi*) *liber* Memoire ſur la mort de Henry IV. *riariſſimus.* 449
Gubernaculi *optima diſpoſitio.* 274, 275
Gueudeville *autor libri* : l' Eſprit des Cours de l' Europe. 446
Gulo *animal.* 377
Gurtleri (*Nic.*) *elogium.* 190 *ſq.*
ſcripta. 191 *ſq.*
Gutta *ſerena laborantis anatome.* 484 *ſq.*

Hæretici *num corruperint Scripturam S.* 68
num corruperint Patres? 70
Hakemus *Caliſa ab impoſtoribus poſt mortem ſimulatus.* 492
Halleji *ſyſtema declinationis acus magneticæ obſervationibus repugnans.* 193
Halonis *exemplum rarum.* 428
Hebraicæ *literæ aliter quondam lectæ atque hodie.* 13
Hebræarum *literarum ductus antiquiores diverſi ab hodiernis.* 5
origo ex ſententia Tolandi. 389
Hemiſphæriorum *evacuatorum cohæſio.* 82 *ſq.*
Henrici VIII *R. Angl. & Maximiliani I Imp. diſſidia.* 157

Hepar *magnum.* 484
Hepatis *glandulæ quid?* 422
Heraldica *doctrina quid sit?* 502
Heraldicum *Collegium Lipsiense.* 502
Herba *sensitiva.* 377
destillatoria. 377
Herbæ *figuratæ.* 377
Herbarium *diluvianum.* 195
Hermaphroditæ *sunt conchæ.* 196
De Hesperi *filiabus fabula.* 426
Hexapla *Origenis, quo ordine versionem V, VI & VII exhibuerint?* 4
quando edita? 3
quando perierint? 11
In Hexaplis *Origenis versiones V, VI & VII an quondam in omnes V. T. libros exstiterint?* 4
De Hexaplis *quid sentiendum?* 10
Hexaplorum *notæ marginales quid complexæ?* 4
variæ appellationes. 2
Hieronymi *Pragenses duo.* 281
Hilarii *Liber II de Trinitate.* 72
Hippopotamus. 377
Hircus *cur adhibitus in festo expiationis?* 356
De la Hire *(Phil.) notatus.* 139
Hispania *vocabulum quodnam?* 487
Hispanorum *morbi.* 208
Historia *de ecclesia Nestoriana promissa.* 494
Historiæ *Orientalis scriptores.* 489
finis. 409
naturalis conscribendæ Regulæ. 483
In Historiæ *lectione quæ regulæ observandæ?* 413
Historici *boni ac mali character.* 414
Hominis *pedibus manibusque truncati opera admiranda.* 380
Horologium *Polare buxo adumbrandum.* 427
Hortlederi *editio optima.* 451
Hortos *delineandi modi.* 427
Hottentotzii. 377
Hussi *(Jo.) doctrina.* 280
causa damnationis. 283
prædictiones ante mortem num recte ei tributæ? 284
In Hussi *(Jo.) supplicio numsides publicæ violata?* 285
Hussus *(Jo.) numfugere Constantia voluerit?* 281
num restitutor calicis in Bohemia? 280
Hydrocele *ex nucum & castaneorum esu.* 207

Hydrope *defuncti anatome.* 484
Hydrops *per scroti apertionem curatus.* 526
Hygrometra. 378
Hypolemniscorum *usus.* 7
Hypothesis *Astronomica Wardi phenomenis non satisfacit.* 201
Hypotheses *in philosophia experimentali non tolerandæ.* 142

IAcob *cur in Ægypto sepeliri voluerit.* 160
Jacobi *II R. Angl. res gestæ.* 301
De Jacobitarum *fide dissertatio promissa.* 494
Jacobiticæ *sectæ in oriente res.* 491
Ictero *defuncti anatome.* 484
Ad Icterum *Pareiræ brava.* 198
Jejunii *quadragesimalis regimen.* 173
Jephtæ *filia num immolata?* 356
Ignatii *epistolæ breviores haud genuinæ ex sententia Whistoni.* 27
Ignis *elementaris sedes.* 129
quomodo calefaciat? 187
ut ab ædibus arcendus? 344
ratio. 131
Immissionis *triplex species ex jure Bohemico.* 516
Imperator *Rom. Germ. cur alios Principes præcedat?* 562
Imperatori *Rom. num nomen competat ante coronationem Rom.* 467
Imperialis (*J. R.*) *Card. Bibliotheca commendata.* 219
Imperii *Status defensores fidei ab Imperatore dicti.* 467
parci in titulis distribuendis. 469
si bona immediata non possideant, votum & sessionem in comitiis haud habent. 465
Impossibile *quid sit?* 22
Indorum *morbi.* 208
Infinitorum *Arithmetica Bullialdi notata.* 21
promota. 254
Inflammationis *causa.* 481
Influxus *Dei in hominum actiones quis?* 354
Infusa *vegetabilium purgantium efficaciora quam decocta.* 197
Inscriptio *Gruteriana explicata.* 304 *sq.*
Inscriptionum *Thesauri Gruteriani errores ut emendandi?* 77
Insecta *rariora.* 377
limaces infestantia. 197
In Insignibus. *Polonicis error notatus.* 503
Instituendi *pueros ratio.* 432 *sq.*
Instrumentorum *Geometris subterra-*

terrarcis neceſſariorum deſcriptio. 88
Inſtrumentum *antiquum venditionis.* 311
Intabulatio *apud Bohemos quid?* 516
niſi facta fuerit, nulla ſit oppignoratio & alienatio immobilium. 516
Inteſtinum *rectum disruptum.* 197
duodenum malorum plurimorum ſedes. 207
Inventores *unde agnoſcantur?* 477, 480
Invocationis *nominis divini in inſtrumentis origo.* 227
Jordanus (*Claudius*) *autor libri* Le Clef des Cabinets. 446
Ira *furens.* 424
Irænei *locus vindicatus.* 36
Iridis *ſcutellæ.* 377
Ad Iſchuriam *Pareira brava.* 198
In Iſidis *ſacris papaver uſitatum.* 171
Iſochronismi *gravium in cycloide demonſtratio.* 255
Italorum *morbi.* 208
Judæorum *crimina quæ feruntur.* 288
Æchmalotarchæ in Ægypto quinam? 493
Judaicarum *rerum ignorantia apud Ethnicos.* 346
Juliæ Paulæ *nummus explicatus.* 305
Julius II *bellicoſus & Gallorum inimicus.* 155. *ſq.*
Juno Lucina *cum papaveribus picta.* 172
In Jure *quæ ratione diſputandum?* 435
Juridicorum *collegiorum in Saxonia diſſenſus notatus.* 294
Juris *Juſtinianei receptio an probanda ſit ab allegante?* 159
Doctores e Senatu & Scabinatu Lipſienſi ejecti & reſtituti. 159
Jurisdictionis *Patrimonialis origo.* 227
Jurisprudentiæ *objectum Meum & Tuum.* 227
Jus *Juſtinianeum exponentium diverſa ſtudia.* 226
Jus commentitium *quid?* 554, 555
Juſtinianei *juris receptio an probanda ſit ab allegante?* 159

KAræorum *origo unde?* 399
Karaismi *epochæ tres.* 401
Κάλαλύσεν *quid?* 164
Kircherus (*Athan.*) *notatus.* 542
Kepleri *hypotheſis in Luna non ſatisfacit.* 201

LAboratorii *Chymici Holmienſis fundatio & finis.* 128
Lacertæ *variores.* 377
Lacrymæ *vitreæ.* 379

Lacy (Jo.) *neo-Prophetarum defensor.* 89
Lambinus *emendatus.* 564
Lampades *veterum descriptæ.* 376
Lancelotti *Institutiones laudatæ.* 125
Landgrafiorum *Thuringiæ jus in Erfordiam.* 168
Lapides *figurati Flandriæ atque Galliæ.* 195
Lapidis *bezoardici descriptio.* 197
cornei rara species. 328
Lapidum *figuratorum descriptio.* 376
Lapis *corneus quid?* 327,329
Latan *arbor.* 377
Laterna *magica.* 379
Latina *lingua ut addiscenda?* 563
Laubacensis *Comitatus descriptio.* 331
Lauterbachii *Compendium Pandectarum laudatum.* 415
Lectiones *variantes N. T. defensæ.* 317
Legati *secundi ordinis hodie charactere repræsentatitio gaudent.* 469
De Lege *Regia variæ eruditorum sententiæ examinatæ.* 471
sententia Grotovii commendata. 471 *sq.*
Leges *particulares derogant Juri communi.* 125
Legibus solvi *formula.* 474
Legis *Sinaiticæ ratio.* 546
Legum *emendatio ut in Germania institui debeat?* 158
quarundam emendatio. 367 *sq.* 549 *sq.*
Lemniscorum *& hypolemniscorum qui usus?* 7
Lentium *in tubis spirs studio.* 202
Leones *rariores.* 377
Leopardus *rarior.* 377
Lerius *seu Hay animal.* 377
Lex *Regia Romanorum quid?* 411
Libellarum *varia genera.* 88
Libere *cogitantium in Anglia character.* 313
philosophari quid sit? 290
circa res divinas ut conveniat? 290
Lienes *tres.* 484
Lienteriæ *causa.* 184
Ligna *fossilia rara.* 328
Ligni *usus nimius in ædificiis vitandus.* 344
Lignorum *parsimonia quibus cordi fuerit?* 185
Lignum *in mineram ferri mutatum.* 350
Limacum *insecta.* 197
Limburgicis *Pincernatus Imperii vindicatus.* 468
Limonia *inter & citrea mala differentia.* 427
Limonum *cultura & usus.* 425

Lipsien-

Lipſienſis *Diſputatio inter Lutherum & adverſarios.* 500
Litium *protelationes unde?* 158, 295
Litteratorum *in Succia infelicitas.* 128
Liturgias *Orientalium num edere conſultum?* 544
Ad Liturgias *notæ promiſſæ.* 494
Locorum *Geometricorum doctrina explicata.* 253
Logiſtica *decimalis ad Geometriam ſubterraneam applicata.* 88
Lomeierus (*Jo.*) *notatus.* 76
Le Long (*Jac.*) *defenſus.* 539
Longævitas *Patriarcharum?* 424
Longitudinem *inveniendi methodi variæ.* 431
maris inveniendi modum excogitarunt Whiſtonus & Dittonus. 432
Ludolphi (*Jobi*) *Hiſtoria Æthiopica notata.* 490
Ludovicus *Granadenſis laudatus.* 406
Lues *venerea unde?* 481
Luis *venereæ remedia.* 482
ortus. 481
Luſini (*Aloyſii*) *libri* de compeſcendis animi affectionibus *editiones variæ.* 42
Lunæ *variatio quanta?* 139
a terra diſtantia. 140
theoria emendata. 261
diameter apparens. 261
Lunare *phænomenon duplex.* 427 *ſq.*
Lupi *rariores.* 377
Lutheri (*Mart.*) *diſputatio Lipſienſis.* 500
ſalvus conductus num a citatione diverſus? 501
Epiſtolæ ineditæ. 501
num ſint Literæ Hartmuthi von Cranenberg? 501
Lutheranismus *Seckendorfii meliori ordine digeſtus & auctus.* 499 *ſq.*
Lutheranorum *exulum exempla.* 565
Lux *Solis ut gignatur?* 279
Lycopodii *pulvis.* 526

Machina *trituratoria.* 379
planetaria nova. 278
Machinæ *planetariæ Hugenianæ perfectio.* 277. 278
Magdeburgici *juris Codex novus promiſſus.* 295
Magliabechii (*Ant.*) *vitæ & mors.* 534 *ſq.*
Magnes. 380
Circa Magnitudines *ex obſervatis angulis calculo elicitas errores detecti.* 251
Mahlſchatz *unde?* 228
Malaciæ *cauſa.* 184
Mali *citrei uſus adverſus venenum.* 427
locus commodiſſimus. 276

Malum *coniferum num arboris vetitæ fructus?* 427
Del Mançano (*Franc. Ramos*) *laudatus.* 322
Mandiocca. 377
De Manillo (*Jac.*) *judicium Schurzfleischii.* 77
Manuariæ *nauticæ obiectum.* 272
theoriam falsam tradidit Renaldus. 272,273
veram dedit Bernoullius. 273
Manum *ponendi in femore ritus qualis?* 160
Manumissio *ex testamento moribus Germanicis contraria.* 228
Marcasitæ *rariores.* 377
Marcus *hæreticus quando vixerit?* 30
quis ex sententia Orientalium? 490
Marianæ (*Jo.*) *duo libri falso tributi.* 66
Marci *fundus perpetuo tranquillus.* 559
historia. 195
Circa Maris *æstus observationes.* 193
Marmor *Italicum.* 550
De Maronitis *Dissertatio promissa.* 494
Marsupialis *Americanus.* 377
Martialia *gravitate sua mensis provocant.* 481
Martinus V *Papa an* Marinus *dicendus?* 284
Maxillæ *inferioris portiones abscissæ absque masticationis & loquelæ læsione.* 421
Maximiliani I *&* Henrici VIII *R. Angl. dissidia.* 157
Maximilianus I *Imp. Pontificiæ dignitatis candidatus.* 158
Mazeppa *ab ecclesia Ruthenica in bannum conjectus.* 104
Mechanicorum *instrumentorum catalogi.* 380
Medendi *ars nulla.* 482
Medicamenta *casu inventa.* 482
Medicastris *an interdicendum praxi?* 334
Medici *περιοδευται qui?* 418
quidnam sit? 478
opera quando opus? 211
num Astronomos imitari debeant & quo modo? 478
senes an junioribus præferendi? 334
num de mercede paciscí debeant? 334
Medicina *ab omni secta Philosophorum libera.* 477
In Medicina *observationum utilitas.* 478
Astronomiæ usus 478
Medicinæ *definitio.* 483
Medicumne *an Chirurgum bonum esse præstet?* 334
Medicus *novus an novum cœmeterium poscat?* 334
an requirat fortunam? 334
Me-

Melancholici *humores unde oriantur?* 179
Melancholicus *ſuccus res ficta.* 333
Mellier (*Lucas*) *quis?* 447
Melonum *ſpecies.* 377
Menſæ *accumbendi in conviviis antiquitas.* 424
Mentes *hominum vt cognoſcendæ.* 530
Menſium *fluxum cur fœminæ non viri patiantur?* 481
martialia provocant. 48
Menſtrua *mixtorum.* 130
Menſtrui *fluxus cauſa.* 481
deſcriptio. 481
Mercurii *altitudo maxima in barometro A. 1710.* 195
Mercurius *univerſi qualis?* 130
Meridiana *linea non mutatur.* 203
Meronvillius *emendatur.* 564
Metallurgia *morbifera.* 211 *ſq.*
Mezeræus *laudatus.* 411
Microſcopiorum *uſus.* 379
Μήκων *cur arenam denotet?* 171
Μήκωνες *piſces.* 171
Millius *notatus.* 51
Mineralia *per triturationem digeruntur.* 178
Miraculorum *Chriſti & Prophetarum diſcrimen.* 460 *ſq.*
Miſſatici *ſacrificii origo.* 386, 548
Mœrore *confectorum mores.* 425
Mœroris *noxa.* 424
Molarum *genera varia deſcripta.* 256
De Moneta *conventiones num antiquæ?* 520
Monſtrorum *generatio.* 521
Monſtroſarum *plantarum cauſa.* 524
Monzambani *liber variis adſcriptus.* 412
Moraliter *certum quid ſit?* 22
impoſſibile quid? 22
Morbi *per tranſpirationem optime pelluntur.* 478
ſudando fugantur. 480
certis regionibus peculiares. 207
metallurgis proprii. 212
ventriculi. 172
ætatum. 209
endemii. 209
Biblici e prava diæta & animi affectibus reſultantes. 424
Morborum *origo.* 478
diviſio. 482
oculi theoria. 477
Morgengabæ *origo.* 228
De Morini (*Jo.*) *Comm. de diſciplina in ſacramento Pœnitentiæ varia.* 543
Mors *cur cum papavere pingatur?* 172
ſubitanea ob aortam a corde abruptam. 197

Moſes *an Cabbalæ autor?* 348
Motus *pars in fluido amittenda.* 135
Jovis & Saturni perturbatur prope conjunctionem. 137
Lunares per theoriam gravitatis computati. 140
corporum ex percuſſione. 256
immoderati noxa. 424
Mullerus (*Jo.*) *autor libri* de origine Francorum *quis?* 496
Multiſectio. 252
Mundus *quo anni tempore conditus?* 116
Municipia *quid?* 417
Mures *rariores.* 377
Muſci *rariores.* 377
Muſculorum *anatome.* 484
Muſeorum *celebrium deſcriptio.* 377
Muſeum *Muſeorum.* 376
Muſica *aſinorum.* 379
felium. 379
Myſteria *fidei defenſa.* 292
Myſteriorum *Chriſtianismi rationabilitas aſſerta.* 432

NAtivitas *Infantis ex parentibus decrepitæ ſenectutis.* 194
Natura *quid?* 211
Naturæ *rariorum deſcriptio.* 377
vis medicatrix 211
Naturæ *armamentarium novum.* 376
Naufragorum *bona ſurripiendi jus ab Henrico VI in Germania ſublatum.* 519
Navis *aerea.* 378, 379
Nauſeæ *cauſa.* 183
Neceſſarium *quid ſit?* 22
De Neſtoriana *eccleſia hiſtoriæ promiſſa.* 494
De la Neuville *vide* Balthaſar.
Newtoni (*Iſ.*) *philoſophia commendata.* 131, 141
Nicæni *Canones an genuini?* 491
De Niem (*Theod.*) *quando mortuus?* 289
Nilum *num alio divertere poſſit Rex Æthiopiæ?* 493
Nodorum *ſatellitis extimi Jovialis motus.* 139
Le Noir *autor Evangelii novi Card. Pallavicini.* 443
Nota ὁ γ *quid ſignificet?* n
Nubes *curioſa Cometæ caudam mentiens.* 428
Ex Nucum *eſu Hydrocele & Sarcocele.* 207
Numæ *lex de pellice.* 372
Numerorum *figuratorum ſummatio.* 21, 251
Numi *Elagabali explicati.* 306
mortem Rudolphi Auguſti D. Lun. indicantes. 455
de victoria Hæchſtedenſi. 456

Numi *Asiatici cur papaveribus ornati?* 172
Nummus *Juliæ Paulæ explicatus.* 305
Nutritio *quid?* 173
De la Nuza (*Joh. Bapt.*) *an autor Comm. in Prophetiam Hildegardis?* 66

OBelifcus *CPtanus explicatus.* 427
Obelorum *Origenis quæ ratio, qui usus?* 7
Obfervantia *num conſuetudini æquipolleat?* 227
Obfervationes *Aſtronomicæ.* 201
in Medicina utiles. 478
Obſtructionis *cauſa.* 179
Oculi *artificialis deſcriptio.* 379
morborum theoria. 477
Oeconomi *S. Arcarii qui?* 418
Officium *Canoniſtis quid?* 125
fieri poteſt dignitas ex fundatione Eccleſiarum. 126
Omina *ſiniſtra Caroli I. R. Angl. regnum præcedentia.* 297 *ſq.*
Opiatorum *operandi ratio mechanica.* 209
Oracula *Gentilium ab impoſtoribus ficta.* 350 *ſq.*
Orbitæ *ellipticæ Planetarum demonſtratæ.* 201
Ordo *equeſtris dictus*: Societas nobilis paſſionis. 488
Origenis *editio nova promiſſa.* 536
Origenis *contra Celſum editiones examinatæ.* 538
De Origenis *Tetraplis, Hexaplis &c. varia.* 2 *ſq.*
Ὀρθολομεῖν *vox unde deſumta?* 358
Oſſis *femoris collum fractum pro luxatione habitum.* 484
Oſtracitæ. 376
Ova *miræ figuræ.* 377
Ex Ovis *omnia animalia.* 522, 523
Ovorum *humanorum progenies num veteribus cognita?* 526

PAchelinus (*Gul.*) *autor libri*: Protocataſtaſis. 66
Pædobaptiſmus *quando cœperit?* 509
Pagius (*Ant.*) *notatur.* 76
refutatus. 306
defenſus. 310
Παιδία & Βρέφη *quid?* 508
Pallii *Epiſcopalis deſcriptio.* 126
Panacea *Werloſchnigii.* 334
Pandectarum *nova methodus.* 324
compendium Lauterbachianum laudatum. 415
Florentinarum conditio, & quid de iis cenſendum? 557
Papaver *in numis quid indicet?* 170
in Iſidis ſacris uſitatum. 171
De Papavere *varia.* 170 *ſq.*

paveris *patria.* 170
Paradiſus *terreſtris ubi?* 118
Parallaxis *Solis quanta?* 138
Parallaxium *Lunarium inventio a Keplero facilitata.* 530
Parallelogrammum *delineatorium.* 379
Paraſelenarum *obſervatio.* 428
theoria. 430
Pardus *rarior.* 377
Pareiræ *bravæ deſcriptio.* 198
Pariſienſis *Academiæ quæ olim ratio?* 543
Paſſionalis Chriſti & Antichriſti, *libri, ſubſcriptiones cui tribuendæ?* 500 *ſq.*
Paſſionum *humanarum inconſtantia.* 532 *ſeq.*
Paſtorum *dynaſtia olim in Ægypto quænam?* 347
Patres *Deum materialem ſtatuentes accuſati.* 314
Patriarchæ *Alexandrini.* 490
Patriarchatus *in Eccleſia Ruſſica ſublatus.* 105
Paulus *JCtus Græce doctus.* 555
Peccata *typica quænam?* 380
Peccatum *in Spiritum S. quid?* 225
Pediculi *in cadaveribus unde?* 524
Pediculus *marinus.* 377
Pendulorum *motus.* 255
Perduelles *transfugæ apud Ruſſos, in bannum eccleſiæ incidunt.* 104
Peregrini (*Lælii*) *libri de* animi affect. *editiones variæ.* 43
Περιοδευται *quando primum exſtiterint?* 466
Perjurorum *pœna apud Ruſſos.* 105
Permutationum *doctrina ubi tradatur?* 20, 252
in arte conjectandi uſus. 21
Perſonatus *quid?* 125
Peſtis *prima origo, propagatio & remedia.* 210
Petruccius (*Matth.*) *laudatus.* 405
Petrefacta *corpora.* 376
Petrus *an & quatenus petræ Matth. XVI?* 123
Philoſophantium *libere in Anglia character.* 313
Philoſophari *libere quid ſit?* 290
circa res divinas ut oporteat? 290
Philoſophorum *ſectæ.* 443
Phosphorus *novus.* 198
Phyſica *diluviana promiſſa.* 326
Phyſicæ *definitiones.* 332
Picæ *cauſa.* 184
Picatrix *Aſtrologus.* 445
Pilorum *faſciculus cum urina excretus.* 422
Pincernatus *Imperii Limburgicis vindicatus.* 468
Pini *pulvis.* 526
Piſces *volantes.* 377
variores. 377

Pitiscium *synopsis methodica.* 528
Pitiſci (*Sam.*) *ſtudium in colligendis antiquitatibus Rom.* 14
Pituita *res ficta eſt.* 333
Pituitoſi *humores unde?* 179
Placentæ *uterinæ atheroma.* 421
Planetarum *vires per ignem ad terram deferuntur.* 129
motus a cauſis mechanicis non oriuntur. 141
Plantæ *monſtroſæ.* 524
in ſemine latent integræ. 523
Plantarum *motus externi.* 199
amarinarum deſcriptio. 199
analyſis chymica. 197
annuarum vita ut prorogetur? 200
monſtroſarum cauſæ. 525
Platonis *loca Scripturæ phraſibus ſimilia.* 454
Plethoræ *cauſa.* 179
Pleuræ *membrana celluloſa.* 421
Plumbi *effluvia virulentiſſima.* 212
mineræ curioſæ. 377
Pocockius (*Ed.*) *laudatus.* 543
Podagræ *curatio.* 482
Pœna *non tranſit ad heredes & quare?* 555
De Pœnitentiæ *ritibus diſſertatio promiſſa.* 494
Poggius *Flor. ubi MS. Quintiliani invenerit?* 289
In Polonicis *inſignibus error.* 503
Pomorum *vermes unde?* 426 *ſq.*
Pondus *argumentorum in quo conſiſtat?* 23
Pondera *corporum in diverſas Planetas.* 137, 138
in diverſis terræ regionibus. 138, 139
Pori *veſicæ quales?* 256
Pororum *in glandulis figura circularis.* 477
Porphyrii *editio nova promiſſa.* 537
Portarum *ornamenta.* 16
Poſſibile *quid ſit?* 22
Poſtlimini *fictio an ad conſervanda teſtamenta in captivitate decedentium hodie ſit neceſſaria?* 227
Potgieſeri (*Joach.*) *libri de ſtatu ſervorum apud Romanos commendati.* 228
Potus *exceſſus noxius.* 424
Præcipitationis *uſus.* 130
Preſtetus *autor Elementorum Mathem.* 444
Principales *ſeu Decemprimi qui?* 418
Principia *corporum ut inveſtiganda?* 130
rerum naturalium. 142
Chymica impugnata. 524

Probabile *quid ſit?* 22
Probabilitas *ut inveſtiganda?* 24
Probilitatis *definitio.* 22
Projectilium *in fluido elaſtico motus.* 134
Projectionis *ſphæræ uſus.* 430
Projectorum *motus.* 256
Prophetiæ *donum num hodie exſpectandum?* 90
Proprii homines *ſervi Germanorum.* 227
cur pro liberis a quibusdam habiti? 227
Proſerpina *cum papaveribus picta.* 172
Proto-Notariorum *Apoſtolicorum prærogativæ.* 126
Proverbii wer das Glücke hat *&c. origo.* 498
Provincialia *jura Germanorum excutiendi utilitas.* 515
Ex Prunis *non ſatis exſtinctis in cella mors.* 194
Pulicum *decipula.* 379
In Pulmonibus *aer ſanguini non miſcetur.* 477
Pulſus *natura & uſus in praxi.* 209
Pulſuum *differentiæ.* 209
Pulveris *pyrii vires per inſtrumentum ut æſtimandæ?* 378
Pupilla *quomodo dilatetur?* 196
Purgantia *febribus non conveniunt.* 481
Purgantia *quotuplicia?* 333
Purgantium *efficacia in morbis ventriculi.* 181
Purgatio *quid?* 333
verno-autumnalis rejecta. 333
Purpureæ *veſtes.* 171
Putrefactio *in ventriculo non eſt admittenda.* 177
Pyrites *eſt corallium antediluvianum.* 329
Pyritis *ſpecies.* 328

QUadrata *magica promota.* 200
Quarta *arrogato emancipato impuberi præſtanda, an coincidat cum quarta omnium bonorum?* 218
In Quesnelliana *cauſa libri ſcripti.* 296
Quietis *diuturnæ noxa.* 424.
Quintiliani *codex a Poggio Flor. repertus.* 289

RAdicibus *carent plantæ marinæ.* 190
Radicum *prope verarum ex æquationibus extractio.* 253
figuræ curioſæ. 377
Ratio *quid in Sacris poſſit?* 40 *ſq.*
Rauſcherus (*Hier.*) *Conſul Lipſ.* 159
De Recognitionibus *Clementis ſententia Whiſtoni.* 28 *ſq.*

Refe-

Refectivus *liquor Sachſii.* 526
Refractio *ſiderum a ventis variatur.* 201
Regium *nomen Romanis exoſum.* 472
Principibus Romanis demum tributum. 472
Reichenthal (*Ulr.*) *noratus.* 279
Reinhardus (*Jo.*) *Epitomator Chronici.* 498
Religio *Proteſtantium contra Pontificios defenſa.* 548 *ſq.*
Ad Religionem *nemo cogendus.* 58 *ſq.*
Religionis *diverſitas an toleranda?* 59 *ſq.*
Reliquiæ *ſacræ Pontificiorum.* 377
Reſidentia *Epiſcoporum an juris divini?* 126
Reſiſtentia *mediorum.* 135
fluidorum per experimenta inveſtigata. 135
ſolidorum. 202
medii. 202
in machinis explicata. 256
Reſpirationis *neceſſitas.* 477
Reus *ſe ſiſtens nec tamen reſpondens num poſſit condemnari ad legitima impedimenta?* 294
Rex *Rom. num ante coronationem Rom. dicendus Imperator?* 465
Rhabarbari *vis purgativa.* 197
adſtringendi in dubium vocata. 197
Rhevmatismus *per balneum frigidum curatus?* 196
Richardus *Cromwelli ſucceſſor haud diuturnus.* 300
De la Rocheguilhen *autor libri:* Hiſtoire des Favorites. 445
Romanenſium *in Gallia cum Reformatis agendi ratio.* 56
Ructuum *cauſa.* 183
Ruinarti *Acta Martyrum notata.* 151 *ſq.*
Ruſſi *alienas linguas ſuæ miſcent.* 485
antiquitus nullis ſcriptis legibus uſi. 100
Ruſſorum *Imperatoris elogium.* 536
leges militares novæ. 102
legum collatio a quo primum facta? 100
collectionis Verſio Latina. 101

SAbaudiæ *Duci titulus Regiæ Celſitudinis ab Imp. conceſſus, a Statibus Imp. negatus.* 469
Salis *aſtralis deſcriptio.* 130
Salium *figura.* 130
Sammarthanorum *Hiſtoriæ Geneal. editiones.* 450

Sanguinis *circulatio per vasa minima.* 477
miſtio quid? 334
operatio. 175
motus utilitas. 211
Sanguis *pridem emiſſus in vacuo non ebullit ut recens.* 479
quid ſit? 175. 333
num poſſit fermentare? 179
Sanitas *quid?* 179
Saponaria *arbor.* 377
Sarcocele *ex eſu nucum & caſtanearum.* 207
Satellitum *Saturni motus.* 137
Satyri. 377
Saxonicæ *domus jura in Erfordiam.* 168
hiſtoriæ anecdota. 452
Scævola *accuſatur.* 512
defenſus. 551. *ſq.*
Scaligeri (*Joſ.*) *ſtupenda memoria.* 76
Schurzfleiſchius (*Conr. Sam.*) *laudatus.* 75
Scioppius (*Caſp.*) *quando mortuus?* 65
autor variorum librorum contra Jeſuitas. 66
Scire *quid ſit?* 22
Sclavonicæ *linguæ uſus apud Ruſſos.* 100
Sclopetum *pneumaticum.* 378
Magdeburgicum 378
Scoticarum *eccleſiarum primum regimen quale?* 465
Scorbuticarum *macularum poſt mortem efflorescentia unde?* 524
Scriptura *S. quousque corrupta dici poſſit?* 69
Scripturæ S. *loca illuſtrata:*
Gen. II, 2, 18. 119 *ſq.*
24. 117
III, 14, 22. 120
IV, 1, 7, 23. 121 *ſq.*
26. 349
XIX, 26. 121
XX, 16. 121
XLIX, 1. 161
29. 160
Exod. IX, 8–11. 424
XX, 4. 111
Num. II, 20. 162
XXIV, 17. 163
Deut. XXXI, 16. 415
Sam. IIX. 347 *ſq.*
Pſ. V, 10. 424
VIII, 6. 335
XCVI, 10. 335
Jeſ. XXX, 20. 389
Ezech. III, 3. 424
Matth. I, 8. 53
V, 22. 425
VI, 3. 41
VIII, 24. 424
XIII, 25. 424
Marc. VI, 13. 337
Luc. XII, 50. 435
Joh. I, 15. 164
XI. 11. 425
Act. III, 20. 165

Act. XIV, 22. 425
XXVII, 14. 318
1. Cor. VIII, 1. 164
2. Cor. IV, 8, 17. 425
Jacob. V, 14. 337
Hcb. II, 9. 335
X, 19. 164
Apoc. IX, 15. 41
In Scripturam S. *Commentatores.* 473 *sq.*
Scutellæ *iridis.* 377
Secretio *non requirit poros diversæ figuræ.* 476, 479
animalis non fit per fermentationem. 177
fit per trituration em sanguinis. 179
Secretionis *animalis ratio.* 477 479
Sectionum *conicarum affectiones palmariæ calculis analyticis erutæ.* 253
usus in constructione problematum solidorum. 253
Seldenus *notatus.* 490, 492
Semidiametri *Telluris magnitudo.* 138, 139
In Semine *latet integra planta.* 523
Septentrionalium *populorum morbi.* 208
Serici *ab araneis & bombycibus confecti quantitas.* 196
Sericum. 526
Seriei *Leibnitianæ pro circulo demonstratio.* 254
Serierum *infinitarum usus.* 253
doctrina. 26
Serosi *humores unde oriantur?* 178
Servitus *an inter Christianos recte dicatur sublata?* 227
Sibbaldus (*Rob.*) *notatus.* 483
Sickingus (*Franc.*) *quis?* 501
Sigismundus *Imp. non interfuit electioni Wenceslai.* 520
num suæ creationi interfuerit? 520
Signa *in præcipitatione observanda.* 130
Signaturæ *Gratiæ & Justitiæ in aula Romana.* 126
Simiæ *variores.* 377
Similitudinis *definitio.* 250
Similium *in Mathesi demonstrationes novæ a Wolfio repertæ.* 250
Simon (*Rich.*) *notatus.* 152, 139
Simonis (*Rich.*) *obitus.* 537
Singultus *causa.* 183
Sinuum *tabulæ ad usum Geometrarum subterraneorum reductæ.* 88
scala loco tabularum inserviens. 88
Siphones *pro exploranda specifica gravitate fluidorum.* 379
Siphonis *Anatomici Wolfiani descriptio.* 256

Siri (*Victor*) *non ubique aquus.* 449
Sitis *cauſæ.* 182
Societas *nobilis paſſionis.* 458
Solutionis *uſus.* 130
Somni *longioris damna.* 424
Somnus *cur cum papavere pingatur?* 172
triplex. 424
Soni *tempore unius minuti ſecundi propagati via.* 136
Sonus *harmonicus per æolipilam ut excitandus?* 378
Soricum *rex.* 377
Sortis *in ludo æſtimatio.* 21
Specula *cauſtica celebria.* 379
Speculorum *foci ut inveniantur.* 202
in dioptrica uſus. 204
chalybeorum inventum novum. 204, 205.
effectus. 205
cauſticorum deſcriptio. 379
Sphæræ *vitreæ fragore diſjectæ.* 193
projectionem quinam ſcriptis illuſtravit? 430
Spiritus *ſubtiliſſimus corpora omnia pervadit.* 141 *ſq.*
Stanni *mineræ curioſæ.* 377
Staticæ *& Mechanicæ elementa Wolfii commendata.* 254
Status *Imperii vide* Imperii *Status.*
Stochaſtices *definitio.* 22
Strumarum *ortus.* 207
locus natalis. 207
Stumpfius (*Jo.*) *notatus.* 280
Succi *Minerales.* 377
Succinum. 377
Sudorifera *febribus depellendis conducunt.* 480
purgantibus num præſtent? 480
Sudoris *falſedo unde?* 177
Sulphur *mineralium & vegetabilium idem.* 197
univerſi quale? 130
Sulphurea *effluvia nocent.* 212
Sylvii *hypotheſis de morborum origine.* 207
Symbolorum *fidei qui uſus?* 291
Symmachus *laudatur.* 9
quando & an duas N. T. interpretationes ediderit? 9
Synedrium *quanta antiquitatis?* 347

TAbis *ſtomachi cauſa.* 182
Tænia *in tinea reperta.* 197
Talci *Pariſienſis refractio.* 202
Tecta *adium qualia fieri debeant?* 344
Teleſcopiorum *uſus.* 379
Telluris *ſemidiameter quanta?* 138 *ſq.*
Tellus, *Magna Deum Mater, cum papaveribus picta.* 172

Terebræ *metallοſcopicæ deſcriptio.* 529
uſus 530
Terra *quanto exceſſu ad æquatorem altior, quam ad polos?* 138
Laubacenſis ſigillata. 331
Terræ *curioſæ.* 376
Solaris ſpiritus. 526
Terroris *gravioris periculum.* 424
Teſſeræ *lapideæ.* 376
Teſtamenti *vox pro inſtrumento.* 228
Teſticuli *ſcirrhus.* 421
Tetrapla *num ante Hexapla edita?* 3
quo ordine verſiones V. T. exhibuerint? 3
Tetraplorum *Origenis variæ appellationes.* 2
Theobaldus *notatus.* 280
Theocratiæ *reliquiæ apud Judæos etiam poſt Reges creatos.* 355
Theodotion *qui & qualis interpres?* 9
Theologia *comparativa ut excolenda?* 188 *ſq.*
Theoremátum *inventio per calculum Algebraicum.* 252
Thermarum *probatio per præcipitationem rejecta.* 321
Thermometra *varia.* 378
concordantia. 384
Thermometrorum *phænomena ſingularia.* 194
Thomæ *Suidnic. nova verſio & editio Porphyrii promiſſa* 537
Thomingius (*Jac.*) 159
Tibialia *ex ſerico aranearum confecta.* 195
Tillemontius *notatus.* 148 *ſq.*
Du Tillet (*Jo.*) *laudatus.* 448
In Tinea *tænia.* 197
Titii (*Gottl. Gerhard*) *vita & ſcripta.* 390
Tolandus *refutatus.* 312 *ſq.*
Tolerantia *ſectarum defenſa.* 475 *ſq.*
Tonſillæ *ſcirrhoſæ omnes non exſtirpandæ.* 484
Traditionis *rationalis regulæ.* 154
Trib. Pot. *in numis ſine numero an primam ſemper denotet?* 305 *ſq.*
Tributorum *jus num habeant civitates imperiales?* 468
Trinitatis *myſterium an ab elinguatis prædicatum?* 358
Trithemius (*Jo.*) *gratia pollet apud March. Brandenb.* 499
Triturationis *chymicæ & ventriculi convenientia.* 178
Trogloditæ *Bonæ Spei.* 377
Tuba *ſtentoreophonica.* 379
Tuba magna *liber contra Jeſuitas emiſſus quid contineat?* 65
Tubus *acuſticus.* 379
Tunicæ *veſicarum ex pluribus lamellis compoſitæ.* 256
Tuſſis *ferinæ curatio.* 207

Tutela & *cura apud Germanos non differunt.* 229
Tygris *rarior.* 377

VAcuum *assertum.* 137
Valsechius *refutatus.* 303, 308
Valvula *Boyliana.* 378
Variolarum *curatio.* 48. 482
per insitionem excitandarum historia. 382
Vasorum *emulgentium reptatus.* 421
Vaticinium *de Regibus Poloniæ explicatum.* 503 *sq.*
Vegetabilia *per triturationem digeruntur.* 178
Vegatationum *artificialium variæ genera.* 198
Veli *situs optimus.* 274
curvaturæ est catenaria. 276
ut determinanda? 277
Venæsectio *quid præstet in morbis ventriculi.* 181
verno - autumnalis rejecta. 334
Venditionis *instrumentum antiquum.* 311
Veneris *enervatio.* 424
Venis *carent conchæ.* 196
Ventriculi *inflationis causa.* 183
doloris causa. 183
inflammatio. 210
ratio digestionis. 172
morbi. 172
Ventriculi *caloris origo & effectus.* 174
intemperiei causa. 182
fermentum acidum non detur? 179
robur. 178
morbi unde? 180
debilitas unde? 181
Venus *cur cum papaveribus pingatur?* 172
Vermes *pomorum unde oriantur?* 426
De Versé (*Alb.*) *autor libri:* Le Protestant pacifique. 444
Versionis *LXX Interpr. capita & versiculi non iidem olim, qui hodie?* 8
Novi Test. Sch. Schmidii sphalmata. 52
Versus *Bauhusiani variationes.* 20
Vesicæ *pori quales?* 256
Vesicarum *tunicæ e plurimis lamellis compositæ.* 256
Vestes *papaveratæ.* 171
Vestis, *qua Servator ab Herode fuit indutus, qualis?* 171
Vetula *ex decrepito marito concipiens.* 194
Vicarii *Imperii quinam olim?* 519
a quibus constituti? 519
Vigiliæ *emulsione papaveraceæ sublatæ.* 170
quæ damna ferant? 424
Vini *potus num vini noxam tollat?* 334

Vires *centrales demonſtratæ.* 256
fluidorum in ſuperficies planas impingentium quantæ? 273
Virga *divinatoria.* 379 *ſq.*
Virium *centripetarum problemata inverſum ſolutum.* 200
proprietates nonnullæ. 132
mortuarum & viventium deſtinctio demonſtrata. 254 *ſ.*
Vis *acceleratricis in cycloide ratio.* 133
centripetæ Lunaris inventio. 137
magnetica qua ratione decreſcat? 137
Lunæ ad mare movendum quanta? 140
Viſio *Dei num ſit futura ſpiritualis, an corporalis?* 110 *ſq.*
Vitæ *definitio.* 332
Vitra *tonantia.* 379
Vitrioli *exhalationes corroſivæ.* 212
Vitriolum *ubi eruatur?* 212
Vives (*Jo. Lud.*) *commendatus.* 543
Umbilicalis *funiculi tumor.* 420
Umbra *terræ in eclipſibus non eſt circularis.* 139
Unicornu *foſſile quid?* 327, 329
Volatilium *medicamentorum operatio.* 182
Voluptas *quid?* 534
Volutarum *in capitulo compoſito multiplicatio.* 17
Vomitoria *in arthritide proſunt.* 482
Vomitus *non ſemper vomitu curandus.* 525
Voracitas *exitialis.* 424
Vortices *cæleſtes impugnati.* 141
Urnarum *deſcriptio.* 376
Urſi *rariores.* 377
Uterus *puerperæ delineatus.* 421

WEnceslai *Imp. ſucceſſores qui?* 520
Van de Water (*Jo.*) *laudatus.* 369
notatus. 367 *ſq.*
Whiſtoni *Articuli communionis pro Chriſtianis eccleſiis.* 40
In Whiſtoni *cauſa motus in Synodo Eccl. Angl.* 27
Whiſtonus *refutatus.* 36 *ſq.*
Williſius *notatus.* 479
Wilhelmi III. *Angl. R. res geſtæ.* 301
Wolfii (*Chriſtiani*) *experimenta de aere in fluidis contento.* 480
Curſus Mathematicus commendatus. 249
Wurzburgenſis *Epiſc. vide* Episcopus.

ZAorowki (*Hier.*) *autor* Monitorum ſecretæ Societatis. 66
Zecora, *aſinus Ægyptiacus.* 377
Zygabeni (*Euthymii*) *operum MSta ubi exſtent?* 538

Omiſſa

Omissa in Indice Rerum.

LEges *emendatæ, illustratæ, conciliatæ.*

l.14 π. de Transact. emendata & cum l.3 pr. eod. conciliata. 321

l.1 §. 1 π. Depositi emendata. 321 *vetus lectio asserta.* 368

l.4 §. 1 π. de condit. instit. l.114. §.14 π. de legat. 1. & l.109 de condit. & dem. explicata. 323, 373

pr. I. de vi bon. rapt. l.52 §. ult. l.80 §.3 π. de furtis illustrata. 323

l.52 §. 3 π. pro Socio emendata. 323, 234

l, 65 §.1, 3, 4 π. de adqu. rerum dom. emendata & sibi conciliata. 324, *vindicata* 375

.7 §.13, 14 π. solut. matrim. & l. fin. pr. de fundo dotali collata & conciliata. 511

l. 11 §. 10, 11, 12 π. de interdicto quod vi aut clam explicata. 312, 550

l.31 §. 2 π. de liberat. legata emendata & cum l.28 §. 4 eod. conciliata. 513

l.29 π. de statu liberis cum l.9 §. ult. π. de pœnis conciliata. 513

l.14 §.3 π. de aliment. & cib. leg. emendata. 513, 553

l.6 §.4 π. de act. rer. amot. tentata. 514

l.23 §.1 de Ædilit. Edicto emendata & cum l.60 eod. conciliata. 514, 515

l. fin. π. de fundo dotali defensa. 549

l.2 pr. ad L. Rhod. de jactu explicata. 554

ERRATA.

Pag. 238 lin. 9 leg. *pulpita*; p. 239 lin. 16 leg. *Eurymidonte*; p. 475 lin. 28 pro *rebus* lege *rem*; pag. 476 lin. 33 pro *o Lockio* lege *a Lockio.*

UNIVERSIDAD DE CHILE BIBLIOTECA